1293.

Ch.[1] 395

Martene

(Dom Edmond)

VETERUM SCRIPTORUM NOVA COLLECTIO

TOMI PRIMI, PARS PRIMA.

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM
Moralium, Historicorum, Dogmaticorum,

Ad res ecclesiasticas, monasticas, & politicas illustrandas,

COLLECTIO NOVA.

Tomus primus in quo continentur:

Prodeunt nunc primum in lucem.

Opera & studio DOMNI EDMUNDI MARTENE *Presbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri.*

ROTOMAGI,

Sumtibus ANTONII MAURRY, Regis Typographi, viâ S. Laudi.

M. DCC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

PRÆFATIO.

INTER plurima ſtudiorum genera, quibus in communem reipublicæ Chriſtianæ utilitatem incumbunt viri litterati : illud ſane non inferiorem locum tenere debet, quo nonnulli varias perluſtrant bibliothecas, deliteſcentes in eis veteres codices manuſcriptos cum blattis & tineis decertantes diligenter exquirunt, inventoſque ſedulo percurrunt, ut ea auctorum priſcorum ſcripta, quæ excidiſſe credebantur, aliaque antiquitatis monumenta, è tenenebris tandem eruta, publicam in lucem emittant. Quis enim dignis exprimat verbis quantum inde rei litterariæ ſplendoris, quantum univerſæ eccleſiæ commodi accedere poſſit ? cum viros ſua ætate inſignes, non minus pietate quam doctrina conſpicuos, ſed heu ! temporum injuria quaſi oblivione ſepultos de repente videas è pulvere excitatos, nova hominibus vitæ rectæ inſtituendæ dare præcepta, mores corrigere, aut in melius informare, verum à falſo ſecernendo aniles recentiorum quorumdam fabulas expellere, antiquam eccleſiæ diſciplinam ob oculos ponere, denique chriſtianæ fidei ſancita ſtabilire atque

omnia ipsius dogmata adversus hæreticos propugnare. An vero hujusmodi studio hæc omnia cum fructu præstari quisquam dubitet?

Quapropter non immerito Summus Pontifex Alexander papa VII. testante & scribente ad Acherium nostrum, quod propriis auribus exceperat, Cardinali Bona, asseruit eos *utiliorem præstare operam reipublicæ litterariæ, qui eruendis è situ bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam qui novos cudunt libros: Libri enim novi, siquid boni continent, ab antiquis mutuari solent.* Hoc studiorum genus cum plurimi hoc sæculo sectati fuerint, tum maxime nostri, ex quorum labore prodiere Spicilegium veterum scriptorum, Analecta latina & græca, Museum Italicum, aureus liber de Re Diplomatica, cum variis accessionibus quibus novissimæ sanctorum Patrum Augustini, Ambrosii, Hilarii, Anselmi, Bernardi, Athanasii editiones mirum in modum auctæ & ornatæ fuerunt: adeo ut non tam spicas aut reliquias aliquas, quam messem amplissimam, viris litteratis eo jucundiorem, quo magis feracem aut minus speratam collegisse videantur.

Tam laudando fratrum meorum provocatus exemplo, novam veterum scriptorum & monumentorum Collectionem adornare aggredior, quam si Spicilegium alterum, aut Spicilegii Acheriani supplementum vocare quis voluerit, non repugnabo, cum idem utriusque operis sit propositum, idem ordo, methodus eadem: tametsi amicorum meorum usus consilio, ipsam alio titulo insignire satius esse existimaverim; ut, relicta metaphora, simplici nomine diceretur: *Collectio nova veterum scriptorum & monumento-*

rum, moralium, dogmaticorum, & historicorum, ad res ecclesiasticas, monasticas & politicas illustrandas.

Ad huncce laborem suscipiendum hortatus me fuerat olim noster Acherius, immo cum ipse paucis antequam è vivis excederet, simile opus alio sub titulo, prælo committere cogitaret; adjutricem à me manum, omnium licet ineptissimo, postulare non dedignatus est. Sed brevi post morte correptus, nec conceptum opus explere potuit; nec ipse ego aliis tunc studiis applicatus optimi senis consiliis parere valui, donec mihi antiquos ecclesiæ ritus illustrare meditanti necesse fuerit quamplures nominatissimas adire bibliothecas, ac manuscriptorum codicum copiosam multitudinem perlustrare, quos cum non oscitanter aut perfunctorie tererem, quæcumque publica luce non indigna meas in manus incidere contigit, notare, describere, ac in unum colligere non neglexi: adeo ut ex veteribus scriptis ac monumentis, quæ viros eruditos hactenus latuerant, aliquot jam volumina publici juris facere valeam, si primum huncce tomum reipublicæ litterariæ haud ingratum fore intellexero.

Jam vero ut rationem eorum quæ in illo continentur reddam. Ipso in limine occurrit COMMONITORIUM S. ORIENTII inter antiquos Poëtas christianos celeberrimi, cujus Fortunatus qui sub finem sæculi VI. florebat meminit in libro I. de Vita S. Martini brevi hoc versiculo

I. Sancti Orientii Commonitorium.

Paucaque perstrinxit florente Orientius ore

& Sigebertus in Catalogo cap. 34. *Orientius Commonitorium scripsit metro heroico, ut mulceat legentem suavi*

breviloquio. Carmen istud desideraverant hactenus viri eruditi, maxime vero illustrissimus Annalium ecclesiasticarum concinnator Cardinalis Baronius ad annum 484. *Dolens nobilis ingenii omnia periisse monimenta, immo & nomen ipsum pene oblivione sepultum; quod vix tandem eruderatum obtectaque rubigine purgatum reddere liceat.* Ejus votis aliqua ex parte fecit satis Martinus Delrius Societatis Jesu presbyter eruditissimus, qui reperto in ms. codice Aquicinctensis monasterii Commonitorii libro primo, tamquam invento thesauro pretioso exultavit, eumque quam citius, cum omnibus etiam, quibus scatebat, mendis & lacunis anno 1600. typis mandari curavit; ratus nihilominus in illo suo codice integrum Orientii opus non contineri, sed plura *deesse, minimum de ceteris peccatis, gula, acidia, superbia, fors & plura.* Nec sane sua eum fefellit opinio, nam revera deerat integer liber secundus, quem cum aliis ejusdem auctoris versibus de Nativitate Domini, de Trinitate, de Nominibus Domini, & orationibus, ex pervetusto codice insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis ab annis circiter 800. exarato beneficio Cl. viri Gatiani *de Galiczon* præcentoris descriptum *obtectaque rubigine purgatum* nunc tandem proferimus, emendatis etiam libri primi erratis & lacunis repletis.

Quis autem fuerit ORIENTIUS ille non ita facile est explicatu. Si quam fidem merentur Acta S. Orientii, quæ in Bibliothecæ novæ tomo 2. vulgavit Philippus Labbe, eaque cum his versibus conferantur; non levia inde eruere licebit rationum momenta, quibus eidem adjudicandos esse saltem conjicere lice-

bit. Ipſe enim *eccleſiaſticis dogmatibus eruditus*, inquiunt ejus Acta, *commiſſum ſibi populum ſacro ſermone correxit, paganorumque perverſitatem deſtruxit; & ita plane doctus tanta doctrina eos erudivit, ut ſpreta idolorum vilitate, auctorem ſuum cocognoſcerent, & legem ejus baptiſmatis gratia accipiendam concederent.* Quæ verba quam bene concinant iis quæ ſcribit Orientius in Oratione XXIV.

Et nos à fece ethnicorum emerſimus,
Eamque tamdem rupimus caliginem,
Dum ſpiritales exaudimus angelos.

Qui vero in Commonitorii libro II. verſus leguntur, hi ſtrages & incendia Alanorum, Vandalorum, Gothorumque mirum in modum repræſentare videntur.

Per vicos, villas, per rura & compita, & omnes,
Per pagos, totis inde vel inde viis,
Mors, dolor, excidium, ſtrages, incendia, luctus,
Uno fumavit Gallia tota rogo.

Porro cum adverſus Gothos miſſi fuerint ab imperatore Aetius & Littorius duces ſtrenuiſſimi, quibus S. Orientius Auxitanus epiſcopus occurriſſe in præfatis Actis dicitur, nemo non videt Commonitorii noſtri verſus ad illius tempora reſpicere potuiſſe, hoc eſt ad annum circiter CDL. Adde quod auctor in ultimo hocce verſiculo ſe Gallum, aut ſaltem in Gallia agentem ſe ſatis clare demonſtrat. At vero Baronius exiſtimat Orientium noſtrum eumdem eſſe cum Oreſio Tarraconenſi, ad quem Sidonius anno CDLXXXIV. epiſtolam XII. lib. 9. ſcripſit, interpellatus ab eo ut carmen aliquod de fertili depromtum ingenio mitteret. Et certe illud ejus conjecturæ favet, quod Ore-

ſium virum doctum & facultatibus poëticis exculttum fuiſſe conſtat ex hac Sidonii epiſtola. Huic ſententiæ ſubſcribit Delrius. An vero idem ſit cum Oruntio Illiberitano epiſcopo, qui anno DXVI. concilio Tarraconenſi & ſequenti anno Gerundenſi interfuit non mihi ſatis conſtat.

II.
Acta varia in cauſa Dolenſis epiſcopatus.

Quæ ſequuntur ACTA VARIA IN CAUSA DOLENSIS EPISCOPATUS, ipſiſſima ſunt Acta celeberrimæ quondam controverſiæ, quæ de primatu ſeu jure metropolitano Turonenſem inter & Dolenſem eccleſiam per trecentos & amplius annos ventilata eſt: ut vix ſit ullum hoc in genere negotium, quod Sedem Apoſtolicam diutius occupatam aliquando detinuerit. Contentionis originem ad annum DCCCXLVI. referendam eſſe ſuadet concilii Sueſſionenſis anno DCCCLXVI. celebrati epiſtola ad Nicolaum I. papam, qua congregati Patres queruntur *dioceſim Turonicam auſteritate Britonum diutina à ſua metropoli divulſam, penituſque diſciſſam.* Et quod *jam viceſimus, & eo licet paululum adſit annus, quo tyrannica feritate reſumta, nec comprovincialia cum Turonico metropolitano celebrent concilia; nec in epiſcoporum conſecratione ad eumdem quicquam reſpiciant, illi quoque ſedi nullo pacto ſe ſiſtant.* Nimirum ſolent plerumque res eccleſiaſticæ rerum civilium ſortem & conditionem experiri, ac mutationes in regnis imperiiſve mutationem in diſciplina eccleſiaſtica non raro generare. Vix Nominoïus Britonum dux, excuſſo Francorum jugo, regium ſibi nomen ac titulum uſurpaverat, cum perturbatis omnibus, gens barbara, & ſolo fere nomine chriſtiana, proprio rege gaudens, proprium quoque voluit

voluit habere metropolitam. Sunt & quidem doctissimi viri non pauci, qui Principem eo tempore tres sedes episcopales, Dolensem, Briocensem, & Trecorensem propria auctoritate erexisse asserant, quibus aliisque Britanniæ episcopis Dolensem archiepiscopum præfecerit. Verum huic sententiæ repugnare videtur, quod Nicolaus papa primus tam ad Salomonem Britanniæ ducem quam ad Festinianum Dolensem episcopum scribens, de Dolensi ecclesia tamquam longe antea instituta & fundata loquatur: Deinde quod Patres concilii Suessionensis anni DCCCLXVI. in epistola ad Nicolaum papam testantur Saloconem Dolensem episcopum adhuc superesse, in cujus ejecti loco à Nominoïo Festinianus intrusus fuerat. Et certe mirum videri posset, quod Landramnus Turonorum archiepiscopus aliique ex Gallia præsules anno DCCCXLIX. congregati Nominoïum de flagitiis ab eo perpetratis, quæ singillatim recensent, redarguentes, altum de erectis ab eo privata auctoritate episcopalibus sedibus, & metropolitano Armoricis contra canonum sancita dato, silentium teneant. Non ergo Nominoïus, nisi forte favore suo, Dolensem episcopatum in metropolim erexit: sed episcopi ipsi, quos in locum ejectorum ille subrogaverat, cum consecrationis munus à Turonensi archiepiscopo propter intrusionem sperare non possent, sibi ipsi, ut verosimilius videtur, Dolensem à quo ordinarentur episcopi, metropolitam instituerunt: quorum consiliis Nominoïus aliique Britanniæ principes faverunt & eos adjuverunt: qui ad id audendum fabulosis quibusdam induci potuerunt sanctorum legendis, quibus

S. Samſon primus Dolenſis eccleſiæ præſul ex Eboracenſi archiepiſcopatu in Armoricam pulſus in exilium, pallium quod eum Eboraci recepiſſe fingunt, in Dolenſi cathedra conſtitutus cum archiepiſcopali dignitate retinuit : Tametſi nonniſi longo poſt S. Samſonem intervallo ſedes Eboracenſis erecta fuerit, certumque ac indubitatum ſit, eumdem cum in Armoricam transfretavit, nulla pontificali dignitate decoratum fuiſſe, nec ulla poſtmodum, niſi epiſcopali.

Illatam ſuæ ſedi injuriam archiepiſcopus Turonenſis patienter ferre non potuit, non debuit : querelas ad Sedem Apoſtolicam depoſuit, quibus pulſatus Leo papa IV. qui Romanam tum eccleſiam regebat, Britones increpuit, atque ut ad Turonenſis metropolis obedientiam & obſequium redirent imperavit. Idem præſtitit qui Leoni in Petri Cathedra ſubrogatus eſt Benedictus III. verum hæc fruſtra. Nam extinctis Nominoïo & Eriſpoio ejus filio, Salomon iſtius natus, nec minus ferocitatis & audaciæ quam principatus heres, ſpretis epiſcoporum in concilio Tullenſi apud Saponarias congregatorum precibus, ſcriptiſque ad Nicolaum pontificem litteris, Feſtiniano Dolenſi intruſo pallium petere auſus fuit. At Nicolaus qui injuſtis, principum & maxime tyrannorum votis favere neſciebat, increpito Salomone de exturbatis à propriis ſedibus epiſcopis, reſpondit non videri ſibi quo jure hoc privilegium, pallii ſcilicet uſum, ſibi arrogare tentaret Dolenſis epiſcopus, cum eccleſiæ Turonenſi tamquam metropoli & matri ſubjectus hactenus fuiſſet. Eadem fuit mens Johannis VIII. & Johannis XIII. ac tandem Leo papa IX. in concilio

Remensi sententiam adversus Dolensem pronuntiavit. Verum irrito omnino conatu.

Gregorius VII. justi licet & veritatis amans, ut principes Britannos, qui episcoporum investituris & simoniæ renunciaverant, in officio contineret, Eveno ex abbate S. Melanii à se ordinato episcopo pallii usum concessit, salvo tamen archiepiscopi Turonensis jure: qua de re graviter conquestus est Rodulphus qui sedem Turonicam tunc occupabat; sed de istius jure postea certior factus, Summus Pontifex Dolensem ecclesiam Turonensi subjacere declaravit. Idem fecit qui Gregorio post Victorem III. successit Urbanus II. lata adversus Dolensem sententia in Urbe primum, deinde in concilio Claromontano, ex cujus canone 7. *Turonensi metropoli Britanniæ citerioris restitutio facta est.*

Neque tamen tot Summorum Pontificum, tot conciliorum jacula Britonum proterviam confodere valuerunt: Neque enim à Turonensis archiepiscopi obedientia sese subducere, aut proprium sibi metropolitam agnoscere destiterunt. Eo nomine cum duobus suffraganeis Baldricus interfuit concilio Remensi sub Callixto papa, nec multo post ad concilium Romam vocatus, eodem nomine ab Honorio II. & Innocentio donatus est: sed eo honore numquam pacifice potitus est. Nam mortuo Baldrico, Hildebertus Turonensis ecclesiæ archiepiscopatum adeptus concertationem denuo aggressus est, scribens ad Innocentium in hæc verba: *Baldricus Dolensis ecclesiæ decessit: eum indebite pallium habuisse occidentalis ecclesia nequaquam ignorat. Docet hoc etiam pontificalium catalogus ecclesia-*

rum, nullam omnino faciens de Dolensi ecclesia mentionem. Unde diligentius intuenti manifestum est totam Britanniam intra limites Turonensis ecclesiæ contineri. Non ego tamen super hac re quasi discutiendam suscito querelam: quam dudum in Romana decisam ecclesia religiosæ noverunt & testantur personæ. Testatur idipsum venerabilis papæ Urbani privilegium Turonico metropolitano collatum, in quo qui legit, totam intelligit Britanniam ei tamquam suæ metropoli subjectam, palliumque non Dolensi ecclesiæ prærogatum, sed personæ. Quapropter ego cum tota Turonensi ecclesia vos exoro, quatenus ad debitum præfatæ metropolis respiciatis, eique suam reformare dignemini dignitatem: in quo bene nos cognoscemus exauditos, si ei qui in præfata sede est episcopus eligendus usum pallii vel omnino negetis, vel nobis & illi diem ad agendum statuatis. Extat hæc Hildeberti epistola in Spicilegii tomo XIII. sub finem. Cujus petitioni ut faceret satis Innocentius, diem ad comparendum & respondendum Turonensis ecclesiæ querelis Dolensi episcopo assignavit. Sed lite indecisa, Hildebertus primum, deinde Innocentius ex hoc sæculo migravere. Eamdem sortem tota controversia obtinuit sub Cælestino Innocentii successore, qui eam dirimere cogitabat: id quod Lucius II. tandem perfecit anno MCXLIV. lata adversus Dolenses sententia, & investito Hugone Turonensi archiepiscopo de Dolensi, Briocensi & Trecorensi episcopatibus per baculum ligneum, qui hactenus in ecclesia Turonensi conservatur. Cujus sententiam postea confirmarunt Eugenius III. & Anastasius IV. Lucii successores.

Post tot Summorum Pontificum pronunciata ora-

cula, quis crederet tandem Dolenses respirare potuisse? Sed quid non potest ambitiosa dominandi cupido? Qui Sedis Apostolicæ latas sententias irritare non potuerunt, eas iterum novis adinventis litigandi artibus ac subterfugiis saltem eludere non dubitarunt. Tot fatigati concertationibus Summi Pontifices, partes ad amicam & pacificam inter se compositionem hortati sunt. Istud negotium Bernardo Claraevallensium abbati, qui propter vitæ sanctimoniam in dirimendis ecclesiasticis controversiis in Gallia pene unus arbiter ab omnibus eligebatur, commisit Eugenius III. Bernardi consiliis Turonenses parere noluisse conquesti sunt Dolenses, in culpam consimilem & ipsi non multo post dilapsi. Nam factam ex consensu partium compositionem ab abbate de Fontanis ratam habere recusarunt. Iterum ergo iterumque sub sequentibus pontificibus litigatum est. Ad favendum Dolensi non nihil propensi fuisse videntur Adrianus IV. Alexander III. & Lucius III. Plurimum poterat apud istum pontificem Rollandus electus Dolensis, Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui ab eo in Angliam missus fuerat, ad faciendam pacem inter regem Scotiæ & Johannem episcopum S. Andreæ. Nec sine fundamento, timendum erat ne Dolensis favor ad partes suas plus æquo Lucium inclinaret. Hoc cum advertisset Philippus Augustus Franciæ rex graves & sua acrimonia pungentes ad papam dedit epistolas, quibus conqueritur quod clerici Dolenses, *non sine dolo* dolorem sibi inferre conarentur, carissimum sibi Turonensem archiepiscopum *suggestione quorumdam & favore in causam* apud ipsum vocantes; eo præser-

tim tempore, quo ipsius industria, præsentia, consilio & auxilio pro regni negotiis opus habebat. Quam ægre Summi Pontificis in Dolensem ecclesiam propensionem tulerit Philippus non solum scriptis ejus nomine ad Lucium à Stephano Tornacensi epistolis 125. 126. & 127. discimus, sed etiam ex epistola Remensis archiepiscopi apud eumdem 128. ad magistrum Meliorem Cardinalem: *Occasione*, inquit, *Turonensis & Dolensis discordiæ tantus in animum Domini regis & principum ejus amaritudinis rancor descendit, ut coram archiepiscopis & episcopis & baronibus regni ab Ecclesia Romana se conqueratur exheredari, & dignitatem ecclesiæ Turonensis, quæ sua est, aliter quam temporibus Patrum suorum fuerit, imminui & turpiter mutilari. Ingratam sibi & patribus suis clamat Ecclesiam Romanam, & oblitam beneficiorum, quæ persecutionis & pacis temporibus à Francorum regibus hactenus percepit. Pro matre perhibet se recepisse novercam.* Defuncto autem Lucio, lis injudicata permansit usque ad Innocentii III. pontificatum, cujus vigore & judicio finem tandem accepit.

Quanam vero ratione id factitatum sit describit Rogerus Hovendensis hoc modo: *Existentibus autem in præsentia Summi Pontificis & fratrum suorum cardinalium, Dolonensi electo & prædictis præfati archiepiscopi nuntiis, & ex diversis multa hinc & inde super juris sui defensione proponentibus, supradictus Dominus Innocentius cœpit eos, sicut erat benignissimus pater, cum fratribus suis ad pacem inducere; & ut spatium deliberandi haberent, utrique parti audientiam per intervalla differre. Et licet ad hoc inducti essent Turonensis nuntii, ut*

Dolonensi ecclesiæ archiepiscopalem sedem concederent cum duobus suffraganeis tantum : ita ut Domino Turonensi tamquam primati subesset, & de manu ejus vel ecclesiæ Turonensis pallium à Domino papa eidem ecclesiæ Turonensi missum idem Dolensis reciperet & consecrationem. Quia tamen duo episcopatus contigui à Turonensis nuntiis non concedebantur eidem Dolonensi electo, pacem hanc nullatenus acceptavit : quæ utique refutatio in ejus redundavit incommodum, ut in sequentibus audietur. Videns itaque Dominus Papa quod per concordiam non posset prædicta quæstio terminari, citationes & allegationes hinc inde in pleno consistorio licentius & plenius intellexit, quibus auditis & plenius intellectis, ad definitivam tandem sententiam voluit cum fratribus properare. Sed iterum viam pacis quærens, eos ad concordiam invitavit. Verum cum ad ultimum nihil posset hac parte proficere, pro tribunali sedens Dominus Innocentius, fratribus ei assistentibus, sententiam contra Dolonensem ecclesiam pro Turonensi ecclesia secundo papatus sui anno publice pronunciavit. Porro Summus Pontifex sententiam pronuntiaturus ita exorsus legitur apud Matthæum Paris ad annum 1199. *Doleat Dolensis, gaudeat Turonensis.* Addit Rogerus quod *cum Dolonensis electus contra se sententiam datam audivisset, turbatus, nec immerito, ac tristis plurimum, ad præsentiam Domini papæ accessit, & se volens demittere, ipsi Domino papæ Dolonensem ecclesiam resignavit. Cui Dominus papa, cum hoc vidisset, absque mora respondit :* Tu *sponsus es, & te sponsa tua exigit. Illud facere absque nostra licentia quod nolumus tu non potes. Tibi in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut post vocationem sa-*

ctam ab archiepiscopo Turonensi, infra quadraginta dies ad ipsum, omni excusatione posthabita, tamquam ad metropolitanum tuum, recepturus ab ipso munus consecrationis accedas.

Hæc summa totius celeberrimæ controversiæ, cujus hic Acta ex archivis ecclesiæ Turonensis à me edita; debes primùm humanitati eruditi viri Renati *Ouvrard* ejusdem ecclesiæ canonici, qui ea mihi ultro non solum obtulit, sed ut publici juris mea opera fierent non semel hortatus est: deinde Cl. viro Domino *Thomas*, qui eorum custodiam commissam habebat, & pro solita in omnes, sed in nos præsertim benevolentia, ea mecum communicavit. Quamvis autem ex his nonnulla jam sint in generalium conciliorum editione vulgata; ea nihilominus recudere auctores mihi fuerunt viri doctissimi, à quorum nutu & consilio omnes studiorum meorum rationes facile pendent: tum ut tota celeberrimæ litis series habeatur, tum ut quibus desunt Labbeana concilia, nihil hac in materia habeant quod à nobis desiderent. Adde quod nonnulla ope membranæ ms. correximus loca, quæ medica manu indigebant. Quæ vero latam ab Innocentio sententiam sequuntur Acta, ea veluti tot monumenta juri ecclesiæ Turonensis tuendo & confirmando idonea considerari debent. Jam vero quid tandem utilitatis ex eis percipi possit, longe melius ex lectione quam ex oratione mea deprehendent viri litterati. Illud in primis observandum quandiu in ecclesia Turonensi viguerit & perseveraverit antiqua totius ecclesiæ disciplina, ut episcopi non nisi à metropolitano præsentibus omnibus comprovincialibus

episcopis

episcopis ordinarentur. Quanta vero suffraganeorum à metropolitano non solum, sed etiam ab ipsius ecclesia esset dependentia; ex his actis facile disces, cum vacante sede archiepiscopali, suffraganeæ ecclesiæ pastore destitutæ, proprium sibi eligere episcopum non possent absque permissu Capituli Turonensis, cujus erat electum confirmare & ipsius ordinationi diem præfigere. Eamdem in ecclesia Rotomagensi & in Remensi disciplinam invehere conati sunt Summi Pontifices, ut constat ex bulla Lucii papæ III. & ex epistola ecclesiæ Remensis ad Rotomagensem, quas inter nostri Francisci *Pommeraye* schedas repertas his actis eam ob causam subjicere duximus alicujus operæ pretium. Hinc Chronicon Rotomagense ad annum 1234. *Post decessum Richardi Ebroicensis episcopi, quondam abbatis Beccensis electus fuit Radulfus* de Chierres *archidiaconus Ebroicensis in episcopum Ebroicensem, qui præsentatus fuit Capitulo* Rotomagensi*, vacante sede, & examinatis tam electione quam electi persona à Capitulo, prout conveniebat, ab eodem capitulo confirmatus, in ecclesia* Rotomagensi *de mandato Capituli ab Th. episcopo Bajocensi fuit ordinatus in ordinibus Septembris, & in crastino consecratus ab eodem.*

III. Varia Concilia.

Sequuntur VARIA CONCILIA, quæ alicujus utilitatis esse poterunt tum ad illustrandam historiam, tum ad mores in melius informandos. Primum locum tenet concilium apud Bonoilum villam anno 854. celebratum ad confirmanda præsertim Anisolensis monasterii privilegia, quæ acriori, quam forte par erat zelo subvertere conabantur episcopi Ceno-

manenses: adeo ut Caroli Francorum regis, libertates & immunitates præfati monasterii tam à se quam à suis prædecessoribus confirmatas temerari ægre ferentis animum commoverint, atque ut securos in posterum à Cenomanensis antistitis jugo redderet monachos Anisolenses, jussit regni sui præsules apud Bonoilum villam congregari, qui visis omnium fere regum Præceptis, monasterii jura intemerata permanere debere sanxerunt, propriisque subscriptionibus firmaverunt. Verum qui Aldrico in sede Cenomanensi successit Robertus episcopus, concilii nostri decreto parere cum sprevisset, ad sedem Apostolicam confugit, auctoritate & favore, quo apud Nicolaum papam pollebat, fretus. Is susceptis episcopi querelis, urgentes ad Carolum regem, ad episcopos Galliæ, & ad monachos ipsos, dedit epistolas; quæ alteri Gallicanorum episcoporum concilio in loco *qui dicitur Pistis* convocando locum præbere potuerunt, *quibusdam* propter Summi Pontificis auctoritatem monachorum *privilegio renitentibus*. Verum *inspectis rursum auctoritatibus priorum & recentiorum regum, approbatum & confirmatum est ab omnibus, & decretum, ut absentes & eorum qui obierant successores, idipsum subscriptionibus propriis roborarent.* Sed & ipse Nicolaus de rei veritate per Carolum regem certior factus, Robertum episcopum compescuit, & monachorum privilegia apostolica auctoritate confirmavit, datis amplissimis ad episcopos Galliæ litteris, quas refert Sirmondus in conciliorum Galliæ tom. 3.

Concilium Viennense MLX. tempore Nicolai papæ II. celebratum adversus Simoniacos, qui illa tempe-

ſtate eccleſiam fœde deturpabant, à Stephano S. R. E. cardinali & Sedis Apoſtolicæ in Gallias Legato coactum fuiſſe conjicimus, ut Herimanni Viennenſis eccleſiæ antiſtitis ſceleribus remedium aliquod afferri poſſet: unde & propter ſimoniam aliaque crimina à ſua ſede deturbatus eſt, quem etiam poſtea inpœnitentem Gregorius VII. in ſynodo Romana anno MLXXVI. excommunicavit his verbis: *Viennenſem epiſcopum Herimannum juſte depoſitum pro Simonia, perjuriis, ſacrilegiis, & apoſtaſia, quia Viennenſem eccleſiam infeſtare non deſiſtit, excommunicamus: Et eccleſiis Romanenſi & S. Irenei Lugdunenſi, quouſque eas occupaverit, divinum interdicimus officium.* Hujus concilii tres tantum canones nobis repræſentat codex ms. monaſterii S. Albini Andegavenſis, quos altero poſt menſe in concilio Turonis celebrato idem Stephanus renovavit.

Antiquas Normannorum conſuetudines & juſtitias nobis ſuppeditavit ms. codex bibliothecæ S. Michaelis in periculo maris. Hæ ſub VVillelmo Anglorum rege anno MLXXX. confirmatæ fuerunt in concilio apud Lillebonam, cujus decretis in Michaelino codice uno tenore ſubjiciuntur, ut mirum ſit ab Orderico Vitali qui ejuſdem concilii canones in Hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro V. inſeruit atque ab aliis conciliorum collectoribus prætermiſſas fuiſſe. Initium tamen à collectore aliquot poſt annis aſſutum fuiſſe videtur, cum jam obiiſſet VVillelmus primus Anglorum rex qui anno 1087. diem clauſit extremum, & regnaret filius ejus Villelmus.

Ex eodem codice proferimus canones concilii

Remensis sub Eugenio III. & Turonensis sub Alexandro III. in editis hactenus prætermissos. Concilium Remense anno MCXLVIII. adversus Gilbertum Porretanum Pictavorum antistitem celebratum fuit, cujus canones omnes in conciliorum ultima editione vulgatos, præter V. IX. & XII. exhibet codex noster, iisque insuper XVI. quos hic damus, adjecit. Concilii Turonensis canones decem post Guillelmum Neubrigensem ediderunt Binius & Johannes *Maan* Turonensis ecclesiæ canonicus & præcentor, quibus undecimus canon accessit in editione Labbeana, sua prolixitate alios decem pene superans, qui etiam in nostro codice cum aliis novem, quos hic proferimus, reperitur, sed ex editis nonnullos omittit.

IV. Antiqua Statuta Synodalia Ecclesiæ Constantiensis in Neustria.

STATUTA SYNODALIA ECCLESIÆ CONSTANTIENSIS in Neustria Turonis reperi descripta ex veteri codice ecclesiæ B. Mariæ de Guencampo diocesis Trecorensis in minori Britannia propria manu Clarissimi viri Petri Menardi civis Turonici, quem paucis ab hinc annis è vivis ereptum dolent viri litterati. His in statutis cum multa observatu digna occurrant, illud in primis considerandum est quod capite 32. decernitur de faciendis hostiis ex *frumento cum manu* electo. Quanta fuerit hac in re veterum monachorum religio fuse descripsimus in libro 2. de Antiquis monachorum ritibus. Verum hanc circa materiam sacrificii præparandam sollicitudinem non unam fuisse monachorum, sed clericis omnibus communem demonstrant hæc statuta. Id quod amplius confirmat Anselmus Havelbergensis in lib. 3. Dialogorum cap. 18. *Apud religiosos latinos per manus dia-*

Spicil. tom. 13.

conorum, & ex electis granis, & mundissima simila, in sacrario ad futuram hostiam præparantur. Sed & illud singulari attentione dignum videtur quod cap. 62. de Extrema-unctione aiunt: *Doceant sæpe sacerdotes hoc sacramentum posse iterari.* Hæc nimirum illis temporibus maxime necessaria erant, propter erroneam quorumdam opinionem, qui Sacramentum Extremæ-unctionis repeti non posse affirmabant, de quibus videsis quæ à nobis dicta sunt in lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 7. art. 2.

V. Statuta antiqua monasterii S. Audoeni Rotomagensis.

ANTIQUA STATUTA insignis monasterii S. Audoeni apud Rotomagum, suppeditavit mihi vetus codex ms. ejusdem monasterii, in quo ad calcem Regulæ S. Benedicti subjiciuntur. Illo edita tempore videntur, quo integra adhuc & sana vigebat in eo observantia, nihilque plane continent quod ad monachos bene & religiose instituendos non conferat.

VI. Consuetudines Canonicorum Regularium de Monteforti.

CONSUETUDINES CANONICORUM Regularium monasterii S. Jacobi de Monteforti in diœcesi Macloviensi damus ex ms. codice papyraceo bibliothecæ insignis ecclesiæ Turonensis, in quo cum ejusdem monasterii Necrologio continentur. Ex his facile intelliges qualis fuerit prima Canonicorum Regularium institutio, quanta vitæ austeritas, quam dura abstinentia, quam severum jejunium, silentium quam strictum, quam arcta solitudo: adeo ut à Cistercienfium prima vivendi ratione vix in ulla re discreparent, quorum usus etiam his in Consuetudinibus passim inseruntur: id quod ad marginem annotare non prætermittimus. Ingentem hunc austerioris vitæ rigorem hodie compensant Canonici regulares variis erga

proximi salutem officiis ac internarum virtutum floribus, quarum odore universam ecclesiam demulcet Gallicana congregatio reformata. Porro in gratiam lectorum has Consuetudines sub certis distinximus capitulis, quibus suum cuique præfiximus titulum.

VII. Miscellanea epistolarum. Præfat. in Spicil. tom. 6. p. 16.

Non minimum hoc in volumine locum occupant MISCELLANEA EPISTOLARUM ET DIPLOMATUM, quæ *præ omnibus sibi placere* in Acheriano Spicilegio testatus est aliquando Summus Pontifex Alexander papa VII. Cardinalem Bona alloquens. *Nam hæc*, inquit, *singularia sunt, & historia epistolaris omnium certissima est.* Inter alia pag. 15. habes Chartam Roberti Normannorum ducis, cujus uxor Judith cum Villarense monasterium, quod Fiscannensium monachorum erat, in sanctimonialium cœnobium erigere cogitaret, Ebroicensem S. Taurini abbatiam in compensationem monasterio Fiscannensi subjecit, cujus juris postmodum effecta usque ad tempora Gisleberti abbatis Ebroicensis, qui à Fiscannensium jugo eam liberavit, ut discimus ex brevi chronico ms. bibliothecæ Bigotianæ in quo ad annum MCCLV. hæc lego: *Obiit bonæ memoriæ Gislebertus abbas S. Taurini Ebroicensis, natione Gallicus, vixit in regimine monasterii annis xv. Hic monasterium à subjectione Fiscannensium feliciter liberavit: cœnobium muris sumtuosis circumcinxit, capsam deauratam S. Taurini fieri fecit, monasterium & ejus membra intus & extra ædificiis prudenter & utiliter decoravit, vineas & possessiones quamplurimas comparavit & aliis modis acquisivit, vivens religione & honestate pollebat: & in die Natalis Domini in ortu solis, receptis prius omnibus ecclesiasticis sa-*

cramentis, migravit à sæculo, cujus animæ propitietur misericordia Salvatoris, amen, amen, amen. Breve hoc optimi abbatis elogium prætereundum non fuit. Pag. 70. habes insignem Stephani Viennensis archiepiscopi epistolam ad Albericum Ostiensem episcopum & Sedis Apostolicæ in Gallia legatum, cujus ope utcumque conjicere licet cur in Sammarthanorum Gallia Christiana nomen ipsius desideretur in Viennensium archiepiscoporum catalogo. Quia nimirum ob imposita sibi crimina, quibus sese expurgare citatus recusavit, fuit depositus, & postea in S. Rufi monasterium se recepit, ubi litteris suis eum consolatus est Petrus Venerabilis, scripta ad eum epistola 2. lib. 5. Verum hæc nostri hujus voluminis pars maximum decorem accipit ex variis Actis de Captivitate Johannis Francorum regis, quæ Clarissimo viro Domino *Bulteau* Doctori Sorbonico & parochialis ecclesiæ S. Laurentii Rotomagensis Rectori dignissimo, debere me fateor, cujus omnia in me benevolentiæ officia nulla umquam oratio explicare poterit.

VIII. Historia archiepiscoporum Rotamagensium.

HISTORIAM ARCHIEPISCORUM ROTOMAGENSIUM descripsi ex manuscripto codice Domini *le Tellier* monasterii Rotomagensis S. Audoeni magni Prioris, ipsius auctoris tempore exarato. Quis autem auctor ille fuerit, certo nobis non constat, monachum tamen Audoenensis cœnobii fuisse conjicio ex his quæ, de illata à Johanne archiepiscopo vi monachis, in ipso S. Audoeni festo, in sua ipsius ecclesia, refert sub finem. Nam tamquam de re sibi omnino cognita, & cui interfuit loquitur. Hanc autem historiam prosa & metro descripsit: metricam quod nihil singulare con-

tineret prætermisimus, nonnullos tantum versus qui de subsecutis archiepiscopis diversis temporibus postmodum additi sunt, referre contenti, quibus ex alio ms. ejusdem D. magni Prioris duo fragmenta unum de Mauritio, alterum de Odone subjunximus.

IX. Historia eversionis monast. S. Florentii.

HISTORIAM EVERSIONIS MONASTERII S. FLORENTII VETERIS per Britannos & Normannos reperi in ms. codice Salmuriensis monasterii ad calcem libri miraculorum S. Florentii, continetque brevem historiam primorum hujus cœnobii abbatum, sed maxime Sigonis viri sua ætate nulli secundi, qui antea fuerat Majoris-monasterii monachus.

X. Vita S. Adjutoris.

VITAM S. ADJUTORIS ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo descriptam, laboribus multis frustra quæsitam desideraverunt Bollandi continuatores ad mensis Aprilis diem XXX. Hanc ex autographo ipso exceptam dedit mihi noster Julianus *Belaisé*, vir eruditus, qui cum ipse multa hujusmodi antiquitatis monumenta collegerit, ex sua abundantia paupertatem meam ditare voluit.

XI. Historia Belli Italici.

Denique huic tomo finem imponit METRICA HISTORIA BELLI ITALICI PER BRITONES sub pontificatu Gregorii papæ XI. à Guillelmo *de la Perene* auctore coævo gallice conscripta, qui res gestas quibus interfuerat, & quarum forte pars magna fuerat, prout viderat enarravit. Hanc historiam nactus sum in Andegavensis monasterii S. Albini codice tempore ipsius auctoris exarato. Hæc paucis lectores eruditos commonitos volui; quos ut me suis orationibus adjuvent obnixe deprecor, quatenus primum huncce tomum cum Dei benedictione plures alii subsequantur.

ELENCHUS

ELENCHUS
CONTENTORUM IN TOMO PRIMO NOVÆ COLLECTIONIS
PRIMA PARTE.

PARTE II.

MISCELLANEA EPISTOLARUM ET DIPLOMATUM.

Epistola

ñ

FACULTAS SUPERIORUM.

PRÆSIDENS & Definitores Capituli Generalis Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti in Majori-monasterio prope Turones congregati. Librum cui titulus est *Veterum Scriptorum & Monumentorum Moralium, Dogmaticorum, & Historicorum; ad res ecclesiasticas, monasticas, & politicas illustrandas, Nova Collectio*, *studio & opera* D. EDMUNDI MARTENE *presbyteri & monachi ejusdem Congregationis* ab aliquibus nostræ Congregationis Theologis examinatum & probatum, tenore præsentium typis mandari permittimus. Datum in Majori-monasterio die decima tertia mensis Maii anni 1694.

De mandato Capituli Generalis
Fr. SIMON BOUGIS
Definitor & Scriba Capituli.

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis Ludovici XIV. Privilegio anno Domini MDCC. die 16. Maii concesso & in Bibliopolarum codicem die 26. ejusdem mensis relato cautum est, ut Domnus EDMUNDUS MARTENE presbyter & monachus Benedictinus è Congregatione S. Mauri librum, cui titulus est *Veterum Scriptorum & monumentorum, moralium, historicorum, dogmaticorum, ad res ecclesiasticas, monasticas & politicas illustrandas Collectio nova* per quem maluerit typographum, neve alius citra ejus consensum intra sexennium edat, sub pœnis in diplomate expressis.

SANCTI

SANCTI ORIENTII COMMONITORIUM

LIBER I.

QUISQUIS ad æternæ festinus præmia vitæ,
Perpetuanda magis quàm peritura cupis,
Quæ cælum referet, mortem fuget, aspera vincet,
Felici currat tramite, disce viam.
Nam nos, & carnis vitiis, & tempore victi,
Terrenum gradimur, sive doloris iter:
Solaque permixtis hæc sunt modo gaudia votis,
Si, [a] quod non facimus, saltem alii faciant;
Ut quia nunc istud, quod protinus effugit, ævum
Insidis capti degimus illecebris,
Lascivum, miserum, fallax, breve, mobile, vanum,
[b] Heu mala noxarum origo præcipitat.
Omnibus his, raptim quæ sunt moritura, relictis:
Tu forti teneas non moritura fide,
Ergo age da pronas aures sensumque vacantem:
Vita docenda mihi est, vita petenda tibi.
Sed, quo sit melior nostri doctrina libelli,
Et teneat rectas carminis ordo vias:
Te Deus omnipotens & corde, & ore rogare,
Te sine [c] nec linguam solvere, Christe, placet:
Demere qui tenebras revocato lumine cæcis,
Auditum surdis auribus inserere,

a al. quid.

b Hic versus integer deest in editione Delrii.

c Delrius ne male.

Corporis & mentis sævos depellere morbos,
Solvere mutorum qui pius ora soles:
Te penes officium nostri est, & cordis & oris,
Da sentire mihi, da mihi posse loqui:
[a] Nimirum ut nostram vegetent tua munera linguam;
Ac per te de te sit mihi sermo placens.
Mandato [b] conjussa tuo superaverit omnem
Naturam, nostra voce [c] fruens asina,
Et stimulis propria subigentem terga Balaam
Terruerit miro quadrupes alloquio:
Qui magno regis trepidi crebroque rogatu,
Dira super sanctum verba parans populum,
Non potuit propriè motam sibi subdere linguam,
Ore aliud dicens, corde aliud cupiens.
Nam maledicturus nimiè benedicere cœpit,
Impendens aliis ora parata aliis.
Ergo nisi eloquium, sensum nisi, Christe, ministres,
Conatus animæ tu nisi, Christe, regas;
Ora homines omnes & mutæ, & bruta tenebunt;
Quodque etiam possunt, hoc quoque non poterunt.
Principio geminam debes cognoscere vitam,
A Domino indultam cum ratione homini:
Ut: quoniam brutum terreno est pondere corpus,
Est anima afflatu vivificata Dei;
Nullum sentirent animæ dispendia finem,
Esset in hoc fragili corpore vita brevis.
[d] Unam nascendi ratio priùs omnibus affert,
Hanc cura & propriis consequitur meritis.
Nasci non nostrum, nec longum vivere nostrum:
Vitam quæ sequitur vita parare potest.
At licet arbitrio Domini sumamus utramque,
Et neutra obveniat, ni Deus hoc jubeat:
Prima tamen celeri fertur per prona rotatu,
Quæ sequitur [e] totis est data temporibus
In primam ignari nulla mercede venimus,
Altera de summo parta labore venit.
Nascimur ut Dominum cæli, terræque, marisque,
Quæramus toto pervigiles studio;

[a] al. nec mirum.
[b] l. cum jussa.
[c] al. loquens.
[d] Del. Unica.
[e] Del. turris male.

Quærimus; ut quis sit, qualis, vel quantus, agat quid,
Possimus vero noscere judicio.
Noscimus; ut digna compertum laude colamus
Ut vitam tribuat perpetuam; colimus.
Et colimus non [a] thure dato, non sanguine fuso,
Non vino madidi, non epulis gravidi;
Aurum, vestis, odor, pecudes, libamina, gemmæ
Et quæ [b] rara homines vel pretiosa putant;
Ante Deum, ut viles terreno è pondere moles
Ut [c] cœnum, ut sordes, sic inhonora jacent.
Omnia sunt ejus, cujus nos esse fatemur.
Nil proprium est nobis, ipse habet, ipse dedit.
Ecce etenim sancto proclamat in ore prophetæ:
Nolo tuos hyrcos, nolo tuo vitulos.
Et species [d] agri mecum est, & gloria cæli,
Orbis [e] enim meus est, & quod in orbe meum.
Debita solvantur sancto mihi pectore vota,
Hostia me laudis, puraque vox celebret.
Ergo nihil noster poteris prætendere Lector,
Istis quod tibi sit difficile in monitis.
Non longe positum, non est aliunde petendum,
Non re, non sumtu, non opus est precio.
Sufficit ut Dominum mundi, rerumque parentem:
Cujus in arbitrio, vel bona, vel mala sunt;
Censu majori vincentem verba loquentis,
Unum, incorporeum, perpetuumque sacrum,
Omnia complexum, vel semper in omnibus unum,
Corde pio credas, credulus ore roges:
Sed quid sic nudis tantum sermonibus utor,
Tanquam nulla Dei sint super hoc monita?
Nam primum veteri cautum sub lege memento,
Quæ dudum in solidis scripta fuit tabulis,
Quod nunc per Dominum renovat data gratia Christum.
Atque Evangelii vox veneranda sonat:
Ut, quod saxa prius, modo pectora nostra tenerent,
[f] Esset & uberior bis repetita fides,
Affectu toto Dominum, totisque medullis,
Atque [g] tuum toto dilige corde Deum,

a *Del.* ture *male.*

b *Del.* tanta.

c *Del.* cætum *male.*

d *Del.* igitur *male.*

e *Del.* hunc versum ita corrupte legit. Orbis & meus est, & quod in urbe meum.

f *Del.* esset *male.*

g *Del.* tuo.

Et rectè, quid enim poteris tu justius umquam
Obstrictus tantis solvere muneribus?
Qui tibi, cùm limus terrena in fece jaceres,
Demsit perpetui temporis esse lutum:
Qui tibi, quod membris constas, quod mente moveris,
Quod lingua loqueris, quod ratione sapis,
Quod manibus tangis, graderis pede, lumine cernis,
Aure audis, sentis naribus, ore probas,
Ante aliquod meritum, propria pietate ministrat,
Corporis ac animæ sic Pater ut Dominus:
Et non hoc solo contentus munere, [a] quo te
Instruxit membris, sensibus excoluit:
Qui tribuit vitam, largitur commoda vitæ,
Omnibus ut tibi sit prædita deliciis,
Ecce tibi cælum pendet, tibi terra recedit,
Aëra librantur, fluctuat Oceanus:
Noctibus atque dies succedunt, mensibus anni,
Sol splendet, lucent sidera, luna rubet.
Ver varios blandus perfundit germine flores,
Æstas jam gravida fructibus arva coquit,
Autumnus multo madidus, præpinguis oliva est,
Ignibus amotis frigora nescit hyems:
Imbribus arcendis confirmat pendula tecta;
Ignoras ventos domibus oppositis;
Hirtaque lanigeræ depectens terga bidentis
Mollibus involucris algida membra tegis;
Lenia nec desunt nivei velamina lini,
Sunt etiam Eois pallia velleribus:
Illa [b] ferax jacta reddet tibi semina tellus
Hæc celsis carpent [c] Seres in arboribus.
Denique per totum, qui circumvolvitur annum,
Quidquid habes totum dat tibi cura Dei.
Campus messe viret, vestitur palmite collis,
Arbore diversa mitia poma metis,
Et studium impendens fœcundo providus horto
Utile quo libuit tempore sumis olus.
Accendis pinguem quæcunque in lumina pinum,
Nobilibus mensis cerea flamma micat,

a Del. quæ male.

b Del. verax.

c Seres sunt Scythiæ Asiaticæ populi, à quibus nobilis illa lana ex arboribus, ex qua fit sericum, advehi dicitur.

Nec modo terreno tantum ſervire jubetur
Per varios uſus ſubdita terra homini:
Ipſa etiam quidquid fertur prope nubile, quidquid
Alto ſubductum volvitur in pelago.
Nunc fallente cibo nunc texto in retia lino.
Artibus innumeris inde vel inde petes.
Et tibi nunc imo trahitur de gurgite piſcis,
Aëre nunc ſummo decipiuntur aves.
Agmina venanti prorumpunt denſa ferarum
Icta procul jaculis vel laqueata plagis.
Prona petis ferro, canibus fugientia ſiſtis
Contundis frænis ora ferocis equi.
Ad juga panda boves cogis, ad mulctra capellas,
Diſtillant criſpis dulcia mella favis.
De ſaxis gemmas, aurum producis arenis
Lentaque de terris igne metalla coquis:
Gramina diſcernens triſtes medicantia morbos,
Pellis lethiferum ſedulus arte malum.
Quin etiam ut mercem peregrino à littore ſumas,
Et tua des aliis atque aliena petas,
Flumina remigio percurris & æquora velo,
Ibis longinquas abſque labore vias:
Aut ſi formidas pelagus, carpenta movebis,
[a] Teque ſuis ſternet terra notanda rotis.
Tunc ſi [b] jactatum quærit blanda otia corpus
Humida pulvereum balnea ſuſcipient,
Atque cavo tota ſpoliatur veſte lavacro
Marcida perdomitis membra fovebis aquis.
Tot tantiſque bonis Domini tibi munere partis
Quid tandem dignum reddis amore pio?
Aut quibus hæc opibus, quibus & perſolvere donis,
Vel quanto poteris pendere ſervitio?
Nec tamen hæc, Dominus, cujus ſunt omnia quærit,
Sufficit ut Dominum ſervus amatus ames.
Hæc quoque mandati ſuccedit forma ſecundi
Proximus ut tibi ſit ſic velut ipſe tibi es,
Noſco ſalutiferam manſuro munere legem,
Uno quæ cunctis proſpicit officio.

a *Al.* Deque *f.* Seque.
b *Del.* laſſatum.

Nam cum aliena mihi mandatur cura, necesse est
Ut mea mandetur sic quoque cura alii.
Ecce pecus pecudem fœcunda ad pabula ducit,
Ammugit proprio buccula læta gregi.
Murmure respondent qua possunt voce loquuntur,
Inque vicem docilis lambere lingua solent.
Non caret affectu quod fluctibus occulit æquor,
Et volucris volucri est, & [a] fera blanda feræ.
Tum si quando venit quocunque ex agmine [b] prædo,
Fortior invalidos ungue vel ore premens;
Seu volucrum res est, seu res est illa ferarum,
Undique collectis tenditur auxiliis,
Captivam comitem cursu, grege, voce, volatu,
Et si non possunt, eripuisse volunt.
Cumque ita se solo naturæ munere servent,
Quæ nec consilio, nec ratione vigent:
Quid mirum Domini si jussa verenda [c] secutum
Mutua constringet cura hominis hominem,
Atque usu, ingenio, rebus, ratione peritus
Ut sua quæ tua sunt commoda frater agat;
Hinc venit illa placens merito sententia, nectens
Humanum parili conditione genus:
Nec facias aliis quidquid fieri tibi non vis;
Idque aliis facias, quod tibi vis fieri.
Quod genus est hominum, quis sexus, ritus, & ætas,
Quis neget hoc rectum, quis neget [d] esse probum?
Quid non mandatum late complectitur artum?
[e] Plenius hac tradi quid brevitate potest?
Namque ea quæ mala sunt, fieri modo sic mihi nolim
Ut rursum cupiam quæ bona sunt fieri.
Judice non opus est, doctor nec queritur ullus.
De nobis scimus quæ bona, quæ mala sunt.
Gaudebit certe si quis de nocte viantem
Blandus vicinum ducat in hospitium:
Tu quoque sollicitus provisis excipe tectis
Illum, qui sera nocte viator erit.
Veste tegi nudus, sitiens ad pocla vocari,
Esuriens optas ut satiare cibis:

a *Del.* *male* & blanda fera feræ.
b *Del.* prædæ.
c *Al.* sequutus.
d *Al.* hoc facile.
e Totum hunc versum invertit editio Delrii.

Te quoque permoveat proprii par causa laboris,
Divide cum miseris, pallia, pocla, cibos.
Ecce manum poscis lapsus, solatia mœstus,
Auxilium trepidus, consilium dubius:
Id mœstis, dubiis, trepidis, labentibus [a] offers:
In simili causa fac ut ameris amans:
Certè incusari [b] falso de crimine non vis,
Crimine falso, alios [c] insimulasse noli.
Odisti furem; furtum cave: perdere non vis
Per vim quæ tua sunt; nil violenter agas.
Pacta tibi dubio non vis nutare paratu:
[d] Promissam certo tempore redde fidem.
Quæ tibi detraxit velles succidere linguam:
Cura sit ut nullum livida verba nocent.
Mutua cumque petas vis sumere protinùs æra:
Mutua poscentem dextera promta juvet.
Inflatos fastu damnas: depone tumorem,
Quod fugis in celsis nesciat inferior.
Certè [e] si soror est, vel mater, caravè conjunx
Quarum ne vitam fama gravis maculet,
Perpetui curam cauta pietate pudoris
Filius, aut frater, sive maritus agis:
Hæc veneranda tibi si nomine temptat adulter,
Ferrum in vindictam non satis esse putas.
Nonne eadem pœna reus es, si tu quoque furtim
Aggrederis castos sollicitare toros?
Hinc fuit ut Dominus prima sub lege juberet
Pensari paribus crimina suppliciis;
Pro damno damnum, vulnus pro vulnere, dentem
[f] Dente lui raptum, lumina luminibus;
Nec minus ut propriam sub judice redderet audax,
Alterius cuperet qui rapuisse, animam:
Judiciumque reus, non posset dicere pravum,
[g] Pravis decreta est ultio criminibus.
Et licet hæc melius mutavit gratia Christi,
Mitia quæ potiùs quam violenta docet:
Ast tamen est rectum; quicquid jubet ista vel illa,
Seu cito restituas, seu patienter agas.

a *L.* offer.

b *Al.* falso te.

c *Del.* insimulasse time.

d *Del.* commissam.

e. *Del.* tibi male.

f *Del.* Pro dente, atque lui.

g *Del.* patris.

Hoc tamen est melior qui Christo vindice gaudet:
Servet se Domino, quod dédit ille sibi.
Ergo piis votis, & sanctis perfice rebus,
Vita quod hæc præsens, quodque futura probet.
Ut te, quem [a] recte fugiens commendat honestas,
Perpes post obitum gloria suscipiat.
Nam nostris certus monitis, mansura memento
Omnia, nunc stulti quæ peritura putant:
Atque animas, iisdem membris redeuntibus, ipsum
Crede recepturas corporis involucrum.
Ora, color, sanguis, venæ, cutis, ossa, capilli,
Ut nunc labuntur, sic iterum venient;
Non modo quæ tumulis bene [b] condita saxa reservant
Aut arvum solidans pulvis odorque [c] tegit:
Sed dicto citius, firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluviis:
Quod ventus flatu minuit, quod bestia morsu,
Flamma quod [d] exussit, quodque ruina premit,
Totum aderit, totum diversa ex parte coïbit,
Pars volucri, aut pisci, pars laniata feris:
Et quod nunc ætas sensim longæva resolvit,
Id raptim Domini buccina restituet.
Ut, pro factorum meritis, in corpore eodem,
In quo gesserunt seu bona, sive mala;
Scilicet, ad motus animorum carne reversa,
Pœna reos, justos Gloria suscipiat.
Cur autem dubites, cum præcedentia monstrent
Ut tibi venturi sit manifesta fides?
Respice nudatas brumali frigore sylvas,
Jam desperatis luxuriare comis:
Quæ stabat mærens decusso palmite vitis,
Vestitur foliis, fructibus induitur.
[e] Spicæus densis calamus flavescit aristis,
In terra granum quod modo putre fuit;
Et quæ nunc tristi squallebant arva veterno,
Læta novo rident germine, flore [f] rubent;
Ipse etiam, variis conclusus mensibus, annus
Tempore mutato mortis habet speciem:

[a] Del. vitæ.
[b] Al. credita.
[c] Del. tenet.
[d] Del. exussit.
[e] Del: Apiceus.
[f] Del. virent.

Cum

Cùm ver autumno, frigus depellitur æstu;
Utque hominum res est, hoc abit, ille venit.
Hoc tamen æterno, donec Deus annuit, usu,
Inque vicem alterno volvitur officio,
Et dum se longi sequitur rota mobilis anni,
Nascitur & moritur, [a] succidit atque redit.
Nam finis noster finem non accipit, & mors
Qua primò morimur, perpetuo moritur:
Victuro semper motu sensuque manente,
Omnis perpetuo tempore vivit homo.
Vivet homo, fletus ast hic mea verba sequuntur.
Nam puto sic hominis sors melior fuerat
Cum sensu vitæ sensum deponere pœnæ,
Et natum innatis consimilem fieri;
Quàm nunc, peccatis toto dominantibus ævo,
Extingui vitæ, vivere suppliciis.
Nam rogo ne credas diræ ad compendia pœnæ
Quod raptim sontes debita flamma voret.
Ignibus æternis immersos respice colles
subrogatis episcopis, diligenter in archivis Sanctæ Romanæ, cui magna omnipotentis Dei miseratione deservimus, ecclesiæ requisivisse, & multo aliter in exemplaribus epistolarum, quæ à decessoribus meis, beatæ videlicet memoriæ LEONE ac BENEDICTO pontificibus, atque à me Nominoe, & tibi, necnon & archiepiscopo Turonico, & regni tui episcopis missæ sunt, invenisse, quam tu in litteris tuis perhibes; quamvis nec ipse dicas in apicibus tuis, Sanctæ recordationis Papam Leonem Nomenoe consilium vel autoritatem deponendi episcopos tribuisse. Quippe quem constat multifarie multisque modis in hoc aliis quam à certo episcoporum numero fieri præcepisse. Nam Nominoio consulenti quid de Spiritus-sancti gratiam venundantibus oporteret fieri, respondit, *nihil*, inquiens, *præter quod sancti canones super his præcipiunt*, ipsas regulas apicibus suis interserens. Nam qualiter, & à quot, vel à quibus sanxit episcopos condemnari, scribens eodem tempore Britannicæ regionis episcopis, evidenter inter cetera, ut eadem ipsa verba ponamus, decrevit æque præcipiens, *ut omnia sint in conciliis episcoporum. Nam nullam damnationem episcoporum esse umquam censemus, nisi in ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per xij episcopos, aut certe probata sententia per septuaginta idoneos testes, qui tales sint, & qui accusare possint, & prius ad sacra Christi quatuor evangelia sacramenta præstent, quod nihil falsum depromant, sicut nobis Beatus Sylvester & sancta Romana videtur tenere ecclesia.* Quem secutus decessor meus sanctæ memoriæ Benedictus, quia contra decessoris sui decretum, non ab episcopis, sed à laicis episcopos in regione tua cognoverunt temere esse dejectos, multa mœstitia & indignatione repletus, scripsit *quod nulla ratio sineret episcopos sedibus suis pelli, quos duodenarius numerus non ejecerit*: Quorum vestigia & ego quoque sequutus, eadem censui, immo & censeo, & nullam posse episcopos sui honoris sustinere jacturam delibero, quos non constat fuisse à xij. episcopis, præsente primamque sententiam metropolitano episcopo obtinente, cum examinarentur auditos. Qui & si crimen aliud confessi esse dicuntur, potest credi quod vi & formidine fassi tantum, & non confessi fuerunt

quod non fecerant. Qui videbant laicos & sæculares quoque una cum rege contra se conspirantes, quod nec saltem audierant. Si quidem qui ore tantum, & non corde profert quod dicit; non confitetur, sed loquitur; quamvis non videatur justa confessio, quod non legitimo provocatur examine. De GISLARDO autem & AITARDO episcopis, * de quibus scripsisti, multo aliter quam tua referebat epistola in scrinio nostro reperimus. Licet non bene faciat Aitardus, quia denuo consecrat quos Gislardus in in eodem ordine dignoscitur ordinasse. Tamen Aitardus invenitur ante Gislardum episcopatus officium suscepisse. Denique Sanctissimus LEO papa Nomenoe scribens, inter cetera præcipuum virum Aitardum appellat, & hunc sanum sapere, & sanum docere, vivere, ac permanere denuntiat. Gislardum vero tamquam prædicti Aitardi sedulum invasorem denotat. His ergo ac hujusmodi controversiis, ac difficultatibus enumeratis, & ita repertis, habitis, ac compertis; non possumus à regula Sanctorum Patrum, ut à sedis tuæ institutionibus quoque indebite declinare. Sed si vis Dei omnipotentis benedictionem percipere, vel si veraciter nostra consequi præcepta desideras; consilium meum accipe, & quod tibi per hanc paginam indico, libenter adtende. Hortamur enim gloriam tuam, & cum æquivoco tuo sapientissimo Salomone dilectionem tuam ammonemus dicentes: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Hæc quippe sunt præcepta Dei patris tui; & hæc est lex ecclesiæ matris tuæ: videlicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse enim est metropolitanus, omnesque episcopi regni tui ejus suffraganei sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt, qui prædecessores tuos, quia illos ab ipsius cura substraxerant, forti invectione corripere studuerunt; quamvis nec nostra scripta super hac re missa deesse videantur. Cumque coram præsignato Turonensis ecclesiæ præsule, & integro numero collegarum, idest xij, episcoporum, celebrato conventu fuerint ejecti episcopi regulariter exa-

* Nannetensibus.

Prov. 1.

minati, apparuerintque quod canonice fuerint ejecti; ipsis in sua dejectione manentibus, quicumque in locis eorum consecrati sunt, poterunt utique episcopatus honore potiri. Quod si ejecti episcopi insontes fuerint declarati; tunc amotis, qui illis subrogati sunt, ipsi ecclesias suas recipiant. Nam cum antecessores mei Romani præsules, ut ejectionem eorum episcoporum, qui ab ecclesiis suis expulsi sunt, non admiserunt, nec adprobaverunt; nec ipsos, qui eis subrogari possunt, viventibus illis, legitimos episcopos dixerunt. Sane si forte ad Turonensem archiepiscopum mittere dedignaris; stude duos episcopos de expulsis & duos de subrogatis una cum gloriæ tuæ legato ad apostolicam sedem B. Petri transmittere, ubi digna examinatione præmissa, qui legitimi episcopi sint appareat, & suas ecclesias irregulariter non amittant. Nihil enim aliud est quod in præsenti negotio penitus diffiniri possit. Quia vero magna, quis sit metropolitanus, apud Britannos contentio est, licet nulla memoria sit, vos in vestra regione ullam habuisse Metropolim ecclesiam: tamen si libet postquam Deus inter vos pacem & dilectum filium nostrum Carolum constituerit; facile hoc poteritis advertere. Quod si ideo contentiosius agendum creditis; ad nostrum apostolatum destinare contendite, quatenus nostro libramine, quæ fuerit apud vos archiepiscopalis ecclesia luce clarius innotescat, & deinceps omni ambiguitate recisa, quem sequi episcopi vestri debeant, incunctanter agnoscant. Neque enim ecclesias Domini per misericordiam regum & divisiones aliqua pati damna necesse est: cum quantum ex se est, pacem qui prædicant, servare studeant in invicem & in omnes. His ita prælibatis, per nos tuam scire volumus excellentiam, quod si nostris præceptis & monitis obedieritis, & tam de jure metropolitani, quam de renovatione examinis ejectorum episcoporum nos audire studueritis; erit pax & concordia & omnis legitimus ordo in regno tuo. Quod si nos tantum interrogare, & non auscultare decreveris; scandala & discordia & omnis confusio non deerunt tibi in vita tua. Porro legatos tuos quos ad nostrum Pontificium destinasti, dilectioni tuæ commen-

dare curamus; quorum prudentiam & fidem circa vos considerantes, plurimum in Domino gratulati sumus. Deus omnipotens gloriam tuam & claram conjugem tuam cum nobilibus natis, atque cum omnibus qui sub tuo regimine sunt, omni gaudio & benedictione pie circumdet.

NICOLAI I. PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Salomonem Britannorum regem & ejus conjugem.

Recusat mittere pallium Festiniano donec authenticis scriptis de illius jure convincatur.

SALOMONI Britannorum regi ejusque conjugi GYEMBRET.

Proposuerat quidem apostolatus noster per singula gloriæ vestræ suggestionibus respondere; sed utrum fuerint suggestiones quas quidam presbyter & alii Britannicæ gentis homines in scripto nobis detulerunt, apertio ipsius scripti & impressio sigilli, quæ paginæ deerat, nos ambiguos reddit. Unde vestra prudentia curet necesse est jam post hæc sua scripta proprio signo nobis impressa atque.... munita mittere, ut nihil addi, nihil minui, nihil immutari, præter quod à vobis in his inseri jussum fuerit, subdole gerat. Unde, quia quæ postulasse credimini, pia sunt; dilectioni vestræ super his brevi stilo quod divinitus fuerit inspiratum reserare curabimus. Igitur deprecamini nos, ut pallium fratri & coepiscopo nostro FESTINIANO, qui ecclesiæ S. Sanxonis præesse dinoscitur, dirigamus: quod interim ideo non facimus, quia sicut olim nos scripsisse meminimus, ut pro tantæ dignitatis gratia nulla sollemnis videtur causa fuisse, petitio, nec observata postulatio ordine legitimo consequenti. Ergo ut multa prætereamus, acto jam tempore studeas, qui tanti apud nos meriti esse peroptat, & tale opitulante Domino munus adipisci desiderat, scripta illa, quæ ab Apostolica Sede prædecessores ejus in acceptio-

ne pallii perceperunt, transmittere; quatenus eisdem scriptis quæ à prædecessoribus meis data sunt diligenter inspectis, per eorum quoque & nos vestigia inoffensis gressibus incedamus. Mittat etiam & alia scripta pariter, & idoneum ex proprio clero legatum. Scripta siquidem fidei catholicæ documenta, & observandarum Beati Petri apostolorum Principis cathedræ decretalium sanctionum promissa circumferentia: legatum vero qui jurejurando positis super sacrum evangeliorum codicem manibus affirmet, antistitem suum ita credere, atque ita deinceps observaturum esse, sicut illa scripta nobis ab eo missa testari vel continere noscuntur. Quoniam ita est Apostolicæ Sedis auctoritas, & Sanctæ Romanæ, cui Deo disponente præsumus, ecclesiæ irrefragabilis observatio. Is autem qui fuerit, ita properet omni ex parte munitus, ut si necesse est, saltem xxx. hic valeat demorari...... quatinus quod utilitas & mos ecclesiasticus dictat, affectus recedendi non adimat. Ad ultimum..... monemus, ut quotienscumque nobis epistolam vestram mittitis; talem hominem hanc deferentem dirigatis, qui nulla inquietudine stimuletur, sed tandiu apud nos moretur, quousque de quibus consulitis provida consideratione ac sufficienti spatio rescribere valeamus. Datum vij. calendas Junii indictione xiij.

f. diebus...

Anno 875.

NICOLAI I. PAPÆ a EPISTOLA III.
Ad Salomonem regem Britanniæ.

Ejusdem argumenti.

LEctis gloriæ vestræ litteris, quas nostro præsulatui sine impressione signaculi alicujus dirigere visi estis; reperimus in eis vos nobis mandasse, quod & ante vos sæpe mandastis, scilicet ut pallium Festiniano venerabili Dolensi antistiti ab apostolica Sede, cui divinitus præsumus, mitteremus. Sed antequam ad hæc consulta aliqua

a Hæc epistola uti & sequens ad Festinianum in ms. membrana desumta notatur ex *fine Regesti* Nicolai papæ.

rescriberemus, convenerat nobis pro hoc, quod nomen vestrum apostolico nomini scribendo præposuistis, vos modesta increpatione corrigere. Tamen quia apostolica mansuetudo neminem repentina umquam invectione redarguit, & per negligentiam forte scriptoris hoc evenisse utcumque cognovit: distulit vos modo pro meritis coercere: quod tantum volumus emendetis, quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumtiva factione subjacere formidatis. De pallei vero directione, quam dicitis, simulque Turonensi metropoli, sæpius vobis ea quæ rationis sunt scripsimus: sed sicut in litteris vestris relegimus, ad scripta nostra auris cordis non inclinastis intuitum. Restat ergo ut tandem quæ sit apud vos antiquitus metropolis intueamini. Metropolis enim vestra est, sicut dudum vobis significavimus, Turonensis ecclesia, ut sese habent munimenta prædecessorum nostrorum & priorum exempla ostendunt, ad quam vestræ regionis episcopos oportet recurrere, & ejus judicii sententiam, reservata Sedis Apostolicæ potestate, exquirere modis omnibus non detractare. Quoniam reprehensibile esse videtur, ut ob divisionem regni quis sibi talia, qualia inter vos audiuntur, vindicare nitatur. Quapropter, fili mi, ne præbeatis ista volentibus assensum, sed & alios ad verba vestra per exemplum obedientiæ accendatis, & sicut ait Apostolus, humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis. Quia si monitis nostris obedientes exstiteritis omnibus bonis replebimini, & post finem hujus sæculi, regnum quod vivit in æternum, orantibus sanctis Apostolis capietis. Porro si aliquas auctoritates habetis, quæ apud Britannos metropolim fuisse declarent, aut decessorum nostrorum Pontificum quæcumque scripta id ostendentia retinetis; ad nos ea dirigite. Mittat etiam & Turonensis ecclesia nobis similiter si habet auctoritates, quæ illam suffraganeam suam extitisse testentur; quatenus utrisque partibus auditis, inter utramque quæ sit metropolis cognoscamus. Quia sicut vos clamatis; & illa clamat metropolitanatus jura apud Britannos regni istius tenuisse atque tenere. Aut si forte sæpedicta ecclesia aucto-

ritates, aut vestra quas habuit perdidit; amissionis illius modum reserate, aut ex utrisque partibus idoneos præcipuosque legatos, qui sciant plenam de omnibus reddere nobis rationis integritatem, nobis transmittite, ut sicut prædiximus inter vos adjuvante Domino finem ponamus.

NICOLAI I. PAPÆ EPISTOLA IV. Ad Festinianum episcopum Dolensem.

Redarguit eum quod sibi cum debita reverentia non scripserit, mandatque ut Turonensem ecclesiam metropolitanam agnoscat, nisi contrarium scriptis authenticis probet.

Dilectionis vestræ, quamquam sine impressione signaculi nominis alicujus, susceptis apicibus, multo aliter quam Apostolatus nostri monueramus litteris, in eis vos scripsisse, immo egisse cognovimus. Nam in fronte paginæ vestræ vestrum apostolico nomini non veriti estis præponere, temeritate potius quam simplicitate prorsus utentes. Sed cum jam pro hoc ipso factum vestrum reprehenderimus; valde miramur cur non resipiscitis, modum vestrum minime transcendentes, & quo non congruit gressus ducentes: pro quibus sine congrua invectione non jam evaderetis, nisi nos utrum à vobis, an non iidem apices destinati essent, qui signo vestro carere videbantur, intentio dubios redderet, & apostolica mansuetudo correctionis adhuc tempus more solito protelaret; quod tamen evidenter quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumtiva factione subjacere pavescitis. Monueramus siquidem vos, qui pallii usum quæritis Dolensi ecclesiæ destinari, ut scripta illa quæ ab Apostolica nostra Sede prædecessores vestri in susceptione pallii perceperant, nobis direxissetis; quatenus nos eisdem diligenter inspectis, per decessorum nostrorum vestigia * gauderemus: subjungentes, ut epistolæ, quatenus magis creduli redderemur, cum episcopali & regia bulla signatæ, & missus vester idoneus scripta ipsa subsequerentur: sed vos facere

* l. Graderemur.

id distulistis. Postremo contentione apud Britannos, quis fuerit metropolitanus oborta; statuimus ut ad Turonicam sedem, quam metropolim vestram esse plurium judicia demonstrant, recurreretis, aut ad apostolatum nostrum destinare contenderetis, quatenus quæ fuerit apud vos metropolitana ecclesia appareret. Sed neutrum horum perficere voluistis. Quapropter quia Turonensis ecclesia, quantum comperimus, metropolis vestra est, restat necesse est, ut ipsam vestri sequantur episcopi, ipsamque in suis negotiis adeant, & ipsius judicium exquirere non detractent, sicut se habent monumenta decessorum nostrorum pontificum, & priorum exempla evidenter ostendunt. Quia vos qui tantum septem episcopos habetis, quæ causa ecclesiasticæ traditionis vos sinat habere metropolim ignoramus: præcipue cum episcopus non à septem, sed à duodecim audiri præcipiatur, & cum alicujus negotii inter vos causa ventilanda emerserit, quæ duodenario numero episcoporum debeat audiri, cum ob divisionem regni vicini non possint vocari antistites, unde fit ut damna ecclesiæ pro talibus generentur, quemadmodum factum in illis de episcoporum dejectione reminiscimur regionibus. Vos tamen ne vocemini Metropolitanus quousque scripta decessorum vestrorum præsulum quæ in acceptione pallii vestri perceperunt prædecessores nobis mittatis: quia si pallii munus ab hac Sancta Sede vestra promeruit ecclesia, sine scriptione aliqua, quam in archivis vestris recondere debuistis, tantæ dignitatis donum concessum minime vobis fuit. Scripsistis præterea nobis ut hujus Romanæ sanctæ ecclesiæ præsul SEVERINUS [a] RESTOALDUM decessorem vestrum, sicut in nostris legitur gestis, in archiepiscopum consecrasset, & Adrianus cuidam [b] JUTHINAELO pallium dedisset. Sed nos utrorumque gestis revolutis, nihil in eis super his penitus valuimus reperire. Tamen ut anceps intentio è medio auferatur, si adeo contentiosius agere vultis, ut Turonensem sedem vestram metropolim non esse dicatis; sancimus, ut diximus, mandantes fratri & coepiscopo nostro HERALDO, qui ei præsidet, ut ad nostrum pontificium legatum suum transmittat; cum eo strenuos vestros

a *Al.* Bestovaldum.

b *Al.* Junemeno.

vestros dirigatis legatos, pariterque scripta quæ protulimus destinantes, quatinus utrisque partibus coram nobis auditis, æqua lance causa librata, quæ sit apud vos metropolitana ecclesia, luce clarius agnoscatur. Datum xvi. calendas Junias indictione xiv.

Anno 866.

ADRIANI PAPÆ II. EPISTOLA I.
Ad Herardum archiepiscopum Turonensem.

Ut Actardo Nannetensi episcopo ejecto monasterium, quod in ejus diœcesi olim tenuerat, concedat. Et quod Britonibus contra ipsius ecclesiæ privilegia nihil sit concessurus.

ADRIANUS episcopus Servus Servorum Dei HERARDO archiepiscopo Turonensi.

Miserias & diras calamitates Actardi communis fratris & coepiscopi non est exponendi tuæ reverentiæ ulla necessitas. Quippe cum ipsa, utpote in his socia, & pene semper contigua, earum liquidius nobis experientiam habeat, ut sicuti de sanctimonia sua credendum est: immo, ut ipso antistite referente comperimus, ejus continuis ærumnis non modice compassa sit & miserta. Verum quia nostris sæpe & apud dilectionem tuam litteris adjuvari, & apostolorum principum, quorum præsidia tanto labore tantoque studio requisivit, amoris intuitu sibi quamdam proprie voluit consolationem conferri: caritatem tuam his hortamur & deprecamur apicibus, ut inter alia beneficiorum tuorum sibi collatorum insignia, monasterium illud quod olim in diœcesi tua tenuisse dignoscitur, tua nunc consequatur ob amorem jam memoratorum apostolorum largiente benevolentia: quatenus qui suis valde destitutus esse comperitur, hinc saltem alienis sustentationibus adipisci queat suæ vitæ subsidium. Quod te negaturum profecto non credimus, si quam sit à fratre frater adjuvandus intenta mente consideres; si quam sit indignum, ut quod à benignitate tua intuitu tantorum apostolorum dilectionis deposcitur, petitor minime consequa-

tur, ſolerti ſicut decet perpendet induſtria. De his vero quæ de eccleſiæ tuæ vel diœceſeos privilegiis idem venerabilis ACTARDUS ſuggeſſit, Salomoni duci & populo Britannorum ſufficienter deſcripſimus: quod etiam in exemplari quod ſecum idem deferet, experientia tua quibit agnoſcere. Nihilque quod contra rationem poſtulabunt, ſi fortaſſis ad nos eorum aliqui venerint, agnoveris eos à nobis opitulante Domino fore penitus adepturos. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data octavo Idus Martias, indictione prima.

Anno 868.

ADRIANI PAPÆ II. [a] EPISTOLA II.
Ad Salomonem regem Britannorum.

Mittit ei brachium Leonis Papæ III. palliumque Dolenſi antiſtiti.

DIlectiſſimo filio amantiſſimoque SALOMONI Britanniæ duci cum omnibus ſuis fidelibus ADRIANUS nutu Dei Papa perennem in Domino ſalutem.

Sublimitas veſtræ poteſtatis intelligat, nos veraciter per inducias ſeptem dierum à Deo poſtulaſſe condignum veſtræ petitionis reſponſum. Tranſactis autem ſeptem diebus nobis & omnibus Romanis in oratione & jejunio perdurantibus, viſum eſt mihi & tribus meis cardinalibus, Spiritu-ſancto revelante, ut de corpore B. LEONIS papæ vobis tranſmitteremus, quia grande munus eſt. Igitur notum vobis ſit, fili cariſſime, omnibuſque chriſtianis illic habitantibus, quod nos cum noſtrorum auctoritate Brachium ſupradicti Leonis papæ ad illuminationem, adjutorium, & defenſionem veſtræ regionis caritative dirigere-

[a] Hæc epiſtola extat in Britannica Argentræi Hiſtoria, eſtque maxime dubiæ fidei. Eam in ea concluſione quæ agit de pallio, falſam & ſuppoſititiam atque à quodam P Clerico Dolenſi confictam declarat infra Innocentius III. in definitivâ hujus litis ſententia. Sed & Dolenſes citati, ut originales illius litteras proferrent, reſponderunt: *Regeſtum ipſius Adriani nondum potuimus invenire, nec bullam bis habemus.* Quæ verba in membrana Turonenſi huic præfiguntur epiſtolæ: quæ tamen extat in optimæ notæ Chartulario Rotonenſi, ſed ſine prædicta concluſione.

mus. Pro certo enim per illum probavimus Dominum fecisse multa mirabilia. Et ut fides vestra magis ac magis in illo accrescat, ipse est sanctissimus Leo, qui per invidiam Romanorum oculis linguaque privatus, gratia Dei operante fuit mirabiliter restauratus, quatenus septempliciter eisdem oculis clarius videret, & eadem lingua verbum Dei eloquentius prædicaret. Ideoque auctoritas Romana in eo de Deo præsumit, ut omnes à Ligeris fluvio quos aut ætas aut sexus aut persona impedit, tribus vicibus reliquias illius in anno frequentent; & inde votum Romam eundi, quod voverunt, nostro libitu & auctoritate adimpleant. Pallium quoque, quod fratri & coepiscopo nostro Festiniano postulastis cum privilegio suo vestræ dirigimus caritati. Valete in Christo fideles Britanniæ habitatores.

JOHANNIS PAPÆ VIII. EPISTOLA I.
Ad episcopos Britanniæ.

De ordinatis ab Heclocaro abbate monachis.

JOHANNES Romanæ Sedis episcopus dilecto atque præclaro filio MAINO [a] archiepiscopo, nec non & cæteris episcopis per Britanniam commanentibus salutem & apostolicam benedictionem.

Notum sit vobis quomodo RESGALLON & CORVILI cum aliis monachis corpora apostolorum visitarunt, nostraque in præsentia venerunt. Postea de illorum ordinatione & aliorum monachorum per ignorantiam ab HECLOCARO abbate accepta judicavimus, ut si ipse indigne usurpavit, qui à nemine illius officii ordinatore minime acceperit; istis tamen...... ordinatio, quia mali possunt bona bene ministrare, cum sint nequam. Ille vero amplius neminem ordinet quousque..... nodis solutus. Hos

[a] Merito Turonenses in responsis ad objecta Dolensium asserunt scriptoris incuria nomen archiepiscopi irrepsisse in titulo hujus epistolæ; idque arguit titulus sequentis, ubi Dolensis episcopus solum nominatus.

ſuademus de cetero ſuam procurantes regulam, ut fratres ac filiis * alacriter omni occaſione poſtpoſita in ſuo monaſterio recipiant, ac deinceps bonum erga ſe ſtudium ſuoſque ſubjectos faciat, ut..... niorum ſui gregis ſit ſparſor, & ne noſtris iterum auribus de illo proclametur, ut regularite..... judicabit.....

* f. filios.

JOHANNIS PAPÆ VIII. EPISTOLA II.
Ad epiſcopos Britanniæ.

Arguit eos quod à Turonenſis archiepiſcopi juridictione ſe ſubduxerint, præcipitque ut ei deinceps pareant.

MAHEN Dolenſi epiſcopo, nec non & omnibus epiſcopis Britannicis, ſeu univerſis ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus.

Sanctitatem ſeu fidelitatem omnium noſſe volumus, quia dum Trecis ſynodum celebraremus, ſuggeſtione ADALARDI Turonenſis archiepiſcopi conſacerdotis noſtri audivimus, quod vos matrem veſtram Turonenſem eccleſiam deſpicientes, ſecundum antiquam conſuetudinem illi obedire diſſertis, & privilegium à B. Petro apoſtolo illi ſupra vos conceſſum frangere conamini, debitumque honorem ipſi archiepiſcopo veſtro obſervare negligitis, & malum ſupra malum addentes, prædicto capiti veſtro prædia auferre non formidatis. Inter hæc etiam & præfato antiſtite narrante, & aliis coepiſcopis ſimiliter conferentibus, audivimus, ut vos non antiquo more à veſtro Metropolitano conſecrati fuiſſetis, ſed expulſis legitimis epiſcopis de ſedibus, ſola potentia ducis veſtri alter ab altero conſecratus fuit, quod mirati fuimus; &, ſi ita eſt, tantum nefas delebimus, & vindictam niſi ſatisfeceretis, nihilominus dabimus: quia non paſtores, ſed invaſores fuiſſe cernimini. Quapropter monemus apoſtolicaque auctoritate expreſſe præcipimus, ut ad cor redeuntes ad matrem veſtram Sanctam Turonenſem eccleſiam revertamini, & ſecundum antiquam conſuetudinem illi obedire ſatagatis, &

Anno 878.

de perpetrato hactenus ipsi vestro archiepiscopo ADELARDO misericordiam quæratis, quatenus super omnibus negligentiis apud summum arbitrum veniam habere possitis. Quoniam si aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihilominus feriendi, & à nostra communione modis omnibus alienandi, & omnis vestra ordinatio à summa sede, apostolica scilicet, respuenda.

JOHANNIS PAPÆ XIII. EPISTOLA, Ad universos episcopos Britanniæ citerioris.

Vetat ne Turonensi archiepiscopo resistant donec ipse de eorum controversia judicium tulerit.

JOHANNES Servus Servorum Dei, episcopus Romanæ urbis, in Christo fratribus universis episcopis citerioris Britanniæ salutem in Christo & visitationem.

Quia vice Beati Petri apostolorum principis, Domino Deo dignante, omnium ecclesiarum curam suscepimus; sollicitudinem, qua uniuscujusque fides integra in eodem Domino reservetur sine qua nullus ei placere valebit, ubique severe observare debemus. Ideoque notum sit vobis, quoniam carissimus frater noster ARDUINUS sanctæ Turonensis ecclesiæ archiepiscopus, veniens ad Apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura sui archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta sanctorum Pontificum sanctæ Romanæ matris ecclesiæ suis prædecessoribus concessa & confirmata fuerunt, à vestro archiepiscopo & suis decessoribus per violentiam & paganorum Normannorum contrarietatem sublata videntur. Unde apostolica auctoritate vobis sciatis interdictum, ne illius ullo modo juri resistatis deinceps, de omnibus quæ prædictus archiepiscopus confirmat archiepiscopatui suo pertinere debere, quousque ille vester archiepiscopus aut aliquis ex vobis cum Arduino archiepiscopo sive cum suo suffraganeo vel alio fideli misso ad nostram sanctam matrem ecclesiam veniat, ut ibi præcognitis causis inter vos

& illum, quod æquum comprobabimus, diffiniatur ad laudem Dei & Domini nostri JESU CHRISTI. Quod si aliter quam jubemus contra voluntatem ejus feceritis; cognoscatis vosmetipsos Dei & Beati Petri principis Apostolorum per nostræ humilitatis mandatum auctoritate excommunicatos ab omni ecclesiastico officio. *Hic desinit membrana Turonensis: quæ sequuntur, adduntur in editis.* Quod si vero debitam reverentiam circa prædictum fratrem nostrum observare vobis placuerit; secundum justitiæ decretum à sancta Romana ecclesia statutum permaneatis cum Dei benedictione in unitate nostræ catholicæ communionis. Interea sciant regni vestri homines, maxime nobiliores, Berengarius cum ceteris majoribus, ut si contra justitiam inobedientes fuerint, huic nostræ jussioni, & contrarii seu rebelles extiterint prædicto fratri nostro Turonensi episcopo; sint & ipsi excommunicati, & nostra benedictione apostolica privati.

LEONIS PAPÆ IX. EPISTOLA
Ad principes Britanniæ.

Sententiam pro Turonensi ecclesia adversus Dolensem pronunciat, resistentes & simoniacos atque ab eis ordinatos excommunicat.

LEO Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Dei papa E. Brittonum principi & ANALO comiti & ceteris principibus Britanniæ secundum Deum vivere volentibus vita & salus.

In scriptis veterum reperimus omnes episcopos tuæ patriæ archiepiscopo Turonico subjectos esse debere. De qua re NICOLAI papæ temporibus, & JOHANNIS, LEONISque, & ceterorum quorum nomina inserere longum est, clamor factus est. Ex quibus Nicolaus papa litteras Salomoni regi Brittonum direxit, in quibus præcipit, ut omnes suæ patriæ episcopi Turonicæ ecclesiæ subjecti sint. Alii vero Apostolici eosdem Apostolica auctoritate ob id excommunicaverunt. Ad nos quoque in Remensi concilio

clamor hujuſmodi delapſus eſt: quos ſtatim ut ipſe veſter archiepiſcopus cum ſuis ſubjectis Romano concilio præſens adeſſet, non ſolum de hac cauſa redditurus rationem, ſed etiam de hoc quod ſimoniacus cum ſuis ſuffraganeis eſſe comprobatur & exlex, quærens quæ ſunt mundi, non quæ Jesu Christi. Legatos etiam Turonici archipræſulis adeſſe præcepimus, legati Turonici adfuerunt, veſtrates pontifices cum ſuo capite ſe ſubtraxerunt. Nullo itaque modo probare potuimus illum veſtrum præſulem archiepiſcopum eſſe debere; præſertim cum archiepiſcopus ſine ſede civitatis, ſine pallio archiepiſcopali non poſſit haberi. Excommunicamus omnes hos de quibus ſermo eſt ex auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ſanctique Petri & noſtra, non ſolum propter hanc præſumtionem, qua ſubjici Turonicæ eccleſiæ dedignantur, ſed etiam propter ſimoniacam hæreſim qua polluti ſunt, & ordinatos à ſe contaminare videntur, tali ratione, ut divinum officium non peragant, neque audiant, neque benedictionem tribuant. Simili etiam ſententia ab eis ordinati feriantur. Tibi autem, cariſſime fili, mandamus, ut te ab eorum conventibus cum omnibus fidelibus ſubtrahas, deinde eos commoneas ut noſtris præceptis obſecundent, ſimoniacam hæreſim deponant, ſecundum Deum vivant. Et hoc te auctoritate hortamur apoſtolica, ut per totum regnum tibi commiſſum pacem facias, juſtitiam diligas, ſubditos pie regas. Turpe eſt enim, ut cum unus ex maximis Galliæ principibus habearis, naturalibus ſis vitiis ſubjugatus. Et ſi ſecundum Deum te vivere audiero; bonumque exemplum præbere ſubjectis, benedictione S. Petri & noſtra donaberis. Sin aliter egeris, & excommunicatis te adjunxeris; ut illi, noſtra auctoritate excommunicatus ſis. Quod ſi veſter archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis de hoc quod Turonicus pontifex clamat, deque ſimoniaca hæreſi excuſare ſe rationabiliter voluerint; Vercellenſi concilio Calendis Septembris futuro præſentes ſint, noſque ibi, ſi Deus permiſerit, erimus cauſas eorum audituri. Vale.

STEPHANI CARDINALIS EPISTOLA Ad J. Dolensem antistitem.

Citat eum ad concilium Turonense.

STEPHANUS Petri apostolorum principis & sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis J. Dolensis ecclesiæ dicto archiepiscopo resipiscere, & ad viam salutis & emendationis redire.

Domnus meus Pontifex summus & universalis papa Nicolaus te quamvis rebellem, & monitis salutaribus aversum, nequaquam tamen paterna & consueta Romanæ ecclesiæ misericordia indignum judicavit; sed missa, si tamen ad te pervenit, legatione, ad synodum quæ antiquo more Romæ post pascha celebrabitur, adhuc resipiscendi locum donans, evocavit; sed & post datas ad te litteras secundum consilii sui providentiam, & temporum eventuumque necessitatem, me ad has partes destinavit, & ut quæ possem in ecclesia Gallicana, Deo adjuvante, conciliis ceterisque laboribus emendarem, vices suas mihi tradens injunxit. Unde apud Turonem Dominica ante mediam quadragesimam synodum indixi, ad quam Domnum meum sollicitudine, & mediocritatem tuam sumptibus & labore levans, sancti Petri ejusque vicarii mihique tradita auctoritate te convoco, & ab omni periculo quod tibi ex parte principis civitatis ejusdem evenire possit, securum facio. Quod si nec ad nos nec ad Domnum meum in dictis terminis venire volueris; vindictam absque misericordia senties ecclesiasticæ districtionis. Exemplar etiam mitto epistolæ hujus potestatis à Domino meo mihi traditæ.

GREGORII

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA I.
Ad VVillelmum regem Anglorum.

De simonia, luxuria, & depositione Johonei Dolensis episcopi, & ordinatione Eveni in ejus locum.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei excellentissimo filio VV. glorioso regi Anglorum salutem & apostolicam benedictionem.

Compertum esse celsitudini tuæ non dubitamus, quod dictus episcopus Dolensis ecclesiæ, quæ Britannicæ provinciæ principalis est sedes, suæ salutis immemor, & sanctorum canonum decreta conculcans, eamdem ecclesiam per simoniacam hæresim impudenter invaserit, & prolixo jam tempore oppresserit violenter. Datis namque comiti ALANO copiosis muneribus, quæ usque hodie ad probamentum prius nequitiæ in propatulo extant, non per ostium in ovile Christi; sed ut fur & latro aliunde irrepsit: qui etiam nec hoc scelere contentus, iniquitatem super iniquitatem apposuit; & quasi simoniacum esse parum & pro nihilo deputaret, Nicolaita quoque fieri festinavit. Nam in ipso tam perniciose adepto episcopatu nuptiis publice celebratis, scortum potius quam sponsam ducere non erubuit, ex qua & filios procreavit, ut qui jam spiritum animarum corruptorem per simoniaca commercia prostituat, per fœdæ libidinis incestum corpus suum ita in contumeliam diabolo consecraret; & sic in eo nullus locus superesset conditori; quem intus exteriusque obligatum totum sibi adversarius non vendicasset. Nec tamen huc usque malitiæ conatus substitit; sed atrocissimum facinus turpissimumque flagitium horrendo etiam sacrilegio cumulavit. Nam adultas ex illicito matrimonio filias, prædiis ecclesiæ & redditibus nomine dotis collatis atque alienatis scelere immanissimo, maritavit. His iniquitatibus coopertus, eamdem tamen ecclesiam dilaceratam dissipatamque, si liceat, incubare molitur. Quibus de causis celsitudo tua

Johoneus.

noverit illum jam beati Petri apostoli spiculo perfossum, & nisi sceleris resipuerit anathemate mortifero esse damnatum. Quapropter paterna caritate te ammonere, & causam breviter exponere studuimus, ne fortasse per ignorantiam tam scelesto homini tandiu in tenebris suis jacenti ulterius auxilium præbeas, neve sceleris ejus te participem facias; sed Sedi Apostolicæ nostrisque monitis modeste parendo illum à te repellas; vel etiam ut tandem aliquando sibi consulat, atque ad remedium pœnitentiæ confugiat, blande suadendo, si poteris, inducas. Nam tales in malo perseverantes fovere & adjuvare nihil est aliud quam iram Domini contra se provocare. Nos vero supradictæ ecclesiæ afflictionem diutius non ferentes, Deo inspirante, virum vitæ probabilem & compertæ religionis inibi ordinavimus, & consecravimus, videlicet S. Melanii abbatem, qui cum ob alias causas quas explicare prolixum est, ad nos venisset, pontificatus onus, ex insperato subire compulsus est. De quo confidimus in Domino, quia si ut desideramus litterisque nostris multipliciter implorare curavimus, principum terræ bonorum virorum gratiam & studia habere meruerit, Domino cooperante, sub beati Petri patrocinio ecclesiam in melius restaurabit.

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA II. Ad Clerum & populum Dolensem.

Significat Evenum loco juvenis cujusdam electi se eis ordinasse præsulem.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei clero & populo Dolensi, fidelibus S. Petri salutem& apostolicam benedictionem.

Misistis ad nos quemdam juvenem, petentes à nobis illum vobis ordinari pontificem: cui quidem petitioni quoniam sacri canones contradicunt, assensum præbere minime potuimus. Nos denique cognoscentes ecclesiam vestram diu nequissimi pervasoris tyrannide oppressam, ex debito

& nostri officii consideratione, apostolico fulti præsidio, prout valemus in Domino, reformare cupimus. Quapropter ejusdem juvenis rogatu, assensuve sociorum ejus, Sancti Melanii abbatem EVENUM nomine, quem ad nos vestra legatione misistis, virum utique, ut vos bene nostis, prudentem, bonis ornatum moribus, omnique religione dignum, vobis in patrem & archiepiscopum consecravimus, monentes & obsecrantes, ut sicut beati Petri apostoli nostrique illius licet indigni famuli gratiam optatis, sic ei, ut patri & rectori, per omnia obedientiam exhibeatis. Datum Romæ v. calendas Octobris indictione xv. incipiente.

Anno 1077.

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA III.
Ad episcopos Britanniæ.

Ut Eveno Dolensi præsuli tamquam archiepiscopo exhibeant reverentiam, donec jura Turonensis ecclesiæ discusserit.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei omnibus episcopis Britanniæ salutem & apostolicam benedictionem.

Non ignorare vos credimus, qualiter Dolensis clerus & populus ad nos direxit juvenem quemdam, satis præclarum genere, ut audivimus, postulantes ut eum illis in episcopum ordinaremus. Cujus causam sicut oportuit examinantes, honestos quidem mores pro modulo ætatis suæ, sed nondum satis maturos aut instructos ad portandum episcopale pondus, in eo probavimus: propter quod onerare eum tam gravi sarcina, nec sibi, nec nobis cautum fore providimus. Deo autem aspirante adinvenimus in comitatu suo personam huic dignitati ætate, scientia, & morum gravitate multo magis congruam: videlicet EVENUM abbatem S. Melanii, quem licet invitum atque obedientia adstrictum cum multa petitione & electione illius & aliorum, qui cum eo venerant, episcopum ordinavimus. Honorem quoque & usum pallii pro vestra & totius provin-

tiæ dilectione ei concessimus, eo quidem tenore, ut opportuno tempore nullatenus se exhibere recuset, ad discutiendam quærimoniam, quam confrater noster RODULPHUS Turonensis archiepiscopus de subjectione sedis illius, & denegata sibi obedientia, jamdiu apud nostram & antecessorum nostrorum fecit audientiam. Quod si ratione & justitia demonstrante, ut ei subjecta esse debeat apparuerit; nos quidem sanctæ Turonensi ecclesiæ jus suum conservari & debitam subjectionem à Dolensi ecclesia exhiberi volumus, & apostolica auctoritate censemus. Usum tamen pallii non minus huic suisque successoribus, donec eorum introitus & vita probabilis fuerit, concedimus atque firmamus. Sin vero ab hujus subjectionis jugo eam absolutam esse legali defensione constiterit, quæcumque sibi dignitatis privilegia de cetero competere visa fuerint, apostolica non denegabit auctoritas; atque interim ut ei sicut archiepiscopo subjectionem & obedientiam exhibeatis præsenti auctoritate constituimus. Hoc itaque pacto eum consecratum & ordinatum ad sedem non humano consilio, sed divinitus ei assignatam remittentes, vobis valde commendatum esse volumus, ut sicut nos in eo caritatem vestram & totius provinciæ principatum honoravimus; ita & vos quam pro eo suscepimus sollicitudinem & pietatis affectum nobiscum suscipiatis; ipsum quidem cum omni honore & reverentia suscipientes, ut & bona ecclesiæ jam per multos annos à sacrilegis dispersa pervasoribus recuperare valeat adjuvantes, quatenus illa sedes olim nobilis & potens ad gloriam pristini decoris, Deo opitulante, vestris reformetur studiis, vestrisque restituatur temporibus. Sic etenim, fratres dilectissimi, vocavit nos Deus & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, ut si in corpore dilecti filii sui membrorum dignitatem obtinere cupimus, ad invicem etiam fraternis affectibus & officiis intimi amoris connexi simus. Agite ergo ut vestra fraternitas erga hunc fratrem & ecclesiam sibi commissam talis existat, quatenus & apud Dominum omnipotentem pro vestræ beatitudinis præmio gloriemur, & inter tot hujus sæculi nequam confligentes turbines, de consolatione vestræ coo-

perationis nos non tantum, sed & mater vestra sancta & apostolica lætetur ecclesia. Data Romæ quinto Calendas Octobris indictione xv.

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA IV.
Ad Rodulphum Turonensem archiepiscopum.

Quod injuste conqueratur de dato Dolensi præsuli pallio, cum ecclesiæ ejus juribus satis providerit.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei RODULPHO Turonensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Quod de consecratione Dolensis episcopi, & concesso sibi honore pallii adversum nos conquereris, pro voluntate potius quam ratione facere videris, qui nos in ea re ecclesiæ, cui Deo volente præesse dignosceris, totius justitiæ locum reservasse cognoscis. Cum enim audivimus principes illius terræ contra antiquam & pessimam consuetudinem pro reverentia Dei omnipotentis & apostolicæ auctoritatis, ulterius in ordinandis episcopis, nec dominium investituræ tenere, nec pecuniæ commodum quærere velle, atque ob hoc ad Apostolicam misisse Sedem, ut in præfato loco juxta Sanctorum Patrum statuta legalis ordinaretur episcopus; devotioni eorum valde congaudendum & petitionibus annuendum dignum duximus. Verum quam caute nos Turonensi ecclesiæ & ejus dignitati providerimus, in litteris illis, quas ad Britannicos principes & episcopos misimus (quod & te cognovisse putamus,) aptissime continetur. Quapropter fraternitas tua sine omni murmuratione discussionem & justam definitionem hujus causæ expectare non renuat: quoniam & quod factum est, consideratione fecimus; & quod faciendum diligenti inquisitione (sicut res magna & ambigua postulat) pertractare & exequi volumus. Neque id in longum Deo volente protelabitur: quoniam si in partes Teutonicorum, prout destinavimus, hoc in tempore transierimus, inde aut nos,

metipsi ad vos pertransiemus, aut tales, qui hanc causam sincera exploratione discutiant atque definiant, mittere procurabimus. Quod si eo modo nostræ dispositionis consilium transigi non posse contigerit, congruo tempore & te & Dolensem episcopum ad præsentiam Sedis Apostolicæ convocabimus, & ibi causam vestram utrimque diligenter examinatam, prout sincera veritas & justitia exquisierit, ad irrevocabilem, Deo favente, finem perducemus. Data in Longobardia in loco, qui dicitur Carpineta. Kalendis Martii. Indictione decima quinta.

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA V. Ad VVillelmum regem Anglorum.

Causam Dolensis episcopi propter scelera depositi retractari permittit.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei VVILLELMO regi Anglorum salutem & apostolicam benedictionem.

Causam unde nos in litteris vestris rogastis, ita jam ad extremum deductam esse putavimus, ut nihil in ea, quod ulterius tractandum esset, restare videretur. Nam cum in Dolensi ecclesia episcopum ordinavimus, ita hunc pro quo Excellentia vestra intervenit ad dejectionem suam ex propriis facinoribus, & ad ultimum ex inobedientia se præcipitasse, non solum per clericos & religiosas personas illius ecclesiæ; sed etiam per legatum nostrum LEUZONEM monachum, intellexeramus, ut magis sibi de malis in ecclesiam commissis, & corruptissima vita sua timendum & plangendum, quam pro recuperatione episcopatus proclamandum, aut quidquam sperandum fore judicaremus. Attamen ne deprecationem vestram sine ea qua oportet cura & benignitate suscepisse videamur, & si aliquis per subreptionem, quod non credimus, nos fefellit, ad inquirendum & corrigendum minus folliciti inveniamur, legatos nostros, videlicet confratrem nostrum HUGONEM

venerabilem Diensem episcopum, & dilectum filium nostrum HUBERTUM sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconum, & ipsum etiam LEUZONEM monachum; si ereptum ab infirmitate poterimus, illuc mittere decrevimus, qui causam diligenti inquisitione discutiant, & si quid in ea dictante justitia mutandum vel emendandum fuerit, consequenti ratione & auctoritate exequi studeant. Nusquam enim hoc negotium rectius aut diligentius, quam in eadem ecclesia pertractari posse videtur, ubi & hic & illi præsentes esse valeant, & vestri etiam interesse fideles; qui rationem & justitiam plene percognitam certis assertionibus vobis indicare queant. Nec dubitamus equidem quin vestra Celsitudo definitioni justitiæ concorditer acquiescat: quoniam, licet in vobis per misericordiam Dei multæ & egregiæ sunt virtutes, hæc tamen est præclara & famosissima, & quæ gloriam vestram Deo præcipue commendat & hominibus, quod justitiam quam vos facere prompti estis, aliis etiam facientibus diligitis atque probatis. De cetero scitote eminentiam vestram, & sæpe cognitam devotionem ejus nobis gratissimam fore, qui & vos ipsos, & quidquid ad gloriam sublimitatis vestræ Deo auctore proficere potest, semper in corde & visceribus nostris cum magno desiderio & affectu intimæ caritatis amplectimur, & ad voluntatem vestram in omnibus quæ apud nos impetrare quæsiveritis, quoad possumus & secundum beneplacitum Dei nos audere cognoscimus, flecti & annuere parati sumus. Quia vero præfatum filium nostrum HUBERTUM ad vos usque dirigere destinavimus; plura vobis scribere non necessarium duximus, quoniam in omnibus quæ ex nostra parte vobis refert, ipsum quasi certissimam epistolam nostram & verba nostra fideliter continentem fore, nec nos dubitamus, nec vestram Excellentiam dubitare volumus. Deus autem omnipotens meritis & intercessione apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum suorum tibi & Serenissimæ reginæ MATHILDI uxori tuæ & clarissimis filiis vestris omnium peccatorum vestrorum indulgentiam & remissionem & absolutionem tribuat; & cum vos de rebus mundanis eximi jusserit, ad

æternum regnum suum & veram gloriam suam transire faciat. Data Bibianelli duodecimo Calendas Aprilis, indictione decima quinta.

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA VI. Ad Goffredum Redonensem, &c.

Ejusdem argumenti.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei dilectis GOFFREDO Redonensi, JACERT, GAUFREDO filio Eudonis, nobilibus comitibus Britanniæ salutem & apostolicam benedictionem.

Non ignorare vos credimus, quantam molestiam quantamque perturbationem sustineat Dolensis ecclesia, & confrater noster EVENUS archiepiscopus, quem ibi ordinavimus, ab illo qui prius sedem occupans, ac remordente eum conscientia sua, ut dicitur, expoliatam deserens, nunc injuste se expulsum conqueritur, qua de re cum præfatus archiepiscopus suam nobis exhiberet præsentiam, quam absente illo, qui super eum conqueritur causam discutere nulla ratione potuimus, totum hoc negotium confratri nostro HUGONI Diensi episcopo, cui vicem nostram dedimus, committere necessarium duximus; ut eo tempore & loco illud diligenti inquisitione pertractare ac definire audeat, ubi qui in hac causa utrimque necessarii sint, convenire & interesse valeant. Statuimus enim præfatum confratrem nostrum & vicarium celebrare concilium propter multa & magna negotia, quæ in regno Francorum emersa, apostolicæ auctoritatis examinatione atque judicio indigent, ubi & hoc negotium, Deo auxiliante, definiri volumus atque censemus. Quapropter multum rogamus & commonemus excellentiam vestram, ut huic causæ quantum potestis operam detis, & episcopos necnon religiosos abbates terræ illius, clericos quoque & laicos ejusdem ecclesiæ, qui idonei tam scientia quam religione videantur, ad præfatum concilium, juxta quod vobis significatum

ficatum fuerit convenire faciatis: quatinus opitulante divina clementia, per sinceram explorationem in hac causa quicquid justitia & populi requirat salus evidenter appareat, & decisa penitus hac lite & querimonia, diu & nimium indigne lacerata, quam præfati sumus, Dolensis ecclesia per misericordiam Dei, vestro studio, vestraque juvante & procurante potentia, receptis bonis suis pacem etiam & tranquillitatem recipere, & in statum suæ incolumitatis venire & permanere valeat. Datum Lateranis xi. Calendas Junii, indictione prima.

Anno 1078.

GREGORII PAPÆ VII. EPISTOLA VII. Ad Britannos & Turonenses.

Significat se controversiam de jure metropolitano legatis suis dirimendam commisisse.

GREGORIUS episcopus Servus Servorum Dei omnibus episcopis Britanniæ, clero & populo in Turonensi provincia constitutis.

Notum esse volumus, controversiam inter ecclesiam vestram & Dolensem pestifere ortam, multum nobis in Romana Synodo laborem ingessisse; sed tamen Deo miserante post longam discussionem quam justius potuimus, hanc quæ subsequitur definitionem invenisse. Archiepiscopus siquidem vester ecclesiam Turonensem jus suum in Britannia perdidisse conquerens, Romanorum Pontificum auctoritatem in medium duxit, quæ perspicue probat Britanniam Turonensi ecclesiæ, quemadmodum spirituali matri & metropoli suæ, subjectionem debere. Dolensis vero episcopus non solum auctoritatem audientiæ nostræ non exhibuit; verum etiam ipsa verba sua ad defensionem prolata nulla certitudine, cui fides danda esset fulta videbantur. Tamen quia in patria sua quamdam auctoritatem se reliquisse asserebat; visum nobis fuit, ut ad retractandum negotium illud induciæ darentur, & pro hac aliisque causis legati Apostolicæ Sedis dirigerentur, ut auditis

utriusque partis rationibus, si cognoverint Britannos auctoritatem authenticam Apostolicæ Sedis, videlicet eorum pontificum, quorum ordinatio & vita digna & legalis fuerit habere, per quam possint se à subjectione prædictæ Turonensis ecclesiæ subtrahere, quieti deinceps permaneant in sua libertate. Quod si contigerit eos hujus auctoritatis, quam modo diximus, non posse habere defensionem, sopita deinceps & in æternum omni controversia, Turonensem ecclesiam matrem & metropolim suam recognoscant, & eam quæ decet metropolitanum archiepiscopo vestro subjectionem & obedientiam exhibeant, reservato Dolensi episcopo pallii usu: ita tamen ut nullus successorum suorum aliquo in tempore ad hanc dignitatem adspiret, sed, sicut supra diximus, tam ipsi videlicet in ecclesia Dolensi constituendi, quam etiam ceteri Britanniæ episcopi magisterio Turonensis archiepiscopi in perpetuum subditi permaneant. Data Romæ octavo Idus Martias indictione tertia. Anno 1080.

URBANI PAPÆ II. EPISTOLA I.
Ad universos episcopos Britanniæ.

Dolensi episcopo concedit pallium, salvo jure Turonensis ecclesiæ.

Rollandus. EXpetendi pallei gratia confrater noster R. Dolensis episcopus nostro se conspectui repræsentans, sancti prædecessoris nostri GREGORII VII. litteras obtulit, quas idem apostolicus pontifex pro EVENO Dolensi episcopo vestræ fraternitati mandaverat. Illarum itaque litterarum tenore continebatur, quod eidem Eveno prædictus pontifex pallei usum pro vestra & totius provinciæ dilectione concesserit ea conditione intersita, ut opportuno tempore exhibere se nullatenus recusaret ad discutiendam querimoniam, quam Turonensis archiepiscopus de subjectione sedis illius, & de negata sibi obedientia, jampridem apud suam & antecessorum suorum fecerat audientiam. Sequitur post hæc in eisdem litteris, quod si ratione

& justitia demonstrante, ut ei subjecta esse debeat apparuerit: Nos quidem sanctæ Turonensis ecclesiæ jus suum conservari & debitam subjectionem à Dolensi ecclesia exhiberi volumus, & apostolica auctoritate censemus. Usum tamen pallei non minus huic suisque successoribus donec eorum introitus & vita probabilis fuerit, concedimus & firmamus. Si vero ab hujus subjectionis jugo eam solutam esse legali defensione constiterit, quæcumque sibi dignitatis privilegia de cetero competere visa fuerint apostolica non denegabit auctoritas, atque interim ut ei sicut archiepiscopo subjectionem & obedientiam exhibeatis præsenti auctoritate constituimus. Prædictus itaque confrater & coepiscopus Roll. coram fratribus nostris evangelia sancta juravit, quia papa Gregorius VII. harum litterarum sententiam miserit episcopis Britanniæ, & in exemplari illo nec minus nec amplius haberetur, quam in litteris quas ipse misit. Sic nos de apostolicarum litterarum veritate firmati, prædicto confratri nostro sub eadem conditione pallei munus ex apostolicæ sedis liberalitate concessimus. Eum ergo ad vos auxiliante Domino remittentes, dilectioni vestræ litteris præsentibus commendamus, ut ipsum cum omni honore & reverentia suscipientes, ad restituendum susceptæ ecclesiæ statum fraternis affectibus & officiis adjuvetis.

URBANI PAPÆ II. EPISTOLA II.
Ad principes & populum Dolensis ecclesiæ.

Ut ablata Dolensi ecclesiæ bona restituant.

Audivimus Dolensis ecclesiæ bona ita per vestram violentiam usurpari, ut nihil justitiæ de rebus ejusdem ecclesiæ frater noster Dolensis archiepiscopus R. valeat obtinere. Mandamus igitur dilectioni vestræ, ne ecclesiæ ipsius bona ulterius retinere invito episcopo præsumatis; alioquin Sedis Apostolicæ indignationem invenietis, & quamcumque in vos sententiam idem frater noster

canonica auctoritate, dictaverit, nos auctoritate apostolica confirmabimus.

URBANI PAPÆ II. SENTENTIA De subjectione Dolensis ecclesiæ ad Turonensem.

Anno 1094.

URBANUS episcopus Servus Servorum Dei, dilecto fratri RADULFO Turonensi archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sanctorum Canonum decernit auctoritas, ut majores ecclesiarum causæ Apostolicæ Sedis judicio decidantur. Qualiter igitur Turonensis ecclesiæ contra Dolensem episcopum querela nostris sit temporibus pertractata, & præsentium volumus notitiæ certum fieri, & futurorum memoriam non latere. Dolensis siquidem episcopus ROLANDUS anno Dominicæ Incarnationis MXCIII. ad nostram præsentiam veniens palleum quasi Britannorum archiepiscopus expetivit. Cujus cum preces diutius aversaremur, apostolicæ memoriæ GREGORII septimi litteras præferebat, quibus ostendebatur IVANO cuidam Dolensi episcopo & ejus successoribus palleum ab eodem apostolico contributum, salva tamen querela Turonensis ecclesiæ, ut si quando actione legitima potuisset probare Dolensem ceterosque Britannicæ citerioris episcopos debere metropoli Turonicæ subjici; subjicerentur quidem, Dolensis tamen usum pallei obtineret. Has litteras Gregorii papæ nec minus nec amplius quam papa jusserat continere, cum frater noster Dolensis episcopus jurejurando firmasset; nos ei pallium sub eadem conditione concessimus. Veniens post hæc ad nos dum Beneventi essemus, tua strenuitas, carissime frater RADULFE Turonensis archiepiscope, ejusdem papæ Gregorii nostro conventui litteras præsentavit, quæ significabant causam hanc Romæ in concilio retractatam, ubi post discussionem diutinam dispositum fuerat, ut à legatis Sedis Apostolicæ concilium in provincia convocarent, in quo causa sollicitius agitaretur, & si quidem per alicujus catholici & legalis papæ

auctoritatem authenticam se tueri Dolensis nequiret episcopus; de cetero & ipse & ceteri Britannorum antistites Turonicæ ecclesiæ tamquam metropoli propriæ obedirent: ipsius quoque in episcopatu successores numquam ulterius palleum obtinerent. Ostensa est etiam legatorum qui in provincia concilium egerant perpetrata definitio, qui cum Dolensis nulla causam suam authentica auctoritate potuisset defendere; Gregorius papa sententiam scriptis & subscriptionibus omnimodis statuerunt, ut videlicet tam Dolensis, quam ceteri Britannorum episcopi, Turonicæ semper ecclesiæ subjacerent. Cum ad hæc Dolensis qui adhuc aderat, responderet se non ad agendum venisse paratum, tamen cum episcopis provinciæ congruo tempore respondere. Nos utroque consentiente disposuimus, ut in proximi anni media quadragesima uterque nostro se conspectui præsentarent: qui autem se tunc sine canonico impedimento subtraheret aut deficeret; causam amitteret. Statuto igitur tempore cum nos in Urbe moraremur; Dolensis neutiquam venit, tua fraternitas præsto fuit. Quæsita est in Registro Beati GREGORII papæ VII. sententia. Et ita omnino sicut audieramus inventa. Ostensa sunt etiam NICOLAI & JOHANNIS Romanorum pontificum munimenta id astruentia. LEONIS quoque noni decretum eumdem causam sub anathematis additione confirmans: Auditæ sunt & fratris nostri Dolensis episcopi per quemdam nuntium excusationes: non tunc legitimæ videbantur. Omnibus itaque pertractatis, inconcussa confratrum nostrorum JOHANNIS Portuensis, UBALDI Sabinensis, JOHANNIS Tusculanensis, BRUNONIS Signiensis, DAIBERTI Pisani, LAMBERTI Atrebatensis episcoporum, & nonnullorum nostræ ecclesiæ clericorum, Romanorum quoque judicum & aliorum consularium: ex communi consilio visum est, harum rerum, quæ per tot apostolicos pontifices confirmatæ fuerant, definitionem plenam non debere differri, nec illum lucrari debere absentiam, qui se arguta calliditate subtraxerit. Et nos igitur sanctorum, quos prædiximus, prædecessorum nostrorum statuta firmantes, præsenti decreto sancimus, ut sicut ab

ipsis decretum est, tam Dolensis quam ceteri deinceps Britannorum episcopi Turonensem ecclesiam suam esse metropolim recognoscant, & debitam ei reverentiam semper exhibeant: nec ullo ulterius tempore post ROLANDI obitum ad Pallei usum Dolensis aspiret episcopus. Tuam itaque sollicitudinem, frater in Christo carissime, adhortamur ut tantæ dignitatis gratia dignam se semper studeat exhibere. Quanto altius præeminet, tanto altius bonorum operum luce præfulgeat. Pacem cum omnibus sequatur & sanctimoniam: in prosperis humilis, & in adversis, si quando eveniunt, inveniatur cum justitia erecta amica bonis, perversis contraria. Nullius umquam faciem contra veritatem recipiens. Nullius umquam faciem pro veritate loquentem premens. Misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, & tamen insistere supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene volentibus congaudens, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis pie sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis justæ censuram non deserens, ut officium quod forinsecus administras interius coram divinæ majestatis oculis impleas. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa conservet incolumem. Scriptum per manum PETRI Scrini sacri palatii.

SANCTUS PETRUS. S. PAULUS.

URBANUS PAPA II. Locus monogrammatis.

Benedictus Deus & Pater Domini
nostri JESU CHRISTI.

Datum Romæ per manum JOHANNIS sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi Cardinalis. Nonis Aprilis, Indictione II. Anno Dominicæ Incarnationis MXCIV. Pontificatus vero Domni URBANI secundi Papæ septimo.

URBANI PAPÆ II. EPISTOLA IV.
Universis episcopis per Britanniam constitutis.

Confirmat sententias aliorum summorum pontificum, præcipitque eis, ut Turonensi archiepiscopo tamquam metropolitano pareant.

PRo confratris nostri Dolensis episcopi & aliorum ex vobis quorumdam obedientia Turonensi ecclesiæ denegata, frequentes querelas ad Sedem Apostolicam provenisse, multas ejusdem rei discussiones perpetratas esse, fraternitatem vestram ignorare non credimus: cum sciamus prædecessoris nostri GREGORII papæ duplices ad vos litteras super hoc negotio destinatas, quin etiam Sanctonensi concilio plerosque vestrum interfuisse existimamus, in quo à legatis ejusdem Apostolici causa eadem diligenti investigatione discussa, ubi cum Dolensis causam suam nulla potuisset authentica auctoritate defendere; secundum præfati papæ sententiam omnino statutum est, ut tam Dolensis, quam ceteri Britannorum episcopi Turonensi semper ecclesiæ subjacerent. Qualiter autem nos anno præterito Dolensi episcopo palleum indulserimus, nostris tunc fuistis litteris informati. Porro tam ipsi, quam Turonensi archiepiscopo terminum constituimus, quo uterque se cum suæ ecclesiæ munimentis pro querelæ hujus decisione nostro conspectui præsentaret.] Cum Dolensis non veniret, Turonensis in tempore præsto fuit. Tunc in audientia clericorum simul & laicorum Romanæ ecclesiæ retractata sunt, quæ vel nostro vel GREGORII papæ tempore super hoc negotio gesta recurrerunt; recitata sunt etiam Romanorum pontificum NICOLAI, JOHANNIS, & LEONIS scripta, quibus decretum est, ut universi Britannorum episcopi Turonicæ debeant metropoli subjacere. Quibus omnibus diligentius exquisitis, ex communi consilio tam confratrum nostrorum episcoporum & nonnullorum nostræ ecclesiæ clericorum Romanorum, quam judicum & alio-

rum consularium adjudicatum est, harum rerum quæ per tot apostolicos pontifices confirmatæ fuerant, definitionem plenam non debere differri. Igitur & nos eorum statuta firmantes, præsentium vobis auctoritate præcipimus, ut sicut ab ipsis decretum est, Turonensi deinceps archiepiscopo eam, quæ metropolitanum decet, obedientiam exhibere curetis. Datum Romæ iij. Idus Aprilis.

VVILLELMI EPISCOPI PICTAVENSIS Testimonium de Sententia in Concilio Claromontensi adversus Dolensem episcopum pro Turonensi ecclesia ab Urbano papa II. lata.

EGo VV. II. Dei gratia Pictavorum episcopus. Quoniam Deus veritas est, oportet eos qui ex Deo sunt, in his quæ veraciter cognoverunt, veritatis testimonium exhibere. Nos igitur testimonium veritati reddentes, in veritate testamur RADULFUM archiepiscopum Turonensem in concilio Claromontensi coram beatissimo papa URBANO ceterisque Patribus adversus archiepiscopum Dolensem proposuisse, & eum quasi subjectum sibi super inobedientia impetivisse. Hujus igitur impetitionibus & archiepiscopi Dolensis responsionibus Dominus papa attente consideratis, adjudicavit archiepiscopum Dolensem deinceps archiepiscopo Turonensi subjici debere, & de inobedientiæ reatu satisfactionis condignam plenitudinem exhibere. Hujus rei testes sumus.

PASCHALIS PAPÆ II. EPISTOLA I.
Ad ſuffraganeos, Clerum & populum Dolenſem.

Baldrico Dolenſi archiepiſcopo pallium concedit.

SIcut à quibuſdam accepimus tantum veſtris in partibus jam abundat iniquitas, quod chriſtiana religio penitus ibi deperire videatur, & quod ſine dolore dicere non poſſumus, non ſolum laici, verum etiam clerici & monachi in prohibitis ſeu in illicitis prorumpentes, Deo & hominibus odibilia perpetrare non metuunt. Quapropter venerabilem fratrem noſtrum GIRARDUM Engoliſmenſem epiſcopum ad veſtras deſtinavimus partes, ut ibidem largiente Domino corrigenda corrigeret, & ſtabilienda ſtabiliret. Qui ſicut ex litteris ejus cognovimus, ut prædictas iniquitates & impietates à veſtris excludere partibus poſſet, venerabilem fratrem noſtrum[a] BALDRICUM & coepiſcopum in Dolenſi eccleſia ordinavit. Pro tanta itaque & tam inſtanti neceſſitate venerabili fratri noſtro Baldrico Dolenſi archiepiſcopo palleum pontificatus videlicet plenitudinem conceſſimus, ut eo ſecundum prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem utatur. Mandamus igitur dilectioni veſtræ, ut eum tamquam patrem timeatis, ſicut magiſtro obediatis, & ut paſtorem animarum veſtrarum attentius diligatis, quatenus ejus admonitionibus & orationibus & eccleſiæ veſtræ honor augeatur & chriſtiana religio reparetur, & reparata adjuvante Domino conſervetur.

[a] De quo Ordericus Vitalis Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. 9. hæc habet; *Hic civis fuit Aurelianenſis monachus & abbas Burgulienſis, liberalibus imbutus ſtudiis, & religioſa meritis vita venerabilis: inde pro religione & ſapientia ad gradum Dolenſis archiepiſcopatus electione provectus eſt eccleſiaſtica: in epiſcopatu monachatum ſervavit, & cum monachis pro ut fores dabat plerumque habitabat, &c.*

PASCHALIS PAPÆ II. EPISTOLA II.
Ad Baldricum Dolensem archiepiscopum.

Privilegium Baldrici Dolensis archiepiscopi de palleo.

PASCHALIS episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri B. Dolensi archiepiscopo.

Si pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia die ac nocte intenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus deficiat, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum esse dicimur. Attendamus igitur ut susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum judicem negligentiæ nos reatus excruciet, unde modo honoris reverentia inter ceteros sublimiores judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad missarum solemnia celebranda sicut concessum est antecessoribus tuis, concedimus. Videlicet in Natale Domini, in octava Domini, in Purificatione, & aliis festivitatibus Sanctæ Mariæ, in Palmis, in Cœna Domini, in Sabbato sancto, in die Dominica Resurrectionis, in octava Paschæ, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Nativitate S. Johannis Baptistæ, in Natali omnium Apostolorum, in festivitate S. Laurentii, & S. Mauritii, in festivitate S. Michaelis, & Omnium Sanctorum, & S. Martini, ac vestrorum sanctorum quorum corpora apud vos habentur, in Dedicatione ecclesiarum, & in Anniversario tuo, & quando ordinationes facis. Hortamur itaque caritatem tuam, ut mores vitæ tuæ tanto honore conveniant, quatenus auctore Deo exempli, verbique possis esse conspicuus. Vita igitur tua filiis tuis sit regula, ut si qua fortitudo in illis deprehenditur, in ea dirigatur. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit virtutis puritate devincatur. Nul-

Episcopus qualis esse debeat.

lum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniat: sacræ benedictionis tuæ justi, quod judicii opus nulla venalitatis interventio commaculet. Sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & judicis severa districtio. Unum scilicet innocenter viventes foveat, aliud inquietos à pravitate compescat. Misericordem te prout virtus patitur pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta ratio contradicat, nullius faciem contra justitiam accipias, nullum quærentem justa despicias, custodia vitæ æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud te extra viam suadeat rationis audire, nec pauperem de se sua faciat humilitas desperare: quatenus, Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens: oportet episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram caritatem habueris; quam qui sequutus fuerit, à recto tramite non recedit. Sed ecce, frater carissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista pallei, quæ si studiose reservaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam gratiæ suæ protectione circumdet, atque in timoris sui viam nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem, ad æternam simul dulcedinem pervenire mereamur.

CONCILIA DOMINI CALIXTI PAPÆ II.

CALIXTUS episcopus, &c. Remensi, Rothomagensi, Senonensi, Bituricensi, Turonensi, Dolensi, Burdigalensi, & Auxiensi archiepiscopis, & ceteris, tam clericis, quam laicis per easdem provincias constitutis. Ecclesiarum omnium Romana ecclesia mater & caput ab ipso Domino constituta, omnes per orbem terrarum positas ecclesias tamquam propria membra debet uberibus caritatis confovere. Unde nos qui licet indigne in ejus per Dei gratiam regimine ordinati, beati Petri Vicarii esse conspicimur, paterno affectu omnibus sumus ecclesiæ filiis prope seu longe positis debitores, &c.

Huic concilio Domini Calixti papæ Remis celebrato in basilica Beatæ Mariæ interfuerunt isti. Ab Urbe CONO Prænestinus, & LAMBERTUS Hostiensis. De Galliarum provinciis * RODULFUS Rothomagensis archiepiscopus cum quatuor suffraganeis ejus episcopis, DAIBERTUS Senonensis cum sex, RODULFUS Remensis cum decem, HUMBALDUS Lugdunensis cum tribus, GISLEBERTUS Turonensis cum septem, LEODEGARIUS Bituricensis cum duobus, Burdegalensis cum duobus, BALDRICUS Dolensis cum duobus, TURSTINUS Eboracensis cum duobus, ALBERTUS Maguntinus cum quinque, ANSIRICUS Bisuntinus cum uno, Tarentasiensis cum uno, OLDEGARIUS Terraconensis cum duobus, de Narbonensi provincia episcopus unus, de Arelatensi unus, de Uranensi unus, de Auxiensi unus, de Cantuariensi tres, de Coloniensi unus, de Treverensi duo, de Madeburgensi duo, de Gradensi Venetiæ provincia duo. Ipse etiam illustris & gloriosus Francorum rex LUDOVICUS biduo cum principibus suis concilio eidem interfuit, & mandatis ecclesiæ sicut catholicus & christianissimus veneratione debita obedivit.

* *immo* Gaufredus.

ALIUD CONCILIUM CALIXTI.

VEnerabilibus fratribus Dolensi archiepiscopo & suffrageneis ejus & abbatibus atque aliis ecclesiarum prælatis per eamdem provinciam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pro magnis & diversis ecclesiæ negotiis in proxima quadragesima generale in Urbe concilium celebrare disposuimus. Præcipimus ergo ut omni occasione seposita, in eadem quadragesimæ Dominica qua *Oculi mei* canitur, in Urbe nobiscum sitis: quatinus & nos vobiscum & cum aliis fratribus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac religiosis viris generale per Dei gratiam concilium celebremus, & ea communibus auxiliis pertractemus, quæ ad honorem Dei & ecclesiæ suæ pacem atque utilitatem Sancto Spiritu cooperante perveniant. Datum Lateranis vij. Calendas Julii.

HONORII PAPÆ II. EPISTOLA
Ad Bituricensem, Turonensem, Burdegalensem, Auxiensem, & Dolensem archiepiscopos.

DIvina disponente clementia nos licet indigni in Patrum nostrorum Petri & Pauli apostolorum specula constituti, necesse habemus ecclesiæ filiis paternæ affectionis studio imminere. Ideo de omnibus quantum possumus piam cum Deo sollicitudinem gerimus, & quibus vel propter nimia terrarum marisve distantiam, vel propter emergentia ecclesiæ Romanæ diversa negotia, nostram offerre præsentiam non valemus, eos missis legatis Sedis Apostolicæ visitamus. Ea propter dilectum fratrem nostrum G. Engolismensem episcopum, quem tamquam providum & sapientem virum Domini & prædecessores nostri sanctæ memoriæ PASCHALIS & CALIXTUS pontifices & nos ipsi veneratione habendum censuimus, pro quo universitatem vestram rogantes monemus atque præcipimus, ut eum reverenter suscipiatis, eique utpote legato nostro & Apostolicæ Sedis vicario humiliter obedire curetis, &c.

INNOCENTII PAPÆ II. EPISTOLA I.
Ad G. archiepiscopum & Dolensis ecclesiæ suffraganeos episcopos atque abbates per eamdem provinciam constitutos.

Invitat eos ad concilium Pisense.

NAvis ecclesiæ, cui rector Christus præsidet, licet undarum propulsatione sæpius agitetur, remigante tamen sæpe in ea Domino, numquam submergitur. De profunditate siquidem sui consilii cælestis nautæ providentia ventos concitat, mare turbat, navem agitat,

Anno 1135.

ut ministros dormientes excitet, pigros animet, & cautos inductriores efficiat. Gloria igitur sit in altissimis Deo, quoniam fides vestra numquam defecit, sed emergente in ecclesia schismate probati inventi estis & manifeste tamquam veri Christi discipuli domum Domini illustratis. Ut autem de statu ecclesiæ vobiscum tutius tractare possimus, & levior vobis ad nos pateret accessus, ordinato in Urbe vicario, & dispositis iis quæ fidelibus nostris opportuna esse cognovimus, cum fratribus nostris sani, Deo gratias, & incolumes Pisis moramur, & ut novis morbis nova medicamenta possint commodius adhiberi, ordinante Domino, proxima Pentecosten solemnitate generale ibidem concilium celebrare decrevimus *: quo circa universitati vestræ præsentium auctoritate præcipimus, ut eodem termino, omni occasione summota, vestram nobis exhibeatis præsentiam, quatenus administrante Spiritus-sancti gratia, vestri freti consilio & auxilio ea constituere valeamus, unde modo & in posterum ecclesia collætetur. Dilectum autem filium Jo. monachum capellanum nostrum fraternitati vestræ attentius commendamus, rogantes ut pro beati Petri reverentia, eum benigne suscipiatis, & honeste tractetis. Datum Pisis vi. Idus Novembris.

* De hoc concilio anno 1134. celebrato. Vide l. 2. vitæ S. Bernardi & Robertum Sigiberti continuatorem.

INNOCENTII PAPÆ II. EPISTOLA II. Ad archiepiscopum Turonensem.

Ut responsurus Dolensi antistiti, qui se Aletensi episcopatu spoliatum querebatur, ad Sedem Apostolicam accedat.

Anno 1142.

VEnerabilis frater noster Dolensis archiepiscopus ad nostram præsentiam veniens, conquestus est nobis in controversia subjectionis, quam ab eo exigis, se multotiens gravatum esse. In pluribus namque locis Salmurio videlicet, Veneto, Cenomanis, Parisius, Ter. & Pictavis ad definitionem hujus controversiæ in venerabilis fratris nostri G. Carnotensis episcopi Apostolicæ Sedis Legati præsentia se paratum fuisse asserit, & etiam multa

Gaufredi.

ob hoc expensas sustinuisse conqueritur, etiam quod Aletensi episcopatu, quem te detinere asserit, sine ratione & judicio spoliatus sit. Ne igitur Turonensis ecclesia & Dolensis hujusmodi attractationibus amplius fatigentur, per præsentia tibi scripta mandamus atque præcipimus, quod beati Lucæ festivitate sequentis anni nostro te conspectui repræsentes, ecclesiæ tuæ justitiam super hoc ostendere, & de Aletensi episcopatu respondere paratus, ut tunc utriusque partis auditis rationibus, eamdem controversiam dictante justitia terminare possimus.

In libro xi. Regestorum papæ Innocentii secundi xii. anno.

CÆLESTINI PAPÆ II. EPISTOLA Ad H. Turonensem archiepiscopum.

Ejusdem argumenti.

Anno 1143.

PRædecessor noster bonæ memoriæ papa INNOCENTIUS pro querimonia fratris nostri Dolensis archiepiscopi præterita beati Lucæ festivitate ad suam præsentiam invitavit, ut & de subjectione, quam ab eo exigis, ecclesiæ tuæ justitiam ostenderes, & de Aletensi episcopatu, quem te detinere asserit, & se sine ratione & judicio spoliatum esse conqueritur, sibi responderes. Ipse quidem eodem termino nostro se conspectui præsentavit: tu autem nec venisti, nec excusationem canonicam prætendisti. Quod quamvis gravi aduersum te foret animadversione plectendum; ex mansuetudine tamen Sedis Apostolicæ & fratrum nostrorum, qui pro te rogaverunt, precibus idipsum æquaniminiter ad præsens tolerantes per præsentia tibi scripta mandamus, quod proximis Calendis Maii nostro te conspectui repræsentes de prædicta ecclesiæ tuæ subjectione justitiam ostendere, & de prædicto sibi episcopatu respondere paratus. Datum Lateranis iiij. Idus Decembris.

BULLA LUCII PAPÆ II.
Confirmatoria Sententiæ Urbani papæ II. de subjectione ecclesiæ Dolensis ad ecclesiam Turonensem.

LUCIUS episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri HUGONI Turonensi archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Quæ judicii veritate decisa sunt, litterarum debent memoriæ commendari, ne pravorum hominum valeant in posterum refragatione turbari. Prædecessor siquidem noster felicis memoriæ papæ Innocentius controversiam, quæ de prælatione Turonensis ecclesiæ & subjectione Dolensis inter earum pastores jam diu agitata est, venerabili fratri nostro GAUFRIDO Carnotensi episcopo tunc Apostolicæ Sedis legato cognoscendam terminendamque commisit: quæ cum in ejus præsentia in pluribus locis Galliæ tractata esset, & necdum fine debito terminata; Dolensis archiepiscopus, nobis præsentibus, ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam venit, conquerens in dilatione ipsius causæ se multotiens gravatum esse, & multas ob hoc expensas sustinuisse. Propter quod suppliciter postulavit, ut idem prædecessor noster eamdem causam ad suam præsentiam revocaret & debitum finem imponeret. Cujus petitioni acquiescens Apostolicis litteris tibi venerabili in Christo, frater HUGO Turonensis archiepiscope, præcipiendo mandavit, ut apostolico te conspectui præsentares, ecclesiæ tuæ justitiam super hoc ostendere præparatus. Quo interim divino judicio viam universæ carnis ingresso, tam tu, frater archiepiscope, quam Dolensis pro hujus controversiæ decisione nostro vos conspectui præsentastis. Cum autem de Ecclesiæ tuæ justitia rationes, scripta, & argumenta plurima produxisses, productum est tandem in medium prædecessoris nostri beatæ memoriæ URBANI papæ privilegium, in quo manifeste continebatur, quod idem

papa

papa post multas hujus rei in sua & Legatorum etiam Sedis Apostolicæ præsentia discussiones & retractationes, scriptis Romanorum pontificum, NICOLAI videlicet, & JOHANNIS, LEONIS quoque noni, & GREGORII VII. diligenter inspectis, & omnibus hinc inde diligenti examinatione pertractatis, ex communi fratrum suorum episcoporum & multorum Romanæ Ecclesiæ clericorum decrevit, & scripti sui munimine roboravit, ut tam Dolensis episcopus, quam ceteri deinceps Britannorum episcopi Turonensem ecclesiam suam esse metropolim recognoscerent, & debitam ei reverentiam exhiberent, nec ullo ulterius tempore post ROLANDI obitum, qui tunc Dolensi ecclesiæ præsidebat, ad pallei usum Dolensis episcopus aspiraret. Ad hæc vero Dolensis nihil, quod ratione subnixum foret, respondebat, nec partem suam alicujus Romani pontificis auctoritate tueri potuit. Communicato itaque consilio, quoniam in sede justitiæ, licet indigni, disponente Domino positi, à via veritatis deviare nec possumus, nec debemus; ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, in consessu fratrum nostrorum CONRADI Sabinensis, IMERI Tusculanensis sedis nostræ episcoporum, RAIMUNDI Toletani archiepiscopi, HENRICI VVintoniensis, ULGERII Andegavensis, JOHANNIS Aletensis, NIGELLI Heliensis, & PHILIPPI Bajocensis episcoporum, GREGORII Sanctæ Mariæ Transtiberinæ, PETRI Sanctæ Potentianæ, THOMÆ Sancti Vitalis, GILBERTI Sancti Marci, GUIDONIS Sancti Laurentii in Damaso presbyterorum cardinalium. GREGORII Sanctorum Sergii & Bacchi, ODDONIS Sancti Georgii ad Velum aureum, GUIDONIS Sanctorum Cosmæ & Damiani, OCTAVIANI Sancti Nicolai in carcere diaconorum cardinalium, PETRI Cluniacensis, AIMERICI Sancti Juliani Turonensis, BERNERII Nucariensis abbatum, PETRI prioris Sanctæ Mariæ de Caritate, nobilium quoque Romanorum, CHENCII Frangentis panem, & CHENCII nepotis ejus, LEONIS Petri Leonis, & PETRI UGURTIONIS, multorumque aliorum, tam clericorum, quam laicorum, eamdem sententiam Sedis Apostolicæ auctori-

tate nobis à Deo concessa confirmavimus, & tam te quam Turonensem ecclesiam de ipsorum episcoporum obedientia propria manu per [a] baculum investivimus. Præcipientes juxta ejusdem sententiæ tenorem, ut tam Dolensis, quam universi deinceps Britanniæ citerioris episcopi, Turonensi ecclesiæ tamquam metropoli propriæ subjaceant, & debitam ei obedientiam ac reverentiam humiliter exhibeant. Hac tamen moderatione habita, ut frater noster GAUFRIDUS Dolensis episcopus, quandiu eidem ecclesiæ præfuerit, palleum habeat, & Romano pontifici tantum subjaceat: post ipsum vero nullus Dolensis episcopus ad pallei usum aspirare præsumat: sed sicut jam dictum est, Turonensem ecclesiam propriam metropolim recognoscat, & reverenter ei obediat. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hujus nostræ diffinitionis sententiam sciens, contra eam venire temere tentaverit; secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Observantibus autem sit pax Domini nostri JESU CHRISTI quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

S. PETRUS. S. PAULUS.

LUCIUS PAPA II. Locus monogrammatis.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

EGO LUCIUS catholicæ ecclesiæ episcopus. SS.

† Ego CONRADUS Sabinensis episcopus SS.

† Ego THEODEVUINUS S. Rufinæ episcopus SS.

[a] Baculus ligneus, quo Turonensem archiepiscopum Summus Pontifex investivit de Dolensi, Briocensi, & Trechorensi ecclesiis, servatur etiamnum in archivis ecclesiæ Turonensis plombea theca involutus cum hac inscriptione.

Anno Incarnationis Dominicæ MCXLIV. *Lucius papa II. investivit Roma judicio Sanctæ Apostolicæ Sedis cum baculo isto ligneo Turonensem ecclesiam de subjectione Dolensis ecclesiæ, & Tregorensis, & Briocensis, per manum Domini Hugonis Turonensis archiepiscopi.* Longitudine vero habet pedem unum cum tribus pollicibus.

† Ego ALBERICUS Hostiensis episcopus SS.

† Ego IMARUS Tusculanus episcopus SS.

† Ego PETRUS presbyter cardinalis de Titulo Pastoris SS.

† Ego THOMAS presbyter cardinalis Titulo Vestinæ SS.

† Ego GILBERTUS presbyter cardinalis Titulo S. Marci SS.

† Ego RANERIUS presbyter cardinalis de Titulo S. Stephani in Cœlio monte SS.

† Ego MANFREDUS presbyter cardinalis Titulo S. Savinæ SS.

† Ego ARIBERTUS presbyter cardinalis Titulus S. Anastasiæ SS.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi SS.

† Ego OCTAVIANUS diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano. SS.

† Ego GUIDO in Romana ecclesia altaris minister indignus SS.

† Ego JOHANNES diaconus cardinalis S. Adriani SS.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis S. Angeli SS.

† Ego HUGO Romanæ ecclesiæ diaconus in sancta Lucia in Horphea SS.

Datum Lateranis per manum BARONIS capellani & scriptoris Idibus Maii Indictione vii. Incarnationis Dominicæ anno MCXLIV. Pontificatus vero Domni LUCII secundi papæ anno primo.

LUCII PAPÆ II. EPISTOLA I.

Ad Briocensem & Trecorensem episcopos.

Absolvit eos ab obedientia episcopo & ecclesiæ Dolensi promissa.

Controversia, quæ de prælatione Turonensis ecclesiæ & Dolensis inter eorum pastores est diutius agitata, qualiter in nostra præsentia ordine judiciario decisa sit, fraternitati vestræ breviter duximus intimandum. Auditis quidem utriusque partis rationibus, & inspectis Romanorum pontificum privilegiis præcipue URBANI papæ, in quo manifeste continebatur, quod idem papa post mul-

tas tam in sua quam etiam legatorum suorum præsentia discussiones & retractationes judicavit, ut tam Dolensis quàm ceteri Britanniæ citerioris episcopi, Turonensem ecclesiam propriam esse metropolim recognoscerent, & debitam ei reverentiam exhiberent, nullusque Dolensis episcopus post ROLLANDI obitum ad usum pallei aspiraret. Unde nos habito fratrum nostrorum consilio, ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, eamdem sententiam auctoritate Sedis Apostolicæ firmavimus, & venerabilem fratrem nostrum HUGONEM Turonensem archiepiscopum de ipsorum episcoporum obedientia propria manu per baculum investivimus. Quocirca ab obedientia & fidelitate ecclesiæ * & ipsius Dolensis auctoritate nobis à Deo concessa vos absolventes, per apostolica vobis scripta mandamus, & per obedientiam injungimus, quatenus eidem archiepiscopo & ecclesiæ Turonensi obedientiam & reverentiam exhibeatis. Quod si contemtores esse præsumseritis, sententiam, quam in vos canonica æquitate promulgaverit, nos, auctore Domino, ratam habebimus. Datum Laterani idibus Maii.

* Ecclesiæ Dolensis & ipsius episcopi.

LUCII PAPÆ II. EPISTOLA II.
Ad Gaufridum Comitem Britanniæ & Henricum fratrem ejus.

Ut non impediant episcopos Britanniæ subjici Turonensi ecclesiæ.

LUCIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiis GAU. illustri comiti Britanniæ, & HEN. fratri ejus, & Baronibus per Dolensem, Briocensem, & Trechorensem episcopatus constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Universitati vestræ notum fieri volumus quod frater noster G. Dolensis episcopus prædecessori nostro felicis memoriæ papæ INNOCENTIO nobis præsentibus quæstus est in causa, quæ de prælatione Turonensis ecclesiæ & subjectione

Dolensis inter ipsum & venerabilem fratrem nostrum Hu. Turonensem archiepiscopum in diversis locis Galliæ agitata fuerat, se nimium gravatum fuisse, & graves expensas sustinuisse. Cujus laboribus & expensis idem prædecessor noster compatiens, juxta petitionem suam præfatum fratrem nostrum Hu. archiepiscopum ad Sedem Apostolicam evocavit, ut utraque parte præsente causam audiret, & debitum finem imponeret. Quo interim divino judicio viam universæ carnis ingresso; Nos qui, licet indigni, disponente Domino sibi successimus, utroque nostro se conspectui præsentato, eamdem controversiam hoc ordine diffinivimus. Auditis quidem utriusque partis rationibus, & inspectis Romanorum Pontificum privilegiis, præcipue Urbani papæ, in quo manifeste continebatur, quod idem papa post multas tam in sua, quam in Legatorum Sedis Apostolicæ præsentia discussiones & retractationes judicavit, ut tam Dolensis quam etiam Britanniæ citerioris episcopi Turonensem ecclesiam propriam metropolim esse recognoscerent, & debitam ei reverentiam exhiberent, nullusque Dolensis episcopus post ROLANDI obitum ad usum pallei aspiraret. Cumque ad hæc Dolensis nihil ratione subnixum responderet, nec partem suam per authentica Romanorum Pontificum privilegia tueri posset; habito fratrum nostrorum consilio, ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, eamdem sententiam auctoritate Sedis Apostolicæ firmavimus, & venerabilem fratrem nostrum Hu. archiepiscopum, de ipsorum episcoporum obedientia propria manu per baculum investivimus. Quia igitur bonorum principum est Sanctæ Romanæ Ecclesiæ statuta servare; per apostolica scripta nobilitati vestræ mandamus, atque in peccatorum remissionem injungimus, quatinus eamdem sententiam, à nobis cogente justitia promulgatam, nequaquam impediatis; sed ut præfatæ ecclesiæ jam dicto archiepiscopo & ecclesiæ Turonensi, tamquam propriæ metropoli reverenter obediant patienter sustineatis. Nulli enim injuria irrogatur cum singulis ecclesiis & ecclesiasticis personis debitus honor & reverentia exhibetur. Si quis enim eidem archiepiscopo in hoc con-

tradicere præsumserit; sententiam quam in eum canonica æquitate promulgaverit, nos auctore Domino ratam habebimus. Datum Lateranis xv. Calendas Junii.

EUGENII PAPÆ III. BULLA Confirmativa Sententiæ Lucii papæ II. in gratiam ecclesiæ Turonensis.

EUGENIUS Episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri HUGONI Turonensi archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Justitiæ & rationis ordo suadet, ut qui sua desiderat à successoribus mandata servari, decessorum suorum voluntatem & statuta custodiat. Prædecessor siquidem noster felicis memoriæ papa INNOCENTIUS controversiam, quæ de prælatione Turonensis ecclesiæ & subjectione Dolensis inter earum pastores jam diu agitata est, venerabili fratri nostro GAUFRIDO Carnotensi episcopo, tunc Apostolicæ Sedis legato cognoscendam, terminandamque commisit: quæ cum in ejus præsentia in pluribus locis Galliæ tractata esset, & necdum fine debito terminata, Dolensis archiepiscopus ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam venit, conquerens in dilatione ipsius causæ se multoties gravatum esse, & multas ob hoc expensas sustinuisse: propter quod suppliciter postulavit, ut idem prædecessor noster eamdem causam ad suam præsentiam revocaret, & debitum finem imponeret. Cujus petitioni acquiescens, apostolicis litteris tibi præcipiendo mandavit, ut apostolico te conspectui præsentares, ecclesiæ tuæ justitiam super hoc ostendere præparatus. Quo interim divino judicio viam universæ carnis ingresso, tam tu, frater archiepiscope, quam Dolensis pro ejusdem controversiæ decisione prædecessoris nostri beatæ recordationis papæ LUCII vos conspectui præsentastis. Cum autem de ecclesiæ tuæ justitia rationes, scripta, & argumenta plurima produxisses; productum est tandem in medium prædecessoris nostri bonæ memoriæ papæ URBANI privilegium, in quo mani-

feste continebatur, quod idem papa post multas hujus rei in sua & legatorum etiam Sedis Apostolicæ præsentia discussiones & retractationes, scriptis Romanorum Pontificum NICOLAI videlicet, JOHANNIS, LEONIS quoque noni, & GREGORII septimi diligenter inspectis, & omnibus hinc inde diligenti examinatione pertractatis, ex communi fratrum suorum episcoporum, & multorum Romanæ ecclesiæ clericorum consilio decrevit, & scripti sui munimine roboravit, ut tam Dolensis, quam ceteri deinceps Britannorum episcopi Turonensem ecclesiam suam esse metropolim recognoscerent, & debitam ei semper reverentiam exhiberent; nec ullo ulterius tempore post ROLLANDI obitum, qui tunc Dolensi ecclesiæ præsidebat, ad pallei usum Dolensis episcopus aspiraret. Ad hæc vero Dolensis nihil quod ratione subnixum esset, respondit; nec partem suam alicujus Romani pontificis auctoritate tueri potuit. Auditis itaque utriusque partis allegationibus, & scriptis Romanorum Pontificum ex parte Turonensis ecclesiæ studiose inspectis, præfatus prædecessor noster papa LUCIUS communicato consilio in consessu fratrum suorum episcoporum, presbyterorum, & diaconorum cardinalium, & multorum aliorum nobilium Romanorum civium, eandem sententiam auctoritate apostolica confirmavit; & tam te, quam Turonensem ecclesiam de ipsorum episcoporum obedientia propria manu per baculum investivit. Præcipiens juxta ejusdem sententiæ tenorem, ut tam Dolensis, quam universi deinceps Britanniæ citerioris episcopi Turonensi ecclesiæ tamquam metropoli propriæ subjaceant, & debitam ei reverentiam humiliter exhibeant, nullusque de cetero Dolensis episcopus ad pallei usum aspirare præsumat, sed sicut jam dictum est, Turonensem ecclesiam propriam metropolim recognoscat, & reverenter ei obediat. Nos igitur qui, licet indigni, in sede justitiæ disponente Domino constituti, à via veritatis deviare nec volumus, nec debemus, eorumdem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eamdem sententiam Sedis Apostolicæ auctoritate nobis à Deo concessa confirmamus, & præsentis scripti munimine roboramus. Si qua

igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit; secundo tertiove commonita; si non satisfactione congrua emendaverit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Observantibus autem sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

S. Petrus. S. Paulus.

Eugenius papa III. Locus monogrammatis.

Fac mecum Domine signum in bonum.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus SS.

† Ego Theodewinus S. Rufinæ episcopus SS.

† Ego Albericus Ostiensis episcopus SS.

† Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli Callixti SS.

† Ego Guido presbyter cardinalis tituli S. Chrisogoni SS.

† Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli SS.

† Ego Guido presbyter cardinalis tituli SS. Laurentii & Damasi SS.

† Ego Hugo presbyter tituli in Lucina SS.

† Ego Aribertus presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ SS.

† Ego Hubaldus presbyter cardinalis S. Crucis in Jerusalem SS.

† Ego Guido presbyter cardinalis tituli Pastoris SS.

† Ego Manfredus presbyter cardinalis S. Savinæ SS.

† Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli S. Susannæ SS.

† Ego Oddo diaconus cardinalis tituli S. Georgii ad velum aureum SS.

† Ego Octavianus diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano SS.

† Ego JOHANNES diaconus cardinalis S. Mariæ Novæ SS.
† Ego GUIDO diaconus cardinalis S. Mariæ in porticu SS.
† Ego IACINTUS diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmydyn SS.
Ego PETRUS diaconus cardinalis S. Mariæ in via latâ SS.
Datum apud S. Flavianum per manum GUIDONIS sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii iii. Nonas Januarii indictione x. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVI. Pontificatus vero Domni EUGENII III. papæ anno ij.

ANASTASII PAPÆ IV. BULLA
Sententiæ Lucii secundi confirmativa.

ANASTASIUS episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri ENGELBALDO Turonensi archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Justitiæ & rationis ordo suadet, ut qui sua desiderat à successoribus mandata servari, decessorum suorum voluntatem & statuta custodiat. Prædecessor siquidem noster felicis memoriæ papa INNOCENTIUS controversiam, quæ de prælatione Turonensis ecclesiæ & subjectione Dolensis inter earum pastores jam diu agitata est, bonæ memoriæ GAUFRIDO, quondam Carnotensi episcopo, tunc Apostolicæ Sedis legato, cognoscendam terminandamque commisit. Quæ cum in ejus præsentia in pluribus locis Galliæ tractata esset, & necdum fine debito terminata, Dolensis archiepiscopus ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam venit, conquerens in dilatione ipsius causæ se multotiens gravatum esse, & multas ob hoc expensas sustinuisse. Propter quod suppliciter postulavit, ut idem prædecessor noster eamdem causam ad suam præsentiam, revocaret & debitum finem imponeret. Cujus petitioni acquiescens, apostolicis litteris antecessori tuo Hugoni præcipiendo mandavit, ut apostolico se conspectui præsentaret, ecclesiæ suæ justitiam super hoc ostendere præ-

paratus. Quo interim divino judicio viam universæ carnis ingresso, tam ipse archiepiscopus, quam Dolensis pro ejusdem controversiæ decisione prædecessoris nostri beatæ recordationis papæ Lucii se conspectui præsentarunt. Cum autem de ecclesiæ suæ justitia rationes, scripta, & argumenta plurima produxisset; productum est tandem in medium prædecessoris nostri bonæ memoriæ papæ URBANI privilegium, in quo manifeste continebatur, quod idem papa post multas hujus rei in sua & legatorum etiam Sedis Apostolicæ præsentia discussiones & retractationes, scriptis Romanorum pontificum NICOLAI videlicet, JOHANNIS, & LEONIS quoque noni, & GREGORII septimi diligenter inspectis, & omnibus hinc inde diligenti examinatione pertractatis, ex communi fratrum suorum episcoporum, & multorum Romanæ ecclesiæ clericorum consilio decrevit, & scripti sui munimine roboravit, ut tam Dolensis quam ceteri deinceps Britannorum episcopi Turonensem ecclesiam suam esse metropolim recognoscerent, & debitam ei semper reverentiam exhiberent, nec ullo ulterius tempore post ROLLANDI obitum, qui tunc Dolensi ecclesiæ præsidebat, ad pallei usum Dolensis episcopus aspiraret. Ad hæc vero Dolensis nihil quod ratione subnixum esset respondit, nec partem suam alicujus Romani Pontificis auctoritate tueri potuit. Auditis itaque utriusque partis allegationibus, & scriptis Romanorum pontificum ex parte Turonensis ecclesiæ studiose inspectis, præfatus prædecessor noster papa LUCIUS communicato consilio in consessu fratrum suorum episcoporum, presbyterorum, & diaconorum cardinalium, & multorum aliorum nobilium, Romanorum civium, eamdem sententiam auctoritate apostolica confirmavit, & tam archiepiscopum, quam Turonensem ecclesiam de ipsorum episcoporum obedientia propria manu per baculum investivit. Præcipiens juxta ejusdem sententiæ tenorem, ut tam Dolensis, quam universi deinceps Britanniæ citerioris episcopi Turonensi ecclesiæ, tamquam metropoli propriæ, subjaceant, & debitam obedientiam ac reverentiam humiliter exhibeant; nullusque de cetero Dolensis episcopus ad pallei usum as-

pirare præsumat; sed sicut jam dictum est, Turonensem ecclesiam propriam metropolim recognoscat, & reverenter ei obediat. Idipsum sanctæ memoriæ papa EUGENIUS scripti sui pagina confirmavit. Nos igitur qui licet indigni in sede justitiæ, disponente Domino, constituti à via veritatis deviare, nec volumus, nec debemus, eorumdem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eamdem sententiam Sedis Apostolicæ auctoritate nobis à Deo concessa confirmamus & præsentis scripti munimine roboramus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit; secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reaque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Observantibus autem sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

S. PETRUS. S. PAULUS.

LUCIUS PAPA II. Locus monogrammatis.

Custodi me, Domine, ut pupillam oculi.

Ego ANASTASIUS catholicæ ecclesiæ episcopus. SS.

† Ego IMARUS Tusculanus episcopus SS.

† Ego HUGO Hostiensis episcopus SS.

† Ego GREGORIUS presbyter cardinalis tituli Callixti SS.

† Ego GUIDO presbyter cardinalis tituli S. Chrysogoni SS.

† Ego UBALDUS presbyter cardinalis tituli S. Praxedis SS.

† Ego MANFREDUS presbyter cardinalis tituli S. Savinæ SS.

† Ego ARIBER presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ SS.

† Ego BERNARDUS presbyter cardinalis tituli S. Clementis SS.

† Ego GUIDO presbyter cardinalis tituli Pastoris SS.

† Ego JORDANUS presbyter cardinalis tituli SS. Su-

ſannæ & Felicitatis SS.

† Ego OCTAVIANUS presbyter cardinalis tituli S. Ceciliæ SS.

† Ego ASTALDUS presbyter cardinalis tituli S. Priſcæ SS.

† Ego JOHANNES presbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli, tituli Pammachii SS.

† Ego CENCIUS presbyter cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina SS.

† Ego ODO diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum SS.

† Ego RODULFUS diaconus cardinalis S. Luciæ in ſepta ſolis SS.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis S. Angeli SS.

† Ego GUIDO diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu SS.

† Ego JOHANNES diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi SS.

† Ego ODO diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano SS.

Datum Lateranis per manum ROLLANDI S. Romanæ Eccleſiæ presbyteri cardinalis & cancellarii v. Nonas Martii Indictione ij. Incarnationis Dominicæ anno MCLIII. Pontificatus vero Domni ANASTASII IV. papæ anno primo.

ANASTASII PAPÆ IV. EPISTOLA I.
Ad Clerum & populum Dolenſem.

Confirmatio Hugonis Dolenſis electi.

ANASTASIUS episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis clero, baronibus, & populo Dolenſi, & per univerſam Dolenſem diœceſim conſtitutis, Salutem & apoſtolicam benedictionem.

Illius exemplo inducti, qui languores noſtros tulit, & dolores noſtros ſua pietate portavit, pietatis viſcera vobis duximus expandenda, & quantum in præſentiarum, ſalva

ecclesiæ pace, potuimus, contritioni & dolori vestro paternæ consolationis gratiam porrigendam. Unde ne forte, quod absit, ecclesia vestra in temporalibus omnino deficiat, curam eorum & gubernationem dilecto filio nostro HUGONI electo vestro commisimus, & eum tam de conservandis possessionibus quas nunc habet, quam recuperandis his, quæ hactenus, pastorali cura deficiente, dilapsæ sunt, præcipimus existere studiosum. Quoniam igitur ad id vestrum ei noscitur subsidium opportunum, per præsentia vobis scripta mandamus, quatinus eidem filio nostro diligentius assistatis, & eum recuperare & conservare bona ecclesiæ vestræ toto studio adjuvetis: & sicut ea bonæ memoriæ R. quondam archiepiscopus vester in pace tenuit; ita & iste, vestro ei assistente suffragio, valeat retinere. Si forte vero aliquis vestrum de bonis ejusdem ecclesiæ aliquid occupavit, eidem filio nostro absque molestia & contradictione restituat. Alioquin animadversionem districti judicis, & indignationem beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis Idibus Februarii.

ANASTASII PAPÆ IV. EPISTOLA II.
Ad Turonensem archiepiscopum.

Ut factam à S. Bernardo compositionem observet.

DOlores & gemitus Dolensis ecclesiæ animum nostrum ad dolorem & compassionem invitant, & nos erga eam diu continere caritatis solatium non permittunt. Ejus quidem gemituum felicis memoriæ papa EUGENIUS prædecessor noster consideratione motus, sanctæ recordationis B. quondam Clarevallis abbati per sua scripta mandavit, ut ad componendam pacem inter te & Dolensem ecclesiam laboraret, & juxta datam sibi desuper sapientiam agitatam hinc inde longo tempore controversiam fraterna caritate sopiret. Quoniam igitur à parte tua, & illius ecclesiæ de servando quod ipse inter vos constitueret, securitate accepta, idem abbas inter vos præsentibus dilectis

Bernardo.

filiis nostris G. monacho & NIVARDO fratre ipsius abbatis ....ger vidit expedire., constituit; per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus à rigore voluntatis tuæ descendas, considerans quia caritas non quæ sua, sed quæ aliorum sunt quærit; compositionem ipsam observes. Alioquin quoniam nobis aquam misericordiæ diutius continentibus, omnia illius spiritualia bona siccantur, fraternitatem tuam nolumus ignorare, quia nos eidem ecclesiæ pietatis gremium expandemus, & contritionem ejus curabimus, Domino auctore, sanare. Caritatis quidem officium non permittit, ut rigorem mansuetudini præponentes tantam ecclesiam sub ista contentione deficere penitus patiamur. Datum Lateranis Idibus Februarii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA I.
Ad Turonensem archiepiscopum.

Compositionem ab abbate de Fontanis factam irritam declarat; invitatque ad amicam cum Dolensi presule compositionem, vel ut ad Sedem Apostolicam veniat, jubet.

ADRIANUS papa archiepiscopo Turonensi. Veniens ad apostolatus nostri præsentiam Dolensis ecclesia, multis quidem laboribus attrita, & molestiis fatigata, apud nos suppliciter intercessit, ut venerabili fratri nostro HUGONI archiepiscopo Dolensi dignaremur pallii sui plenitudinem indulgere. Hæc vero tum ex tenore concordiæ, quam inter te & ipsum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine requirebat. Venerunt & adversus eum nuntii tui, qui quamdam compositionem, quam per abbatem de Fontanis factam fuisse de suffraganeis ibi asserebant, confirmari unanimiter postulabant. Porro eamdem ecclesiam cum præfato archiepiscopo suo in ipsa compositione suffraganeis renunciasse dicebant: addentes etiam à prædecessore nostro bonæ memoriæ Lucio papa, sicuti in ipsius scripto continetur, ita fuisse de communi consilio fratrum definitum. Ad hæc ipsam compositionem nullam fuisse pe-

nitus Dolensis ecclesia respondebat, dicens insuper ipsam sententiam Romani pontificis non tenere: quia ille qui tunc temporis præsulatus gerebat officium, fraudem & dolum adhibuit, dum nec Dolensis ecclesia præsens in examinatione fuisset, & ad Capuanum archiepiscopatum, quem postea per intrusionem regis Siculi adeptus est, vehementer aspiraret. Unde cum in ipsa nihil ad commodum Dolensis allegavit ecclesiæ, nos quia hujus rei plenam non potuimus habere cognitionem, cum altera pars in negatione persisteret, & se non habere mandatum penitus exequendi hæc affirmaret; nihil à nobis super eodem negotio est terminatum. Prædictam tamen compositionem omnino quassavimus, & eam nullas vires habere de cetero Sedis Apostolicæ auctoritate censemus. Sane juxta postulationem ejusdem ecclesiæ memorato fratri nostro pallium, insigne videlicet pontificalis officii, duximus indulgendum. Quem cum Apostolicæ Sedis benedictione & nostræ gratiæ plenitudine remittentes, tantæ ecclesiæ cui præest sua jura illibata servare volumus & integra; quanto ecclesiasticis utilitatibus convenit nos ex injuncto officio attentius * providere. Unde nos * consolationi Dolensis ecclesiæ misericorditer consulentes, ne ipsam sacrosanctam Romanam ecclesiam ad exsecutionem suæ justitiæ negligentem esse vel desidem conqueratur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus aut cum eo convenias, aut usque ad proximam festivitatem S. Michaelis plenam exhibiturum & suscepturum in præsentia nostra justitiam, Apostolico te conspectui repræsentes. Interim vero eumdem fratrem nostrum vel clericos ejus excommunicationis vel interdicti sententia nulla ratione gravare præsumas. Datum Sutrii xii. Calendas Julii.

* *al.* imminere.

* *al.* desolationi & necessitati.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA II.
Ad Turonensem archiepiscopum.

Ut amice componat cum episcopo Dolensi.

AD hoc summi pontificatus officium nobis est Domino disponente commissum, ut universos Christi fideles, in quantum cum Deo possumus, in suo debeamus jure fovere, & unicuique nos oporteat propriam justitiam conservare. Inde est quod controversiam, quæ inter te & venerabilem fratrem nostrum H. Dolensem archiepiscopum de suffraganeis episcopis diutius agitatur, nos volentes mediante justitia, Deo propitio, terminare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vel cum prædicto fratre nostro archiepiscopo de suffraganeis amicabili pactione componas, vel usque ad proximam festivitatem Omnium Sanctorum plenam ei exhibiturus vel recepturus justitiam apostolico te conspectui repræsentes; sive decanum ecclesiæ tuæ & alios sufficientes responsales usque ad proximum terminum non differas destinare. Volumus enim ut nostro interveniente judicio utraque pars in audientia nostra suam justitiam consequatur. Datum Beneventi xiii. Calendas Januarii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA III.
Ad universos clericos & laicos per Dolensem provinciam constitutos.

Confirmat Sententiam Hugonis archiepiscopi in malefactores & occupantes bona ecclesiastica latam.

QUotiens à fratribus nostris archiepiscopis, vel episcopis, & ab aliis ecclesiarum prælatis in malefactores & jura ecclesiastica occupantes sententia prorogatur, convenit nos eamdem sententiam ratam habere; & ut ipsa firmius

firmius observetur omni tempore, oportet nos eam Apostolicæ Sedis auctoritate firmare. Inde est quod universitatem vestram volumus non latere. Quod nos excommunicationis sententiam, quam venerabilis frater noster HUGO Dolensis archiepiscopus in JOHANNEM Dolensem & in ceteros archiepiscopatus sui jura per violentiam usurpantes canonice promulgavit, seu etiam promulgaverit, nos ratam & firmam habemus, & eam robur firmitatis perpetuæ usque ad condignam satisfactionem decernimus obtinere. Datum Beneventi xiij. calendas Januarii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA IV.
Ad E. Comitem Lehonensem, &c.

Commendat Hugonem Dolensem archiepiscopum.

ADRIANUS episcopus Servus Servorum Dei nobilibus viris E. comiti de Leon & filiis suis. Vicecomiti de * Lamvio, & filiis Iveni Gueni & Iveni Galli. Salutem & Apostolicam benedictionem.

* al. Lautino.

Vestræ nobilitatis industria pia debet consideratione intendere, & sollicite cogitare, quomodo ecclesias Dei augmentare valeat, & gratis semper beneficiis ampliare. Inter cetera enim pietatis opera, per quæ ad æternæ beatitudinis bravium pervenitur, nihil est quod magis in conspectu divinæ placeat majestatis, quam si quis sacrosanctas ecclesias diligat, manuteneat, & eis sua jura illibata studeat & integra conservare. Inde est quod venerabilem fratrem nostrum H. Dolensem archiepiscopum, quem utique sicut virum discretum, idoneum, & honestum, carum satis & acceptum habemus, & ecclesiam ipsius gubernationi commissam piæ sollicitudini vestræ attentius commendantes, rogamus plurimum, monemus & exhortamur in Domino atque in peccatorum remissionem vobis injungimus, quatinus tam eum, quam ecclesiam suam, sincera caritate diligatis, & in sua studeatis justitia confovere. Illam quoque honorificentiam & devotionem, quam ante-

cessores vestri Dolensi archiepiscopo impendere consueverunt, ut vos per omnia appareat patriæ virtutis hæredes, prædicto fratri nostro archiepiscopo pio corde & humili voluntate studeatis exhibere. Consilium vero & auxilium ad exemplar antecessorum vestrorum eidem in necessitatibus suis subministretis, & bona Dolensis ecclesiæ, quæ in terra vestra consistunt, memoratum fratrem nostrum faciatis cum integritate habere, & eum quiete & pacifice de cetero possidere. Datum Later. vj. calendas Januarii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA V.
Ad Gaufridum filium Oliverii, &c.

Commendat Hugonem Dolensem archiepiscopum.

ADRIANUS episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis GAUFRIDO filio Oliverii, ejusque fratribus, ROLANDO de Dinan, BERTRANDO, RODULFO Vicecomiti, * VVILLELMO de Monteforti, RADULFO de Folgeriis, & ROBERTO de Vitreo, Salutem & apostolicam benedictionem.

* al. Oliverio.

Ad hoc in loco Apostolorum principis, licet immeriti, disponente Domino conspicimur residere, ut populum Dei nobis ipso donante commissum ad ea debeamus exhortatationis instantia provocare, per quæ supernæ beatitudinis præmium largiente divina gratia valeat invenire. Cum itaque obedientia tam perfecta & efficax virtus sit, quæ hominem ad bravium supernæ vocationis adducit: Universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & exhortamur in Domino, quatenus venerabili fratri nostro Hu. Dolensi archiepiscopo, sicut suis prædecessoribus fecisse probamini, debitam in omnibus obedientiam impendatis, & in nullo ei rebelles, in nullo præsumatis existere contumaces. Si vero aliquis de hominibus vestris quaslibet possessiones, quæ ad jus ejus pertineant, noscitur detinere; eas prædicto fratri nostro faciatis sub celeritate restitui, vel plenam ei justitiam exhiberi. Alioquin quamcumque in eum

ſententiam ipſe canonice promulgaverit, nos ratam & firmam auctoritate apoſtolica decernimus permanere. Datum Sutrii xij. calendas Junii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA VI.
Ad archiepiſcopum, archidiaconum & decanum Rothomagenſis eccleſiæ.

[*Ut poſſeſſiones eccleſiæ Dolenſi in Normannia vi ablatas reſtitui faciant.*

ADRIANUS epiſcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri archiepiſcopo, & dilectis filiis archidiacono & decano Rothomagenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Injuncti nobis à Deo Summis Pontificatus officio, & ſuſceptæ diſpenſationis debito provocamur, ut omnibus Chriſti eccleſiis ſua jura integra debeamus & illibata ſervare, & juxta hoc quod divina gratia permiſerit, eorum utilitatibus propenſius imminere. Veniens autem ad apoſtolatus noſtri præſentiam venerabilis frater noſter Hu. Dolenſis archiepiſcopus ſua nobis inſinuatione monſtravit, eccleſiam Sancti Samſonis de Rillio, & alias eccleſias, quaſdam etiam poſſeſſiones, quas in Normannia prædeceſſores ſui juſte & canonice poſſederunt, à quibuſdam eſſe per violentiam occupatas. Et ideo per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus eos, qui eaſdem eccleſias & poſſeſſiones præſumunt contra juſtitiam detinere, diligenter ammonere curetis, ut eas poſtpoſita occaſione reſtituant; & ſicut prædeceſſores ſui ipſas habuiſſe noſcuntur; ita eum in pace & quiete de cetero poſſidere permittant, vel plenam in veſtra præſentia juſtitiam ei non differant exhibere. Quod ſi ammonitionis veſtræ duxerint exiſtere contemtores; eos, quo uſque reſipiſcant, excommunicationis vinculo teneatis aſtrictos. Datum Sutrii xij. calendas Junii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA VII.
Ad Clerum & populum de * Murmiralio.

* al. Murmurallio.

Ut obediant Hugoni Dolensi archiepiscopo.

ADRIANUS episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis clericis & laicis de Murmiralio, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto amplius venerabilem fratrem nostrum H. Dolensem archiepiscopum sincera in Domino caritate diligimus, & eum sicut carissimum fratrem nostrum cupimus honorare; tanto magis ipsum in sua justitia manutenere volumus, & ut ei à subjectis suis filialis reverentia & honor debitus impendatur efficere modis omnibus exoptamus. Ea propter universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eum cum nostræ gratiæ plenitudine ad vos tamquam ad speciales filios redeuntem honorifice ac benigne recipiatis, honeste tractetis; & ipsi tamquam pastori proprio animarum vestrarum debitam in omnibus subjectionem & obedientiam impendentes, more antecessorum vestrorum integros redditus terræ vestræ, quemadmodum prædecessores ejus Dolenses archiepiscopi habuisse dignoscuntur; ita eumdem fratrem vestrum quiete atque pacifice habere absque contradictione aliqua permittatis. Datum Lateranis vj. calendas Junii.

ADRIANI PAPÆ IV. EPISTOLA VIII.
Ad Briocensem & Trecorensem episcopos.

Ut impediant sacerdotes suos invito Dolensi archiepiscopo divina officia celebrare.

ADRIANUS episcopus Servus Servorum Dei venerabilibus fratribus Briocensi & Trecorensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.

Injunctum uobis apostolatus officium ammonet nos modis omnibus & invitat, ut fratribus nostris episcopis jura sua illibata debeamus & integra conservare. Hujus itaque rationis intuitu, venerabili fratri nostro HUGONI Dolensi archiepiscopo quod ad jus suum pertinere dignoscitur conservare volentes; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus sacerdotes illos, qui in ecclesiis in vestris parrochiis constitutis, quæ ad jus Dolensis ecclesiæ spectare noscuntur, ipso archiepiscopo renitente, divina officia celebrant, infra xv. dies post susceptionem præsentium litterarum diligentius moneatis, ut à tanta præsumtione desistant, & in prædictis ecclesiis ipso invito divina ulterius officia celebrare nulla ratione præsumant. Quod si facere attentaverint; usque ad condignam satisfactionem ecclesiasticam in eos sententiam proferatis. Datum Lateranis iij. Idus Aprilis.

ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLA I.
Ad Barones & populum Dolensem.

Commendat Hugonem Dolensem archiepiscopum.

ALEXANDER episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris Baronibus & universo populo Dolensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Decet nobilitatem vestram ecclesias & eorum bona sincera caritate diligere, & ab iniquorum impugnationibus viriliter defensare, ut tanto majora in futuro valeatis præmia obtinere, quanto magis divinis operibus vos constiterit esse intentos. Inde est quod Dolensem ecclesiam, quæ utique ex magna parte imminuta & desolata esse dignoscitur, devotioni vestræ attentius commendamus, rogantes plurimum, & in peccatorum vestrorum veniam injungentes, quatenus ecclesiam ipsam & venerabilem fratrem nostrum H. Dolensem archiepiscopum pietatis intuitu & pro reverentia B. Petri ac nostra diligatis, & propensius defendatis atque adversus eos, qui ecclesiam ipsam & pos-

ſeſſiones ejus auferunt, vel moleſtant, & qui eidem archiepiſcopo rebelles & inobedientes exiſtunt, conſilium ei & auxilium efficaciter miniſtretis. Scire ſiquidem debet diſcretio veſtra omnes illos, qui eccleſiarum bona diripiunt & per violentiam detinent; excommunicationis vinculo eſſe ſubjectos. Datum Anagniæ v. Nonas Martii.

ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLA II.
Ad Bartholomæum archiepiſcopum Turonenſem.

Arguit eum quod ad conſtitutum terminum non comparuerit, novaſque ei indulget inducias.

ALEXANDER epiſcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri B. Turonenſi archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sicut felicis memoriæ prædeceſſor noſter Adrianus papa E. prædeceſſori tuo mandavit, ut HUGONI quondam Dolenſi archiepiſcopo de ſuffraganeis reſponſurus, ad Sedem Apoſtolicam accederet; ita nos quoque tuæ fraternitati mandavimus, ut cum dilecto filio noſtro Dolenſi electo amice componeres, vel in termino quem tibi præfiximus apoſtolico te conſpectui præſentares. Tu vero nec ad diem ſtatutum veniſti, nec reſponſalem mittere ſtuduiſti. Et cum tu miſiſſes quemdam nuncium cauſam tuæ infirmitatis per eum prætendens, & à nobis inducias uſque ad concilium poſtulans, nec in concilio te præſentem exhibere, nec reſponſales ad agendum inſtructos deſtinare curaſti. Quia vero prædicto electo, qui longam apud nos moram habuit, & plurimas fecit expenſas, in ſua juſtitia deeſſe non poſſumus, nec debemus; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus cum prædicta eccleſia pacifice amicabiliterque componas, aut uſque ad proximam Dominicam, qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, vel ad plus quando cantatur *Ego ſum paſtor bonus*, plene inſtructus, per te vel per ſufficientes reſponſales occaſione & excuſatione poſtpoſita apoſtolico conſpectui

repræſentes. Quod ſi tunc non veneris nec ſufficientes reſponſales tranſmiſeris; non minus in cauſa ipſa, quantum ratio patitur, auctore Domino, procedemus. Quia cum tertio inducias tibi dederimus, ampliores non duximus indulgendas, cum ex hoc altera pars videatur nimium aggravata.

ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLA III.
Ad Bartholomæum archiepiſcopum Turonenſem.

Arguit eum quod ad terminum conſtitutum non comparuerit Dolenſi epiſcopo reſponſurus, eumque ad præfixum tempus denuo citat.

ALEXANDER epiſcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri B. Turonenſium archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Non ſumus obliti, nec à memoria tua credimus excidiſſe, quod ſicut felicis memoriæ prædeceſſor noſter Adrianus tuo prædeceſſori mandavit, ut HUGONI quondam Dolenſi archiepiſcopo de ſuffraganeis reſponſurus ad Apoſtolicam Sedem accederet; ita nos jampridem tuæ fraternitati mandavimus, ut vel cum dilecto filio noſtro R. Dolenſi electo amice componeres, vel in termino, quem tibi præfiximus, apoſtolico te conſpectui præſentares. Tu vero per te vel per reſponſalem tuum in termino, quem ſtatuimus, non veniſti; ſed miſiſti ad nos quemdam nuntium per quem cauſam tuæ ægritudinis prætendebas. Licet autem per ipſum nuntium ſuper jam dicta cauſa uſque ad concilium à nobis inducias poſtulaſſes; in concilio tamen nec te præſentem habuimus, nec reſponſales tuos ad agendum inſtructos. Nunc vero cum te proxima Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem* vel *Ego ſum paſtor bonus*, juxta mandatum noſtrum, quod tibi noviſſime dedimus, ad noſtram credimus præſentiam acceſſurum. Nuntium tuum recepimus cum litteris tuis & plurium perſonarum, quibus inſtantes & ſollicite rogabamur, ut non revocaremus ſententiam quæ inter tuam & Dolenſem eccleſiam jam pri-

dem fuerat promulgata. Verum cum quæstio illa non à nobis, sed à prædecessore nostro, post sententiam latam, & post concordiam, quæ inter prædictas ecclesias facta est, cœperit retractari; dimittere non possumus, non debemus, quin causam ipsam secundum juris ordinem prosequamur. Quamvis autem pro eo quod plerumque vocatus & demum peremtorie non venisti, tibi & ecclesiæ tuæ possemus pœnam infligere; precibus tamen carissimi in Christo filii nostri L. illustris Francorum regis & PHILIPPI regis filii sui, qui nos pro te super ipsa causa rogaverunt, & consideratione sui ipsius, tibi vel eidem eclesiæ tuæ pœnam non duximus infligendam; sed potius in præscripta causa contra id quod aliæ litteræ nostræ continebant, usque ad proximum festum beati Martini licet non sine multo & gravi onere præfati electi, qui apud nos per annum & amplius expectavit, terminum prolongamus. Mandamus itaque fraternitati tuæ & districte præcipimus, quatenus in eodem termino sufficienter instructus, omni occasione & excusatione cessante, per te vel sufficientes responsales tuos apostolico te conspectui repræsentes, attentius provisurus, ne ad deludendum mandatum nostrum prædictorum regum vel aliorum suffragia quæras: cum ex hoc inter ecclesiam & ipsos reges scandali materiam quærere videaris. Si vero tunc forte non veneris, nec sufficientes miseris responsales; nos in causa nihilominus, quantum ratio patitur, auctore Domino procedemus.

ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLA IV.
Ad regem Francorum.

Ut controversiam Dolensem inter & Turonensem ecclesiam componere studeat.

REgiæ magnitudini non credimus esse incognitum, qualiter Dolensis ecclesiæ, quam recolendæ memoriæ CHILDEBERTUS quondam illustris rex Francorum fundasse dicitur, & magnis possessionibus privilegiisque dotasse,

taſſe, occaſione controverſiæ, quam habet cum Turonenſi eccleſia, gravata ſit & attrita, & in ſpiritualibus & temporalibus plurimum diminuta. Unde quoniam ſicut communis pater dicimur, communiter ſine perſonarum delectu omnium eccleſiarum jura tenemur illibata ſervare; celſitudinem tuam rogamus attentius, & monemus, nec non & in remiſſionem peccatorum injungimus, quatenus ad deſolationem ipſius eccleſiæ oculo clementiori reſpiciens, divini amoris intuitu & conſideratione ſanctorum, qui ejuſdem eccleſiæ paſtores eſſe dicuntur; videlicet S. Samsonis, qui Aurelianis; S. Maglorii, qui Pariſius; B. Turiavi, qui apud S. Germanum quieſcunt, ut dicitur; inter utramque eccleſiam per te & per alios pacifice amicabiliterque componere modis omnibus elabores. Occaſione namque ipſius diſcordiæ poſſeſſiones jam dictæ eccleſiæ à baronibus & aliis militibus ſunt pro parte invaſæ maxima; conjugia & alia ſacramenta eccleſiaſtica nequaquam ibi ſecundum Deum & ſtatuta canonum diſponuntur, & nonnulli frequenter in tertio gradu junguntur, & vir unus tres habet uxores, & quando alicujus uxor leproſa efficitur, eam dimittit, & aliam contra rationem eccleſiaſticam ducit. Si autem compoſitio fieri nequiverit, patienter & benigne ſuſtineas, ut Dolenſis eccleſia contra Turonenſem ordine judiciario valeat experiri, ne tantorum malorum cauſa, quod abſit, perhibearis exiſtere, vel nominis tui detractionem poſſis ob hoc merito ſuſtinere. Sane cum felicis memoriæ prædeceſſor noſter Adrianus papa ſuper hoc ſcripſerit, omittere nec poſſumus nec debemus, quin eidem Dolenſi eccleſiæ in ſuo curemus jure adeſſe.

ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLA V.
Ad G. Senonensem archiepiscopum, H. Bajocensem episcopum, S. Sanctæ Genovefæ abbatem, & Decanum Bajocensem.

De recognitione testium in controversia Dolensem inter & Turonensem ecclesiam agitata.

ALEXANDER episcopus Servus Servorum Dei venerabilibus fratribus G. Senonensi archiepiscopo, H. Bajocensi episcopo, & dilectis filiis S. abbati S. Genovefæ, & .....Decano Bajocensis ecclesiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster B. Turonensis archiepiscopus Apostolicæ Sedis legatus, & dilectus filius R. Dolensis electus pro causa, quæ inter prædecessores eorum, temporibus antecessorum nostrorum, de subjectione Dolensis ecclesiæ, quam prædictus archiepiscopus asserit se habere, & super ejusdem libertate, in quam electus ipse reclamat, diu, & sæpe sicut nosse vos credimus, actitata fuerat, ad mandatum nostrum apostolico se conspectui præsentarunt. Ipsis autem in nostra præsentia constitutis, prædictus electus à nobis ordinationem, consecrationem suam, & palleum quæsivit, sicut prædecessores suos palleum habuisse dicebat. Archiepiscopus vero in contrarium allegabat, quod cum electus vel confirmatus non sit, super hoc debebat audiri; & si electus esset, ab eo sicut à metropolitano suo confirmationem electionis, ordinationem, & consecrationem postulare debebat, sicut Hugo proximus prædecessor ejus fecerat, qui juxta sententiam beatæ memoriæ LUCII papæ prædecessoris nostri à piæ recordationis ENGELBAUDO quondam Turonensi archiepiscopo confirmatus fuit, & etiam consecratus, & obedientiam ei secundum consuetudinem aliorum suffraganeorum suorum promisit. Electus vero id sibi vel ecclesiæ suæ non obesse

dicebat: quia cum idem prædecessor ipsius electi Andegavum cum quinque canonicis de capitulo suo, duobus senioribus scilicet, & tribus junioribus, accessisset, ut de concordia ibi, sicut statutum esse dicebat, cum eodem archiepiscopo Turonensi tractaret; & archiepiscopo non invento, dum ad eum Turonis vellet accedere, illi duo seniores canonici videntes quod non tantum ad concordiam, sed etiam ad consecrationem vellet procedere; ei ne ultra progrederetur ex parte ecclesiæ interdixerunt: sed ipse nihilominus cum illis tribus canonicis junioribus ad archiepiscopum ipsum accessit, & ab eo munus consecrationis accepit, & à consecratione rediens non fuit in ecclesiam ipsam admissus. Adjecit insuper quod per antecessorem nostrum beatæ memoriæ ADRIANUM papam, cujus postmodum se conspectui præsentavit, concordia illa, quam cum Turonensi archiepiscopo fecerat, quassata fuerit, & idem prædecessor suus ab obedientia, quam ecclesiæ Turonensi promiserat, absolutus, & decoratus palleo, de absolutione ipsius obedientiæ ab eodem Adriano papa litteras impetravit, quas à latronibus spoliatus amisit. Litteras etiam ad archiepiscopum Turonensem obtinuit, quibus ei prædictus Adrianus papa mandabat, ut eidem Hugoni de suffraganeis ad Apostolicam Sedem accederet responsurus. Prædictus vero archiepiscopus super ejus consecratione Dolensem ecclesiam consensisse dicebat, in tantum quod ea litteris cum ipso & pro ipso petente & eum præsentante à præfato E. archiepiscopo confirmatus & consecratus fuit, & obedientiam ipsi promisit, & reversus ab eadem ecclesia cum processione & ab aliis conventualibus ejus ecclesiis est honeste receptus, & coram Turonensi archiepiscopo dum Turonensis ecclesiæ negotia tractarentur, cum aliis suis suffraganeis sedit; eique post absolutionem illam, quam idem electus ipsum à præfato Adriano papa impetrasse dicebat, sicut suus suffraganeus obedivit: quod se dicit suo loco & tempore probaturum. Prædictam autem concordiam se ignorare dicebat, & litteras de cassatione ipsius concordiæ aut de citatione prædecessoris sui super suffraganeis negabat præsentatas fuisse alicui archiepiscopo Tu-

ronensi, vel umquam ei bullatas apparuisse, nec litteras de absolutione obedientiæ obtentas fuisse credebat, cum earum non fuerit rescriptum ostensum. Electus autem litteras illas quibus consecrationem & confirmationem prædecessoris sui videtur Dolensis ecclesia à sæpedicto E. archiepiscopo petivisse, falsas omnino dicebat: tum quia nomen Decani in eis præpositum legebatur, cum Decanus in illa ecclesia nullum haberet personatum; tum quia jam dictus HUGO sigillum capituli adulterinum habebat. Eis vero circa possessionem varia contraria proponentibus, cum idem archiepiscopus super subjectione, & præfatus electus super libertate ipsius ecclesiæ se dicerent possessores: Testes quos idem electus præsentes habebat jurare fecimus, quod de cassatione præscriptæ concordiæ, de absolutione obedientiæ per Adrianum papam obtenta, & de contradictione, quæ per duos seniores canonicos pro Dolensi ecclesia dicitur Andegavis facta, & de eo quod idem HUGO à consecratione rediens ab ecclesia ipsa dicitur non admissus, & de aliis ad possessionem libertatis & subjectionis ipsius ecclesiæ facientibus, de qua coram nobis disceptatum est. Si ad mandatum nostrum interrogarentur, cum non nisi de possessione alterutra partium disceptare voluerit, sine admixtione falsitatis puram & simplicem dicerent veritatem. Qui utique de mandato nostro sub juramenti districtione quæsiti, coram venerabili fratri nostro E. Portuensi episcopo; & dilectis filiis J. titulo S. Marci, & HUG. titulo S. Clementis presbyteris cardinalibus, super illis quatuor articulis testimonium reddiderunt. Eosdem autem testes super adulterino sigillo & super aliis ad possessionem facientibus audiendos, & recipiendos alios testes, si quos archiepiscopus de possessione subjectionis, aut electus de possessione libertatis super capitulis, videlicet quæ prædiximus, & super eo quod præscripta ecclesia memorati HUGONIS consecrationi consensisse, & à consecratione rediens ab ipsa ecclesia fuisse cum processione receptus, & idem HUGO post absolutionem obedientiæ quam ab Adriano papa impetrasse dicitur, Turonensi archiepiscopo asseritur obediisse, & super aliis quæ ad eam-

dem possessionem faciunt præsentaverit; ad petitionem utriusque partis vestræ discretioni committimus districte vobis auctoritate præsentium præcipiendo mandantes, quatenus usque ad proximas octabas beati Martini omni gratia & favore postposito, occasione quoque contradictione & excusatione cessante, in loco vobis & utrique parti congruo conveniatis in unum, & partibus ante præsentiam vestram convocatis, primo laboretis inter ipsos amice componere, quia honor vobis esset & nobis gratissimum, si per studium & sollicitudinem vestram possent ad concordiam revocari. Si vero id facere nequiveritis; testes super capitulis quæ prædiximus ab alterutra vobis partium præsentatos usque ad proximum festum Dominicæ Nativitatis, & alios, si qui postea vobis producti fuerint, appellatione cessante recipiatis, & depositiones eorum super omnibus illis articulis, & eorum etiam, quos jurare fecimus, interrogatorum sub eo juramento quo nobis tenentur astricti fideliter & studiose redigatis in scripta, & audiatis quæ adversus testes coram vobis proposita fuerint, & à proximo festo B. Michaelis in Septembri usque ad annum testes utriusque partis super his quæ prædiximus, appellatione cessante, recipiatis; etiamsi testes, quos contra illos alterutra partium duxerit producendos, & depositiones omnium testium & allegationes partium studiose conscriptas sigillorum vestrorum impressione claudatis, ut extunc possint ad Sedem Apostolicam iter arripere, & cum his à proximis Calendis Martii usque ad biennium sicut eis præsentibus cum consilio fratrum nostrorum statuimus apostolico se conspectui præsentare, auctore Deo præscriptæ causæ finem debitum suscepturi. In recipiendis autem testibus & in aliis eas detis inducias quod à proximo festo beati Michaelis usque ad annum omnes testes recepti sint, & mandatum nostrum quod vobis damus per omnia consummatum; ita quod neutra partium occasionem non veniendi habere valeat, aut terminum producendi. Si vero una parte præsente altera non venerit in termino constituto, nec sufficienter miserit responsalem in ipsa causa; non minus, quantum ratio dictaverit, auctore

Deo procedetur. Ceterum si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, tres vestrum vel etiam duo, ita quod unus ex una parte & alter ex altera sit, ea contradictione & appellatione cessante, sicut dictum est nihilominus exsequantur. Datum Tusculani v. Calendas Martii.

ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLA VI.
Ad decanum & capitulum Dolense.

Ex fine secundi libri quaterno sexto primi voluminis Regestorum Domini Alexandri papæ III.

Ut Dolensis electus consecrationem ab archiepiscopo Turonensi recipiat, eique obedientiam promittat.

QUanto tempore controversia inter vos & Turonensem ecclesiam fuerit agitata, & quanta exindé scandala & detrimenta provenerint, à discretionis vestræ memoria non credimus excidisse. Cum vero antecessor noster beatæ recordationis LUCIUS papa eidem controversiæ debitum finem vellet imponere, utraque parte in sua præsentia constituta, & rationibus & instrumentis hinc inde inspectis, Dolensem ecclesiam Turonensi ecclesiæ metropolico jure subjectam esse adjudicavit: ita quod ad suffraganeos vel ad usum pallei eadem Dolensis ecclesia de cetero nullatenus aspiraret. Quam utique sententiam prædecessores nostri felicis memoriæ EUGENIUS & ANASTASIUS Romani pontifices ratam & firmam habentes ..... auctoritatis apostolicæ privilegiis confirmarunt. Postmodum autem inter utramque ecclesiam, sicut dicitur, intercedente concordia. HUGO qui præfatæ ecclesiæ Dolensi quondam noscitur præfuisse, ad Apostolicam Sedem accessit, & occasione litterarum Turonensis archiepiscopi ab antecessore nostro bonæ memoriæ ADRIANO papa pallei usum obtinuit, cum prius consecrationem à Turonensi archiepiscopo suscepisset, & subjectionem ei & obedientiam promisisset. Quia igitur jura vestra ita vobis volumus conservare, ut dignitas Turonensis ecclesiæ in nullo penitus

minuatur. Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si forte in personam unanimiter convenistis, eam venerabili fratri nostro JOH. Turonensi archiepiscopo præsentetis: quæ si nondum per legatos nostros confirmata est, & idem archiepiscopus electionem canonice factam invenerit, eam pro sui officii debito confirmabit, & electo munus consecrationis impendet, ita quidem quod consecratus debitam ei obedientiam & reverentiam secundum ecclesiæ consuetudinem exhibeat & promittat. Quod si forte electio per legatos confirmata est, & electus eorum auctoritate, quod tamen non credimus fuerit consecratus, nihilominus ad ipsum archiepiscopum cum ab eo vocatus fuerit accedat, & obedientiam ei exhibeat, sicut est superius denotatum. Si vero infra tres menses ex quo ab archiepiscopo vocatus fuerit, ad ejus præsentiam non accesserit; & sicut dictum est, obedientiam ei non fecerit; nos ex tunc eum ab administratione temporalium rerum & ab exsequutione officii, quod post electionem suscepit, Apostolicæ Sedis auctoritate privamus. Datum Prænest. iiij. Idus Julii.

LUCII PAPÆ III.
Commissio super receptione testium.

LUCIUS episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis decano Cenomanensi, J. de Veteri Ponte archidiacono Rothomagensi & Magistro Hug. Januensi præposito ecclesiæ S. Mariæ de Castello, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius noster electus Dolensis, & nuntius venerabilis fratris nostri Turonensis archiepiscopi, pro causâ quæ jampridem inter eos & eorum ecclesias emersit, & fuit coram felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro diutius actitata; & ab eo receptio testium utriusque partis sub certa forma commissa, in nostra essent præsentia constituti, post diutinam moram concorditer postularunt, ut vobis tribus, duobus electis à partibus

& tertio à nobis dato receptionem testium juxta formam, quam jam dictus prædecessor noster præfixerat committere deberemus. Nos autem considerantes utramque ecclesiam maximis laboribus & expensis hactenus inutiliter laborasse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus ad competentem locum proximiorem Dolensi ecclesiæ, securum archiepiscopo vel procuratori suo, ad recipiendos testes Dolensis ecclesiæ, & postea ad locum securum electo vel procuratori suo, ad recipiendos testes Turonensis ecclesiæ accedentes omni gratia & timore postposito, testes utriusque partis juxta formam præscriptam ab eodem prædecessore nostro infra tres menses post harum susceptionem recipiatis, nullius contradictione vel appellatione obstante. Si vero alterutra partium absentaverit, neque procuratorem miserit; nisi legitimum impedimentum manifeste probaverit; ejus qui præsens fuerit testes jurisjurandi religione astrictos præcipimus recipi, & diligentius interrogari, atque cum omni diligentia, & cautela eorum dicta conscribi. Deinde attestationes sigillis vestris inclusas ad Sedem Apostolicam transmittatis, spatium duorum mensium post prædictos tres in quibus testes recepti fuerint partibus præfigentes, quo se debeant cum ipsis attestationibus apostolico conspectui præsentare, & visis & cognitis rationibus utriusque, vel illius partis, quæ testes produxerit, controversia finem debitum omni cessante diffugio sortiatur. Si autem his exsequendis nequiveritis aut nolueritis interesse: duo, omni appellatione & excusatione cessante, [illegible]ndatum apostolicum exsequantur. Ceterum si negligentia judicum, vel tergiversatione alicujus partium, testes recepti non fuerint, nihilominus pars utraque plene instructa per se vel per sufficientem responsalem termino constituto, quem utrique parti peremtorium assignamus, ad apostolicam sedem accedat; quoniam altera veniente, si altera venire noluerit; nihilominus quantum ratio dictaverit procedetur. Datum Veronæ xv. Calendas Septembris.

URBANI

URBANI PAPÆ III. EPISTOLA
Ad Turonensem archiepiscopum.

Ad precem Philippi Francorum regis inducias ei concedit, ut amice cum Dolensi ecclesia componat.

LIcet negotium, quod inter tuam & Dolensem ecclesiam vertitur, ex induciis tibi ab Apostolica Sede concessis diutius sit protractum, unde ad decisionem ipsius jam esset merito procedendum, præsertim cum à recolendæ memoriæ Alexandro papa, dum moram faceret Tusculani, nonnulli fuerint pro Dolensi ecclesia testes recepti & examinati, & deinde secundum ipsius papæ seriem litterarum de mandato piæ recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri coram dilectis filiis decano Cenomanensi, J. de Veteri ponte archidiacono Rothomagensi, & Magistro Hugoni Januensi præposito S. Mariæ de Castello, testes fuerint ab utraque parte producti, & attestationes conscriptæ apostolico conspectui præsentatæ. Expectantes tum quod inter te & prædictam ecclesiam controversia diutius habita de assensu partium concordia terminetur; ad preces carissimi filii nostri PHILIPPI illustris Francorum regis, cui, quæcumque cum Deo possumus, facere volumus & debemus, adhuc à mense Martio proxime venturo, usque ad annum inducias peren...... tibi & prædictæ commissa tibi ecclesiæ duximus prorogandas; ita quod si infra præscriptum terminum controversia ipsa non fuerit concordia terminata, ipse per te vel per responsales idoneos & sufficienter instructos præfatæ Dolensi ecclesiæ responsurus, & sententiam secundum Deum & veritatem recepturus, apostolico te conspectui repræsentes, non obstantibus litteris, quas nuntii tui præpropere sine conscientia jam dicti electi & canonicorum dictæ Dolensis ecclesiæ reportarunt, quarum tenorem adhuc eisdem nuntiis in nostra præsentia constitutis secundum præsentem formam præcepimus immutandum. Tua siquidem fraternitas studiose provideat, ne occasione

induciarum istarum, te in compositione facienda durum exhibeas & remissum: quia si id rei veritate constiterit; nos easdem inducias revocabimus, & ad id quod justum fuerit, auctore Deo, procedemus. Datum Veronæ calendis Septembris.

SELECTA TESTIMONIA PRO ECCLESIA TURONENSI CONTRA DOLENSEM.

BRICCIUS abbas S. Georgii juratus dixit, quod cum esset capellanus Domini ÆN. Turonensis archiepiscopi, vidit clericos Dolensis ecclesiæ canonicos, & alios octo vel plures, præsentantes electum suum HUGONEM Rufum prædicto archiepiscopo cum litteris capituli Dolensis, continentibus subscriptiones canonicorum Dolensium, quibus lectis & approbatis, fecit dictus Hugo professionem Turonensi archiepiscopo, & sic vidit eum consecrari: & hæc consecratio fuit in Dominica, qua cantatur *Populus Sion*. Subsequente vero Augusto vel Septembri, sedente Domino Turonensi cum episcopis suis apud Burgulium & tractante de negotiis provinciæ suæ, supervenit prædictus Hugo, & dixit Domino Turonensi: ego moram feci, tandem veni ad mandatum vestrum & ad obedientiam sicut & ceteri episcopi vestri.

GAUFRIDUS archidiaconus Turonensis juratus dixit idem de præsentatione, de professione, & de consecratione, quod proximus: addidit etiam quod cum esset Romæ & archiepiscopus Turonensis JOCIO, & præsens esset prædictus HUGO, non audivit aliquid de absolutione ipsius. Audivit tamen quod jam impetraverat pallium: addidit etiam, quod audivit diu, quod En. fuit citatus à Summo pontifice, ut responderet Dolensibus.

HUGO decanus Turonensis juratus dixit, quod die tertia vel quarta post consecrationem Hugonis Dolensis vidit Oliverium archidiaconum Dolensem venire ad domum BARTHOLOMÆI tunc præpositi in ecclesia beati Mar-

tini, & supplicare ei quod ipse reconciliaret eum Domino Turonensi En. qui conceperat adversus eum rancorem, propter inobedientiam, de qua ei satisfecerat; quoniam de cetero suus esset, & tota ecclesia Dolensis, & eorum episcopus. Postea vidit quod dum Dominus Bartholomæus, qui nunc sedet archiepiscopus in ecclesia Turonensi, visitaret Britanniam provinciam suam tempore istius electi, transitum fecit per Dolensem episcopatum, & crux ferebatur ante eum, & campanæ pulsabantur à sacerdotibus illius episcopatus, & dum hæc fierent, vidit episcopum Macloviensem qui cum eo erat, elevare manus ad cælum dicens, Benedictus Deus, quia video Dominum archiepiscopum Turonensem honorari & exaltari in episcopatu Dolensi sicut proprium metropolitanum. Vidit etiam quod sacerdotes referebant ad eum quæstiones suas. Vidit etiam quod cum Dominus Turonensis celebraret concilium Redonis; abbas S. Jacuti, qui est de episcapatu Dolensi, venit cum aliis abbatibus, qui ad vocationem prædicti archiepiscopi Turonensis venerant: & vidit eum redeuntem cum cappa serica in concilio baculum pastoralem habentem in manu sua. Postea prædictus abbas venit Vermacum ad Dominum Turonensem de mandato ipsius. Item venit Turonos vocatus ab eodem archiepiscopo Turonensi, & supplicavit ipsi Decano, ut rogaret Dominum Turonensem pro eo, quia antecessor suus fecerat obedientiam Domino En. Turonensi, & adhuc ipse erat in eadem obedientia, & recognoscebat Dominum Turonensem archiepiscopum suum. Postea fecit prædictus abbas apud Vitreium obedientiam archiepiscopo Turonensi, & juravit ei fidelitatem, ipso decano præsente & vidente. Vidit etiam parrochiam quamdam Dolensem deportantem querimoniam suam apud Dominum Turonensem, & impetravit litteras ab ipso pro habenda justitia ad quemdam capellanum.

Albericus canonicus & præpositus in ecclesia Turonensi juratus dixit idem quod Briccius abbas de professione, &c....... Similiter idem addidit quod vidit litteras quibus Hugo Dolensis citatus venit Burgulium. Postea amoto pilleo licentiam recedendi ab archiepiscopo Turo-

nensi expetiit dicens : nisi timerem offendisse obedientiam vestram non venissem ; quia multis negotiis eram occupatus. Adjecit quoque quod dum esset Andegavis pro quadam controversia , quæ erat inter Dominum Turonensem & avunculum suum , vidit Dominum Turonensem sedentem in capitulo S. Albini cum quibusdam suis suffraganeis, inter quos erat & HUGO.

GARNERIUS sacerdos & præcentor ecclesiæ Turonensis juratus dixit idem quod alii de præsentatione, de professione, & de die consecrationis. Addidit tamen quod in reditu suo à Roma , venit Turonos , & intravit cameram Domini Turonensis , qui non assurrexit ei. Et cum prædictus HUGO conquereretur, quare non ostendistis mihi hilarem vultum ? Respondit quia non promeruisti. Et dixit HUGO : ego nihil demerui apud vos, & nihil feci contra obedientiam vestram ; immo sum vobis obediens & ero.

IVO archipresbyter Turonensis juratus dixit quod vidit canonicos Dolenses decem jurare obedientiam in capitulo Turonensis ecclesiæ & archiepiscopo Turonensi, qui fuerant excommunicati à prædicto archiepiscopo , quoniam nolebant eligere episcopum in ecclesia sua juxta mandatum apostolicum quod inde acceperant. Addiderunt in juramento etiam quod de cetero non vexarent ecclesiam Turonensem, nec de cetero recipient aliquem canonicum, qui hoc sacramentum non patraret : & hoc sacramentum præstiterunt absoluti ab eodem archiepiscopo.... Addidit de clericis quod juraverunt se parituros sententiæ latæ à LUCIO papa , & vidit unum illorum Oliverium nomine archidiaconum Dolensem facientem prædictum sacramentum cum lacrymis.

AMAURICUS canonicus Turonensis juratus dixit quod... vidit eum Burgulii sedentem cum aliis suffraganeis & dicentem archiepiscopo : nihil mihi est onerosum, quod vos vel ecclesia vestra mihi præceperit : & hoc fuit post reditum HUGONIS à Roma.

GAUFRIDUS monachus Vindocinensis juratus dixit, quod vidit HUGONEM & canonicos Dolenses , venientes ad consecrationem, qui prostraverunt se ante januam

ecclesiæ ad pedes ENGELBAUDI Turonensis archiepiscopi, & ibi fuerunt absoluti; & postea prædictus Engelbaudus recepit Hugonem absolutum in osculo pacis, & tunc præsentatus fuit à clericis Dolensibus prædicto archiepiscopo, ut consecraretur, &c.

ROBERTUS prior S. Albini juratus dixit, quod vidit prædictum HUGONEM redeuntem à consecratione sua recipi processionaliter in ecclesia S. Albini, sicut consuetudinis est illius monasterii suffraganeos Turonensis ecclesiæ redeuntes à consecratione processionaliter recipere. Postea accepit ab ore prædicti Hugonis, quod ibat Burgulium vocatus à Domino Turonensi cum aliis episcopis.

GALTERIUS presbyter de S. Venantio juratus..... de clericis dixit quod sex vidit quorum nomina hæc sunt GAUFRIDUS decanus, OLIVERIUS archidiaconus, GERVASIUS, GUIDO de Meletia, ROBERTUS Gallus, & ut credit VV. de Dinan. Addidit etiam quod vidit prædictum Hugonem redeuntem à consecratione sua recipi processionaliter apud Dolum, & quod interfuit nuptiis prædicti factis in domo Conani archidiaconi, & ipse semper fuit cum eo redeunte à consecratione usque ad receptionem.

GAUFRIDUS presbyter de Dinan juratus...... dixit, quod interfuerunt præsentationi prædicti Hugonis Gaufridus decanus, magister Igerius, Christianus. Postea dixit, quod venit cum eo Andegavum, & fuerunt ibi ei obviam GUIDO de Meletia, ROBERTUS Gallus, VV. de Dinan, OLIVERIUS archidiaconus, & multi milites de episcopatu Dolensi. Postea vidit eum infra quintum diem in domo sua, quæ dicebatur domus Conani archidiaconi in pace, & rediens à consecratione vidit eum recipi processionaliter in duobus monasteriis.

PAGANUS presbyter juratus dixit, quod ipse erat Burgulii quando JOCIUS arch. Turonensis cum Cenomanensi & Andegavensi episcopis excommunicavit HUGONEM Rufum de mandato Domini papæ ADRIANI, & audivit legi litteras ipsius, & hoc faciebant propter transgressionem juramenti, quod fecerat Turonensi ecclesiæ, sicut audierat dici.

DAVID Coquus archiepiscopi juratus dixit idem quod alii de præsentatione, professione, & consecratione. Postea vidit eum venientem à Roma, & venientem Turonos, & colloquentem cum archiepiscopo Turonensi, extracto pilleo dedit ei osculum. Postea dixit quod detulit litteras prædicto HUGONI Dolensi, quibus vocabatur ad congregationem episcoporum, quæ facta fuit. Burgulii, & cum præfato Hugone venit Burgulium, & vidit eum Burgulii sedentem in capitulo cum aliis episcopis, & ibi retulit gratias de quinque solidis, quos prædictus Hugo ei dederat.

CLAREMBAUDUS presbyter juratus dixit idem quod alii proximi, præter quod addidit, quod audivit HUGONEM Dolensem electum & clericos Dolenses, jurantes se observare sententiam à LUCIO papa latam, & subjectionem perpetuam ecclesiæ Turonensi, & quod nullum canonicarent, qui non faceret prædictum juramentum, & si non faceret, non haberet fructum præbendæ.

SALOMON presbyter dixit quod vidit Hugonem Dolensem redeuntem à Roma venire ad JOSCIUM Turonensem, & conquerebatur quod visum amiserit in via propter offensam, quam fecerat ecclesiæ Turonensi; & recognoscens se excommunicatum, petebat absolvi ab eo, & absolutus dedit ei anulum.

HUGO presbyter juratus dixit, quod vidit HUGONEM Dolensem in capitulo S. Mauricii Turonensis jurare, quod non peteret palleum contra ecclesiam Turonensem, nec faceret se vocari archiepiscopum in terra sua, sive in alia; & hoc fuit in die sabbati, & in crastina consecratus est.

BONUS HOMO monachus juratus dixit idem quod proximus. Addidit tamen quod dixit professionem in lingua [a] Romana & in Latina.

VVILLELMUS presbyter juratus dixit idem quod alii.... Addidit tamen quod tantum latine legit professionem suam. Postea vidit eum cum rediret à Roma reddentem se ecclesiæ Turonensi, & postea venit ad portas ecclesiæ, & prof-

[a] Id est vernacula seu Gallica. Ita in libro Usuum Cisterciensium cap. 93. *Si conversus est vel monachus qui non intelligit litteras, idem illi Romane exponat sacerdos, & conversus Romane confiteatur.* Hinc & Gallia Romania dicitur in Vita S. Samsonis n. 2. 60. & 61.

travit se ad terram, & omnes canonici transierunt super eum, & sic meruit absolvi. Et postea vidit clericos Dolenses jurare ecclesiæ Turonensi.

ROBERTUS presbyter dixit.... quod cum venisset Dolum ordinandus à prædicto HUGONE Dolensi, vidit eum sedentem ibi in pace, & ordinavit eum in diaconum in ordinibus, quos fecit apud Fontenellam. Interrogatus utrum vidisset eum utentem pallio; dixit, non.

BARBOTINUS presbyter juratus dixit, quod vidit HUGONEM Dolensem venire Turonis, & præsentavit se Domino ENGELBAUDO Turonensi archiepiscopo in capitulo suo, petens ab eo misericordiam, ut parceret ei tamquam suo episcopo; & inde venit ad portas ecclesiæ, & prostravit se prædictus HUGO ad terram ante archiepiscopum Turonensem, & canonici Turonenses rogaverunt archiepiscopum pro eo, & ipse absolvit eum, & duxit in ecclesiam, & fecit ei obedientiam,

ROBERTUS malus vicinus.... Addidit quod in tempore JOSCII vidit prædictum HUGONEM Dolensem in ecclesia Turonensi, reddentem se & confitentem se esse perjurum contra ecclesiam Turonensem.

HARDUINUS monachus Pruliacensis juratus dixit, quod vidi HUGONEM Dolensem prima vice qua venit ad ecclesiam Turonensem post consecrationem suam recipi ab eodem processionaliter sicuti suum episcopum.

RENALDUS presbyter juratus dixit, quod vidit HUGONEM redeuntem à consecratione Andegavis, & rogatus ab eo, ivit Dolum secum, ubi vidit eum recipi processionaliter à clericis Dolensibus sine aliqua contradictione, & interfuit nuptiis. Procedente tempore, vidit eum Andegavis, & dixit sibi, deterius mihi est modo, quam quando me ultimo dimisisti apud Dolum, quia milites terræ nostræ irati sunt mihi, quia recepi consecrationem à Turonensi ecclesia.

Dominus VVILLELMUS Cenomanensis episcopus propositis sacrosanctis evangeliis dixit, quod interfuit Turonis, & vidit, & audivit quod Hugo quondam Dolensis episcopus à decano, & ab ipsis canonicis, & clericis Dolensi-

bus cum litteris capituli continentibus subscriptionem electionis, quas legit & audivit, quando præsentatus fuit Domino ENGELBAUDO Turonensi archiepiscopo; & ad præsentationem eorumdem fuit ab eodem archiepiscopo in Dolensem episcopum consecratus, & episcopus Cenomanensis manum apposuit consecrationi cum ipso archiepiscopo; & vidit, & audivit, quod idem HUGO more aliorum suffraganeorum obedientiam, reverentiam, & subjectionem promisit archiepiscopo & ecclesiæ Turonensi, & propria manu super altare firmavit. Vidit præterea, quod cum Dominus JOSCIUS, successor ENGELBAUDI, ad audiendas causas sederet apud Andegavum in capitulo S. Albini; idem HUGO interfuit & sedit cum præfato archiepiscopo tamquam unus ex suffraganeis suis, ita quod Dominus Cenomanensis sedit à dextris archiepiscopi, & Hugo à sinistris. Interrogatus si vocatus ab archiepiscopo venerat, dixit se nescire.

VVILLELMUS decanus de Albineio presbyter juratus dixit, quod cum esset in schola Turonensi, vidit HUGONEM Rufum consecrari ab archiepiscopo Turonensi ENGELBAUDO; & vidit eum facere professionem, & cum faceret eam, & diceret, ego archiepiscopus, tandem ad instantiam canonicorum dixit, ego episcopus: & erat cum eo OLIVERIUS archidiaconus, & GAUFRIDUS decanus: & GUIDO de Meletia canonici, & GERVASIUS qui nondum erat canonicus; & Guido de Meletia legebat litteras præsentationis ejusdem HUGONIS ex parte capituli Sancti Samsonis.

JOHANNES de Sancto Leodegario presbyter juratus dixit, quod erat Doli, & vidit HUGONEM Rufum redeuntem à consecratione sua à Turonis, sicut publice dicebatur, recipi processionaliter in ecclesia Dolensi, & interfuit nuptiis ejus in domo Conani archidiaconi. Postea elapsis aliquot diebus cum idem HUGO propter STEPHANUM comitem, qui expulit eum, ne posset celebrare ibi ordines, abiit inde apud Fontenellam, & celebravit ibi ordines, & non habebat palleum; & ideo fuit expulsus, quia non habebat.

ROTALDUS laicus juratus dixit idem prorsus quod Salomon presbyter: & dixit quod in reddendo annulum, prædictus Hugo dixit, quod à modo non intromitteret se de episcopatu Dolensi.

TESTIMONIA SELECTA
PRO DOLENSI ECCLESIA ADVERSUS TURONENSEM.

VVILLELMUS presbyter canonicus Dolensis & decanus quarumdam ecclesiarum episcopatus Dolensis juratus dixit, quod audivit quod HUGO RUBENS canonicus Dolensis ecclesiæ fuit electus in archiepiscopum Dolensem, & quod post electionem venit ad Dominum papam ADRIANUM, & ab eo recepit electionis confirmationem, & litteras, quibus cura Dolensis ecclesiæ sibi committebatur, salva pace utriusque ecclesiæ, & Hugonem electum à Domino papa Adriano redeuntem processionaliter receptum in ecclesia sua: & interfuit processioni, & vidit, & audivit litteras Domini papæ legi, quibus ei cura committebatur Dolensis ecclesiæ. Et audivit quod idem electus dixit canonicis suis, ut præpararent se, & irent secum Andegavum, quia quibusdam amicis intervenientibus tractaverat de discordia inter ipsum & ENGELBAUDUM Turonensem archiepiscopum, & iverunt cum eo ROBERTUS cantor Dolensis ecclesiæ, VVILLELMUS de Dinando canonicus ejusdem ecclesiæ, GAUFRIDUS canonicus ipsius ecclesiæ, & decanus cujusdam partis parrochiæ Dolensis, & GUIDO de Meletia, & OLIVERIUS canonici; & cum venissent Andegavum, & non invenissent archiepiscopum Turonensem, ut crediderant, mora ibi facta, cum archiepiscopus non veniret; proposuerunt canonici electo, ex quo non venit, non est honestum nos hic diutius esse. Electus autem dixit canonicis suis, oportet nos ire Turonis, ut perficiamus concordiam, quæ tractata est inter nos & archiepiscopum. Qui cum quæreret ab eo quam concordiam; respondit electus, non potestis scire nisi Turonis prius iveritis, & juraveritis. Quo audito, canonici Ro-

bertus Cantor & VVillelmus de Dinando dixerunt electo, nec modo Turonis ibimus, neque jurabimus, immo prohibemus ex parte Domini papæ & ex parte capituli nostri, ut nec Turonis modo eatis, nec concordiam aliquam faciatis, quæ sit contra honorem & detrimentum ecclesiæ Dolensis. Istis duobus recedentibus, ipse nihilominus ivit Turonis cum tribus juvenibus canonicis Dolensibus, & audivit quod illi tres juvenes juraverunt observare concordiam pertractatam *, decet tamen juraverunt, salvo jure Dolensis ecclesiæ; & electus consecratus à Turonensi archiepiscopo, fecit ei professionem, & vocavit se in professione illa archiepiscopum. Postea volens redire ad ecclesiam suam cum præmisisset servientes Johannem filium VVillelmi & Caperonem; dictum est à clericis & à laicis, quod nullatenus veniret ad eos; quod audiens divertit ad ecclesiam S. Michaelis in periculo maris. Ibi morans mandavit canonicis Dolensibus ut venirent ad eum. Accedentibus autem illis, dixit se velle ire ad Dñm papam quia recognoscebat culpam suam. Volebat tamen prius ire ad Regem Angliæ, ut ab eo acciperet consilium & litteras ad Dñm papam pro impetranda absolutione professionis, quam fecerat Turonensi. Placuit hoc canonicis. Inde vadens ad regem, impetravit ab eo litteras ad Dominum papam. Veniens autem ad Dominum papam cum quibusdam canonicis, quorum nomina se dicit ignorare, proposuit quod compositionem fecerat cum Turonensi, & consecrationem ab eo acceperat, & fecerat professionem invito capitulo: quare ad ecclesiam Dolensem redire volens, non est admissus. His auditis, Dominus papa, & compositionem cassavit & professionem Turonensi archiepiscopo factam, absolvit prædictum Hugonem. Insuper pallium concessit ei, & litteras cassationem compositionis & absolutionem professionis continentes ei tunc indulsit, quas in via dum rediret impeditus amisit. Rediens autem Dolum Hugo archiepiscopus, cum audirent canonici & populus quod pallium haberet, & absolutus esset à prædicta professione, honorifice & cum processione receptus est. Hæc omnia de auditu. Dicit autem se interfuisse consecrationi ecclesiarum, perfectioni chris-

* f. licet.

matis, & ordinationi clericorum, quam fecit prædictus Hugo cum decore pallii; & nec audivit, nec ſcivit, quod poſtea obediret archiepiſcopo Turonenſi; cum converſatus fuiſſet cum eo per annum. Qui VVillelmus in civitatem reverſus recordatus eſt, quia eſſet papa Anastasius à quo Hugo electus accepit litteras confirmationis ſuæ electionis.

Gaufridus presbyter de Truncheto juratus dixit, quod vidit, & audivit, & interfuit quando Hugo Rubens canonicus Dolenſis eccleſiæ concorditer communiter electus eſt in archiepiſcopum à canonicis ejuſdem eccleſiæ, & quando reverſus eſt à Domino papa Anastasio, oſtendit litteras Domini papæ continentes confirmationem electionis ſuæ, &c.

Henricus abbas S. Jacuti juratus dixit, quod vidit Gal. archiepiſcopum Dolenſem habentem duos epiſcopos ſuffraganeos: videlicet Trecorenſem & Briocenſem; & poſtea vidit Oliverium eligi in archiepiſcopum in eccleſia Dolenſi, & vidit prædictos epiſcopos cum clero Dolenſi recipere prædictum O. in proceſſione. De Hugone autem archiepiſcopo Dolenſi dixit quod...... rediens à conſecratione nec à clero, nec à populo admiſſus eſt; & hac neceſſitate compulſus Romanum adiit pontificatum; & ibi, ut audivit, ab obedientia Turonenſis eccleſiæ eſt abſolutus à papa Adriano, & pallium ab eo obtinuit, quo, ipſo præſente & vidente, uſus eſt in conſecratione cujuſdam altaris monaſterii S. Jacuti, & in benedictione præfati abbatis, & in multis aliis locis.

Radulfus prior de Celſis juratus dixit, quod cum eſſet de menſa archiepiſcopi Dolenſis Baldrici, vidit eum habentem duos epiſcopos ſuffraganeos, Trecorenſem & Briocenſem; ita quod veniebant ad mandatum ipſius, ſicut ad mandatum metropolitani ſui. Audivit autem dici, quod D. Maclovienſis epiſcopus ſuffraganeus erat prædicti Baldrici. Quo defuncto electus Maclovienſis eccleſiæ Donoaldus venit uſque Dolum petere conſecrationem; ſed non acceſſit ad eccleſiam Dolenſem, ſed ſtetit in extra civitatem in cellula S. Florentini, & nuncios miſit ad Baldricum pro conſecratione ſua, qui tunc temporis non poterat eum

consecrare, quia suspensus erat à quodam legato Romanæ ecclesiæ propter præbendam, quam nolebat restituere cuidam canonico Dolensi. Hoc autem nescit se vidisse. Sed affirmat se esse præsentem in civitate quando hæc facta sunt. Præfatus vero electus cum non posset tunc consecrari, instinctu cujusdam consanguineæ suæ matris Johannis de Dolo profectus est Turonos, & ab archiepiscopo Turonensi consecratus est.... Adjecit etiam, quod vidit duos episcopos prædictos obedire Dolensi ecclesiæ temporibus GAL. Dolensis archiepiscopi successoris BALDRICI; ita quod præfatus R. ordinatus est in diaconum cum aliis multis in ecclesia Dolensi à Turonensi episcopo ad mandatum prædicti G. archiepiscopi sui. De HUGONE vero eadem per omnia dicit, quod Henricus abbas, præterquam quod dicit tres Dolenses canonicos adolescentes spe remunerationis, & ut credit, ductos, ut postea effectus probavit; quia uni dedit præbendam in itinere, alii archidiaconatum in reditu, una cum ipso profectos fuisse Turonos, ubi consecrationem recepit. Vidit etiam litteras bullatas Domini ADRIANI papæ, in quibus injungebatur clero & populo Dolensi, quod exhiberent HUGONI debitum honorem, quia ad archiepiscopalem dignitatem eum restituerat. Interrogatus utrum aliquis Dolensis obediret archiepiscopo Turonensi, dixit se nec vidisse, nec audisse.

HAUBAUDUS de Insula monachus juratus dixit, quod interfuit cuidam Synodo tunc puerulus, cui præfuit GAUFRIDUS Carnotensis Romanæ ecclesiæ legatus; & cum eo à dextris ejus sedit HUGO Turonensis archiepiscopus cum quibusdam de suffraganeis suis, & à sinistris BALDRICUS Dolensis archiepiscopus cum quibusdam episcopis, quos ipse nescit qui essent. Postea vidit GAU. archiepiscopum Dolensem tenentem duos prædictos episcopatus, & negotia illorum duorum episcopatuum referri ad ipsum. Interrogatus si viderit aliquam appellationem fieri ab episcopatibus ad ipsum, respondit quod non vidit, nec audivit. Præterea vidit clericos Turonensis ecclesiæ venire ad Dolensem ecclesiam, & ibi facere electionem de JOHANNE abbate sanctæ Crucis, qui eadem septimana factus est Macloviensis electus, & reliquit Trecorenses. Postea vidit HUGONEM

archiepiscopum utentem palleo. Vidit etiam quod in reversione sua à curia ROGERI, detulit secum litteras bullatas absolutionis, in quibus absolvebatur à subjectione Turonensis ecclesiæ, & eas legi audivit in publico, quia alias non reciperetur.

RADULFUS monachus Veteris Villæ juratus dixit se vidisse ROLANDUM episcopum Briocensem in capitulo Veteris Villæ cum litteris Domini papæ, in quibus continebatur, quod Dominus papa consecraverat eum ad subjectionem Dolensis ecclesiæ. De Hugone Dolensi archiepiscopo dixit, quod vidit eum utentem palleo. Adjecit etiam, quod post OLIVERIUM electum Dolensis electus fuit VVILLELMUS, monachus Cisterciensis, qui ad conquestionem Turonensis ecclesiæ cassatus est à Capitulo Cisterciensi, quia contra formam ordinis susceperat electionem.

NOTA.

VVILLELMUS de Dinano canonicus juratus dixit, quod cum esset clericus Gauf. Dolensis archiepiscopi, ivit cum eo ad concilium Remense, quando filius Grossi regis PHILIPPUS coronatus est; & duxit secum duos prædictos episcopos sibi suffraganeos; & ibi impetravit palleum, cujus custos multis diebus fuit. Vidit quoque ROBERTUM Briocensem episcopum consecrari à prædicto Gau. Dolensi archiepiscopo in ecclesia Dolensi, assistentibus sibi Trecorensi de auctoritate suæ ecclesiæ, & Cadurcensi de gratia regis Angliæ HENRICI. Postea vidit eligi in ecclesia Dolensi OLIVERIUM; qui cum duobus prædictis suffraganeis ivit Parisius ad Dominum papam, uno existente episcopo & altero electo pro obtinenda sua consecratione. Sed Dominus papa suspendit consecrationem propter mortem Turonensis; & promisit quod componeret inter ipsum & Turonensem ecclesiam. De HUGONE dixit quod vidit eum utentem palleo, & quod vidit litteras Domini papæ bullatas, in quibus continebatur de absolutione ab obedientia Turonensis ecclesiæ, & legi in publico. Vidit etiam Gerum tenentem sigillum adulterinum, verum in capitulo ostendere & conferri, & de mandato capituli adulterinum confringi; sed unde fuerit ablatum nescit.

DODOINUS capellanus Dolensis juratus dixit, quod

vidit GAU. Dolensem archiepiscopum utentem palleo, & habentem duos prædictos suffraganeos. Interrogatus quomodo sciret, quod essent suffraganei sui; respondit se vidisse eos venire ad Dolum ad mandatum G. prædicti archiepiscopi ob causam, quæ vertebatur inter quosdam capellanos & canonicos Dolenses. Vidit etiam quod prædictus GAU. consecravit Briocensem electum assistentibus ei Turonensi & Constantiensi. DE HUGONE dixit, quod fuit secum Romæ, ubi accepit palleum à Domino papa ADRIANO; & audivit legi litteras in præsentia Domini Adriani papæ; in quibus Turonensis vocavit eum archiepiscopum Dolensem, & interfuit ubi ADRIANUS papa absolvit eum ab obedientia Turonensis. Præterea dixit præfatum archiepiscopum amisisse litteras absolutionis in redeundo apud Crassam. Sed remisit nuntium suum cum rescripto; & impetravit consimiles litteras, quæ lectæ fuerunt in publico in receptione ipsius apud Dolum, & vidit eum utentem palleo.

GAUFRIDUS HOEL juratus dixit, quod vidit OLIVERIUM Dolensem electum, & vidit duos prædictos episcopos jurare fidelitatem ecclesiæ Dolensi, & prædicto O. electo; & Comes EUDO exponebat eis qualiter debebant jurare.

ROBERTUS filius Landrici juratus dixit, quod vidit GAU. Dolensem archiepiscopum habentem duos prædictos episcopos suffraganeos, qui juraverunt obedientiam ecclesiæ Dolensi & prædicto GAU. cum multis diebus ante essent consecrati. Et vidit ROLANDUM Briocensem ab eo consecrari, assistente ei Trecorensi: alium non vidit cum eo.

MEGIUS de Illifas juratus dixit, quod vidit GAL. in consecratione ecclesiæ de Illifas cum duobus prædictis episcopis. DONOALDUS vero Macloviensis venit, & effudit aquam benedictam, quoniam dicebat illam ecclesiam pertinere ad diocesim suam, & sic recessit. GUAL. vero prædictus archiepiscopus Dolensis nihilominus consecravit eam cum suis episcopis. Et vidit postmodum O. Dolensem electum habentem duos prædictos episcopos ex man

dato, cum ROLANDUS Briocensis episcopus ordinavit eum in diaconum & sacerdotem, &c.

GALFRIDUS PICA juratus dixit, quod vidit GAL. habentem duos prædictos episcopos; & quod vidit sex episcopos apud Sanctum Briocum successive: tres vidit obedientes ecclesiæ Dolensi, & tres ecclesiæ Turonensi. Vidit etiam prædictum GAL. Dolensem archiepiscopum consecrare ROBERTUM Briocensem episcopum in ecclesia Dolensi, &c.

HERVEUS de Miniaco juratus dixit..... quod vidit litteras de citatione Turonensis, quod ipse iret Romam responsurus Dolensi de suffraganeis suis, MATTHÆO videlicet Andegavensi, & STEPHANO Redonensi, qui ambo fuerant abbates S. Florentii, &c.

PETRUS de Burgo novo presbyter juratus dixit, quod cum esset quinque vel septem annorum, vidit BAL. Dolensem archiepiscopum sedentem in concilio in ecclesia Sancti Samsonis cum tribus episcopis, DANIELE Macloviensi & duobus prædictis.

GUILLELMUS Poterate juratus dixit, quod vidit BALDRICUM Dolensem archiepiscopum habentem quatuor episcopos sibi suffraganeos. Episcopum S. Pauli de Leoneo, episcopum Briocensem, Trecorensem & Macloviensem: de quibus duos amisit tempore suo.

LITTERÆ SUPPLICES ET APOLOGETICÆ ECCLESIÆ DOLENSIS AD INNOCENTIUM PAPAM III.

Quibus Johannem electum suum consecrari, eique pallium impertiri rogat:

Refert rationes & argumenta, quibus jus suum adversus Turonensem archiepiscopum tueatur.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Amen. Pater sancte, petit Dolensis ecclesia JOHANNEM electum

suum, virum idoneum, & honestum, canonice electum in archiepiscopum, & auctoritate prædecessoris vestri & vestra confirmatum, consecrari à vobis, & pallium ei concedi, sicut antecessores vestri suis antecessoribus concessisse probantur per instrumenta & testes, qui in facti nostri narratione continentur. Quod confirmatus sit constat tam auctoritate prædecessoris vestri bonæ memoriæ CÆLESTINI papæ per JORDANUM cardinalem, qui legationis officio in illis partibus fungebatur, quam ex vestra. Nam eum nominando, electum secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ confirmastis, & eum recipiendo ad reverentiam tamquam prælatum Dolensis ecclesiæ propter indissolubile matrimonii vinculum, quod est inter ipsum electum, & Dolensem ecclesiam post confirmationem sibi à Romana ecclesia impetratam. Et quod electus confirmatus verus maritus sit ecclesiæ, nuper in epistola de absolutione Rothomagensis & Turonensis archiepiscoporum optime tetigistis. Videmini ergo eum in archiepiscopum confirmasse. Nam cum Dolense capitulum ipsum elegerit in archiepiscopum, & secuta sit ejusdem electionis confirmatio, licet nomen archiepiscopi in confirmatione expressum non fuerit; tamen intelligitur repetitum, argumento ejus quod dicitur in lege....... Nam hoc verbum plurimi in primo capite legis Aquileiæ fuit appositum, in tertio capite non fuit appositum, &c. Restat igitur ut ecclesia Romana debeat electum nostrum consecrare, quem confirmavit: quia ejus est consecrare de regulari jure, cujus est confirmare. Semper enim Dolensis ecclesia, normam vivendi & regulas disciplinæ à Romana ecclesia suscepit, & ipsam nullo medio semper respexit. Benigne ergo, Pater sancte, miserabilem petitionem Dolensis ecclesiæ, quæ tandiu doluit, solito viduata pastore recipiatis, & electo suo consecrationem & pallium secundum consuetudinem illius ecclesiæ concedatis. Nihil ergo moræ, nihil difficultatis debet ejus consecrationi afferri, ne gregibus Domini desit cura pastorum. Nec nocet quod dicitur, quia multi fuerunt electi in Dolensi ecclesia in archiepiscopos & confirmati sicut iste, & postulaverunt

hæc

hæc eadem, nec obtinuerunt. Nam idcirco facilius est miserendum, & quod omissum est restaurandum, & faciendum, & cum in possessione dignitatis archiepiscopalis fuerit Dolensis ecclesia à prima fundatione ipsius usque ad hanc diem, non est beneficium, si electo ejus pallium & consecratio concedatur; sed injuria, si denegetur. Nec sunt audiendi adversarii in hoc casu qui volunt propositum nostrum impedire, nec ut sibi prosint, sed ut nobis noceant. Non enim indulgendum est malitiis hominum, qui nihil laturi sunt, nisi ut officiant. Expedit enim eis ut consecretur, quia non posset aliter principalis causa de subjectione & suffraganeis commode expediri: adinstar minorum, qui non possunt stare in judicio sine tutore vel curatore: unde oportet si aliquis deveniat minorem, qui tutorem vel curatorem non habet, quod adeat prætorem, qui minori tutorem vel curatorem constituat. Licet enim quæstionem status ecclesiæ Dolensis moveant, interim tamen potest accusationes intentare ad modum illius, qui potest agere pendentem liberali judicio, tam contra eum qui ei movet quæstionem status, quam contra alios. Unde ecclesia nostra consecrationem electo suo debitam petere potest pendente liberali judicio. Nam interim in possessione libertatis est. Præterea etiam ille qui reus postulatus est, potest convenire debitores pendente judicio, & ei iterum persolvere debita tenebuntur. Licet ergo Turonensis Dolensem ecclesiam conveniat, nihilominus petere potest consecrationem electo suo debitam & pallium, cum à Romana ecclesia fuerit confirmatus, & à suis antecessoribus secundum antiquam consuetudinem Dolensis ecclesiæ sine interpolatione aliqua fuerit impetratum. Cum ergo commodum nostræ possessionis impediant quasi interdictum uti possidetis proponimus. Nam hoc interdictum retinendæ possessionis est. De hujus rei causa redditur, ne vis fiat ei qui possidet. Vim enim faciunt nobis adversarii. Nam vim facit, qui non sinit possidentem eo quod possidet uti arbitrio suo, sive in serendo, sive arando, sive ædificando, sive quid omnino faciendo. Primo ergo possessionis judicium terminetur, deinde proprietatis quæstio decida-

tur. Nam possessorio judicio nec quæstio status, nec alia potest opponi. Nam ordinarii juris est, ut primo de possessione, deinde de proprietate quæstio terminetur. Possessores enim nos constituit Adrianus, licet in possessione ante tempus ipsius & etiam in tempore ejus essemus, sicut & allegationibus adversariorum nostrorum potest perpendi, quas pro nobis contra ipsos inducimus.

Proposuerunt contra nos, quod hujusmodi jura incorporalia retinentur per potestatem ligandi atque solvendi: Unde etiam si in possessione prius essent, Adrianus possessione videtur eos privasse, ubi prohibuit ne Turonensis archiepiscopus Dolensem ecclesiam excommunicare vel interdicere posset, sicut in fine illius epistolæ Adriani, quæ sic incipit *Veniens*, continetur.

Objicitur ab adversariis quod electus noster consecrari non debet, quia sic fieret præjudicium principali quæstioni. Ad quod dicimus, quod non est verum, cum paratus sit etiam post consecrationem suscipere judicium quasi repetita die. Quamvis enim res, quæ petitur, forsan in aliquo per usum possessoris diminuatur; non tamen lite pendente possessionis commodo est privandus: immo non potest prohiberi quin utatur eo modo, quo uti solitus est, licet ad præsens usus non fuerit....... Cum ergo hoc jure soliti sumus uti, non possunt nos prohibere, quin utamur interim, donec cognoscatur utrum ad ipsos proprietas debeat pertinere. Præterea si usus consuetus re quæ petitur perseveret, non videtur in aliquo facta conditio petitoris: nec habet unde de jure super hoc conqueratur. Nam legatur ex quo fuit religio christiana, & revolvant adversarii nova & vetera, nusquam tamen poterit reperiri quod in Dolensi ecclesia simplex episcopus ministrasset. Si ergo in Dolensi ecclesia archiepiscopus secundum antiquam consuetudinem consecretur, non videtur res quæ petitur immutari, sed in statu pristino conservari. Nihil enim perdit petitor, si possessorem in re possessa permittat facere quod consuevit.

Quod ipsi dicunt, quia quæstio de subjectione præjudicialis est, & prius de ipsa est cognoscendum, quam de alia,

non est verum. Nam quæstio præjudicialis est, quando unus petit legatum, vel hereditatem, vel aliquid tale; & ille à quo petitur objicit, non potes petere cum sis servus meus. Sed cum ego ab adversariis nihil petam quantum ad consecrationem & pallium pertinet, sed volo uti commodo possessionis quam habeo; non potest dici incidens cum nulla alia præcesserit, neque præjudicialis, cum præjudicialis dicatur in respectu alterius quæstionis, nec umquam invenitur aliqua præjudicialis quæstio, per quam auferatur alicui quod habet, sed removetur dumtaxat ab eo quod petitur ab adversario, nec umquam præjudicialis opponitur ei qui defendit & tuetur possessionem, sed ei qui ab alio petit, ut dictum est. Dolensis quidem ecclesia reducenda ad illum statum, in quo erat quando litem movit ADRIANUS, citans Turonensem, ut Dolensi archiepiscopo responderet. Nam tunc Dolensis ecclesia dignitate Metropolica fungebatur. Nulla enim ratio patitur Dolensem ecclesiam contra Turonensem archiepiscopum experiri quousque fuerit dignitati pristinæ restituta. Argumento ejus quod dicitur de Tetberga. Nam dicit Nicolaus, nulla ratio sinit TETBERGAM cum LOTHARIO inire certamen, quousque suæ fuerit reddita potestati. Primo ergo consecretur ejus archiepiscopus, postea de proprietate tractetur. Non enim debet cogi proprietatis subire judicium, quousque cum privilegio sui honoris in statu pristino restituitur.

Non obstat quod dicunt potestatem Dolensis ecclesiæ eis fuisse acquisitam per investiturum baculi, adinstar ejus cui claves juxta horreum traduntur. Nam illud dicitur ratione rei præsentis & corporeis sensibus subjectæ. At hic res ipsa, idest corporalis ecclesia, præsens non erat. Sicut enim si prædium tibi Romæ vendam, quod habeo in Britannia; possessionem ejus non adquiris, licet per pileum te Romæ revestiam; eodem modo nec in præsenti negotio possessio aliquatenus adversario fuisse adquisita intelligitur. Quod autem tali modo possessio adquiri non possit, ex eo patet, quia ad hoc ut adquiratur, oportet ad minus, ut in præsenti sit.

Non obstat insuper quod dicunt per consecrationem Hugonis possessionem Dolensis ecclesiæ adquisisse. Nam HUGO fuit à Turonensi archiepiscopo consecratus : quod de plano concedimus : Sed post prohibitionem factam ex parte Domini papæ & Dolensis capituli, sicut probamus per testes sufficientes, & talis prohibitio speciem innuit appellationis..... Nam cantor qui majorem vocem habebat in capitulo & custos erat sigilli de consuetudine, & alius senex canonicus, ne Hugo iret Turonos ad consecrationem petendam, prohibuerunt; sed in re communi potior est conditio prohibentis : unde eorum prohibitio in hac parte fuit admittenda. Cum ergo cantor, qui custos erat sigilli, reclamaret; præsumi debet decretum illud, per quod Hugo præsentatus fuit archiepiscopo Turonensi, sigillo capituli, non fuisse signatum, sed potius sigillo adulterino, quod postea inventum fuit in scrinio Hugonis archiepiscopi, & facta collatione cum vero sigillo capituli, ante ecclesiam Dolensem fuit fractum : quod nos probamus per testes.

Opponitur ab adversariis quia testes nostri non probant prædictum decretum illo adulterino sigillo fuisse impressum. Ad quod respondemus, quod cum super hoc recepti & producti fuissent auctoritate Alexandri, & dicant illud sigillum adulterinum fuisse, patet quod de eo intellexerunt, per quod illud decretum fuerat signatum. Nam fere omnes hoc pronomen *illud* relativum in suo testimonio proposuerunt, quod non posset referri, nisi ad illud sigillum, de quo quæstio movebatur : unde verba testium secundum intentionem debent interpretari.

Objicitur præterea ab adversariis, quod testes illi, qui de sigillo loquuntur, videntur inter se discordes. Nam unus ex testibus dicit, quod vidit illum sigillum adulterinum circa meridiem vel circa nonam frangi, cum alii omnes testes dicant, se vidisse illud frangi in mane. Cui objectioni respondemus quod utrumque potuit esse; & quod pro parte in mane frangeretur, & quod circa meridiem melius & in totum frangeretur. Vel dicas eos qui convenerunt ad illud sigillum adulterinum frangendum in actu illo

duraſſe à mane uſque ad meridiem, & ita ille unus teſtis perhibet teſtimonium quaſi de fine ipſius actus : alii vero omnes quaſi de principio. Nam unus Evangeliſta dicit propter hoc in hora tertia Chriſtum crucifixum fuiſſe, & alius dicit in hora ſexta. Vel dicas, quod iſte unus teſtis dicit ſe vidiſſe illud ſigillum adulterinum circa meridiem frangi, referendum eſſe ad combuſtionem, quia omnes dicunt quod prius fuit fractum, deinde combuſtum. Nam nomine fracti ſive rupti lex Aquilia etiam combuſtum intelligit.

Teſtibus autem quos introducunt ad probandum prædictum decretum, reſpondemus quia non probant, quod illud decretum verum eſſet ; ſed dicunt quod illud viderunt, & continebat ſubſcriptiones canonicorum Dolenſium. Poteſt eſſe quod ſubſcriptiones continebat, ſed ille qui ſubſcriptiones abſentium falſo appoſuit, potius ſe falſi crimine adſtrinxit, quam eccleſiæ nocuit. Nam qui velut præſentem illum, qui abſens erat, ſcripſit accepiſſe pecuniam ; non ei nocuit, ſed ſe potius falſi crimine aſtrinxit. Quod autem de numero canonicorum qui præſentationi Hugonis dicuntur interfuiſſe contra nos proponunt, nullo modo probant. Nam unus ſolus ex teſtibus eorum dicit eos fuiſſe x. unde etſi honore præfulgeat, ei ſoli non eſt credendum. Alii vero teſtes nihil certum videntur probare : immo inter ſe diſſentiunt. Nam unus appellat eos clericos, alius canonicos indeterminate : unus eſt qui enumerat tres canonicos tantum. Ergo de hoc articulo nihil probant, niſi dicatur quod in minori numero conveniant, argumento ejus quod dicitur de arbitris. Nam ſi unus ex tribus arbitris in xv. alius in x. alius in v. condemnaverit, omnes in quinque videntur convenire, & nos concedimus quod in tribus conveniant, & quod tres fuerint tantum canonici Dolenſes in repræſentatione Hugonis, quos in via beneficiaverat : uni dedit archidiaconatum, alii præbendam, alii confirmavit præbendam, quam de manu laici acceperat, ſicut probamus per teſtes deſignatos.

Teſtes prætereà contra nos introducunt, quod Hugo rediens à conſecratione ſua receptus fuit proceſſionaliter

apud Dolum. Quibus respondemus, quod tunc primo rediens à consecratione sua receptus fuit Doli, quando rediit à Roma cum pallio, quia prius non intraverat Dolum postquam consecratus fuerat, & hoc innuit unus ex testibus adversariorum, Oliverius scilicet, qui juratus dixit, quod erat Doli quando HUGO receptus fuit processionaliter, quidam dicebant quia venit à Turonis à consecratione sua), alii dicebant quod veniebat à Roma. Præterea tantum sunt duo testes, qui in hoc articulo videntur facere contra nos, dicentes quod erant Doli quando Hugo rediens à consecratione sua receptus fuit processionaliter. Alii vero ex parte sua super hoc introducti, vel nihil ad rem faciunt, vel ferunt testimonium de auditu. Nos vero plures habemus testes qui directe probant, quod HUGO rediens à consecratione sua fuit expulsus, & hac necessitate ductus Romam ivit; sed etiam si pares essent testes utriusque partis in numero; nostri tamen deberent prævalere, qui pro libertate perhibent testimonium, adinstar ejus quod lex dicit, quod si pares judices ferant sententiam pro libertate, & pares in contrarium; sententia pro libertate valet.

Opponitur ab adversa parte testibus nostris, quod dicunt Hugonem non fuisse admissum apud Dolum, & ita negaturam videntur probare, sed neganti factum per rerum naturam nulla est probatio. Ad quod respondemus, quod quinque ex eis directe probant ipsum fuisse ejectum à Dolo dum rediret à consecratione. XXV. testes sunt qui dicunt, quod non fuit admissus, sed hac necessitate compulsus ivit Romam pro pallio; & ita negaturam directe non probant; sed affirmative testificantur. Nam negatura affirmando aliquid bene probatur...... Et ita patet quod possessio subjectionis per hoc ab adversariis nullo modo fuit adquisita. Præterea dicta testium utriusque partis benigne debetis interpretari, & providere ne de reatu perjurii notentur, si salvari possint utrorumque. Nam ita respondit Alexander petitioni cujusdam archiepiscopi, qui petebat sententiam excommunicationis, quam tulerat in quemdam præpositum confirmari; è contrario præpositus

proponebat, quod ante excommunicationem appellasset, & super hoc introduxerat testes. Archiepiscopus vero per testes probabat quod post excommunicationis sententiam appellasset. Et Alexander ita interpretatus est, quod utrumque poterat esse verum, & quod post primam appellationem & ante secundam fuisset lata sententia, cum & secundo poterat appellari; & idcirco denunciavit sententiam non tenere, ut in extravaganti *Cum tu, fili.* Potuit enim esse verum, quod testes nostri dicunt, quod Hugo rediens à consecratione sua non fuit admissus antequam haberet pallium. Potest esse verum similiter quod testes adversariorum de eodem dixerunt quod receptus fuit processionaliter apud Dolum: & intelligatis quod receptus fuit tunc demum quando rediit à Roma cum pallio, & non ante. Et si talis fiat interpretatio, dicta utrorumque testium concordabunt.

Aliis rationibus possessionem subjectionis Dolensis ecclesiæ se habuisse nituntur probare. Nam dicunt quod Hugo postquam consecratus fuit, & postquam rediit à Roma, obedivit Turonensi archiepiscopo, & vocatus ab eo ad concilium, sedit inter alios suffraganeos apud Burgulium. Ad quod respondemus quod sedit antequam pallium impetrasset; & hoc innuit unus, qui dicitur Briccius abbas, ex testibus eorum, qui dixit quod concilium Burgulii fuit in subsequente Augusto post consecrationem Hugonis, unde præsumitur, quod nondum pallium & absolutionem obedientiæ & juramenti quod Turonensi fecerat, impetrasset. Et quod dicunt concilium Burgulii fuisse post reditum Hugonis à Roma, potest esse verum; quia pluries ivit Romam. Non tamen sequitur quod quando sedit in concilio apud Burgulium, quod adhuc pallium impetrasset. Ponamus sine præjuditio partis nostræ, quod post impetratum pallium sederet inter alios suffraganeos Turonensis archiepiscopi in concilio: non idcirco sequitur quod esset de numero suffraganeorum. Nam dicit canon, quod si episcopus in concilio episcoporum accusatus fuerit; contingat autem episcopos provinciæ diversas habere sententias, & alios quidem innocentem eum pronunciare, alios

reum ; debet metropolitanus alterius provinciæ advocari, ut ita quæcumque fuerit dirimant quæstionem. Si ergo archiepiscopus unius provinciæ vocat archiepiscopum alterius provinciæ, & ipse ad mandatum ejus venit, & in concilio sedet, & cum eo causas provinciæ suæ dirimit, ut in prædicto capitulo dicitur, non tamen propter hoc possessio subjectionis ejus adquiritur vocanti. Eodem modo in forma præsentis negotii est dicendum. Cum ergo ea quæ à Turonensi archiepiscopo circa Hugonem facta sunt per mendacium & per falsum sigillum facta fuissent, sicut superius probavimus. Patet quod per ea possessionem subjectionis ecclesiæ Dolensis nullatenus acquirere potuit.......

Sed etsi ponamus quod causa sententias pro eo latas, qua per ea, quæ ab eo facta fuerunt, possessionem subjectionis Dolensis ecclesiæ adquisivit : ab ea tamen subjectione nos papa ADRIANUS penitus absolvit. Hoc manifestius per rescriptum Adriani papæ probatur, in quo dicitur : *Veniens ad nos Dolensis ecclesia postulavit sibi pallium indulgeri juxta antiquam consuetudinem, & juxta tenorem concordiæ.* Deinde subsequitur, *Nos vero juxta postulationem ejusdem ecclesiæ pallium indulximus eidem archiepiscopo, quem cum apostolicæ sedis benedictione, & nostræ gratiæ plenitudine remittentes, tanto ecclesiæ qui præest, sua jura illibata servare volumus & integra.* Aliam etiam probationem efficacissimam ex eodem rescripto elicimus, videlicet quod quassavit idem Adrianus compositionem, per quam Dolensis archiepiscopus suffraganeis suis videbatur renuntiasse ; & per quod ecclesia illa videbatur desiisse esse archiepiscopalis ; & citavit Turonensem, ut super eisdem suffraganeis Dolensi archiepiscopo accederet responsurus. Immo quod majus est, idem ADRIANUS eidem archiepiscopo Dolensi potestate ligandi atque solvendi per totum suum archiepiscopatum, sicut per quoddam rescriptum suum probavimus, concessit. Nec obviat, quod ad causam possessionis pertinet, quod in eodem rescripto dicitur, *nihil à nobis super eodem fuit negotio definitum.* Definitum intelligatis quoad causam suffraganeorum. Nec obstat etiam quod adversarius opponit, dicens quod ideo Dominus Adrianus fecit hoc, quia

judicia

judicia libera esse voluit, ad instar ejus quod in lege dicitur, quia ordinata liberali causa, servus pro libero habetur. Et hoc etiam voluit probare per quædam verba in eodem scripto posita, scilicet *prohibemus ne interim excommunices, vel interdicas.* Ad id ergo, quod prius dictum est, sic respondemus, quia id quod de servo introducitur non est simile cum in facto nostro. Idem papa ab obedientia Turonensis archiepiscopum nostrum absolvit, & pallium ei concessit : per quod apparet ecclesiam Dolensem aliter in libertate constitutam auctoritate apostolica, & aliter servum, de quo nobis objicitur, cum circa eum princeps ibi nihil fecerit vel nihil concesserit........

Nec obstat quod objicitur quod personaliter fuerit ei concessum; cum ad preces ecclesiæ, juxta postulationem ejusdem secundum antiquam consuetudinem fuerit concessum, sicut per rescriptum Adriani paulo ante vobis probavimus. Et licet personæ HUGONIS concederetur; non ideo personaliter datum debet intelligi. Nam plerumque persona inseritur pacto, non ut ostendatur, quod personale sit pactum, sed ut ostendatur cum qua persona fuit initum. Alia ratione dicimus, quod non fuit personale. Nam licet Hugoni fuerit concessum, nihilominus & per ipsum Dolensi ecclesiæ videtur acquisitum. Nam qui sacerdoti aliquid donat, non pro commodo sacerdotis videtur offerre, sed quasi dimissum ecclesiæ inter facultates ejus computabitur.

Alia ratione probare nituntur adversarii, quod illud fuerit beneficium personale. Nam in prædicta epistola continetur, *pallium duximus indulgendum.* Unde ipsi dicunt, quod potius ex ejus indulgentia, quam ex debito HUGONI pallium concesserit ADRIANUS. Ad quod respondemus quod multa indulgentur, quæ de jure communi debentur. Nam universæ viæ Domini misericordiæ & veritas. Damnat enim in perpetuum Triburiense concilium monachos & monachas nuptias contrahentes, & dicit quod eis in morte positis solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit subveniri. Solius misericordiæ dixit, & tamen de jure communi omnibus in morte positis viaticum

est concedendum. Patet ergo quod quandoque indulgetur, quod de jure debetur. Et licet ADRIANUS dixerit *pallium duximus indulgendum*, non idcirco sequitur, quin de jure Hugoni & suis successoribus deberetur.

Ad id vero quod de rescripto nobis subsequenter objicitur in illo verbo scilicet *prohibemus ne interim excommunices vel interdicas*; respondemus quod etsi intelligatur eo modo, quo adversarii contra nos inducunt, videlicet, ne pendente causa Turonensis archiepiscopus Dolensem ecclesiam excommunicare vel interdicere posset, nobis tamen quoad præsens negotium obesse non potest, quia de causa suffraganeorum intelligitur illud rescriptum, non de causa subjectionis Dolensis ecclesiæ: cum super ipsa Turonensis non citaverit, sed tantum super suffraganeis, per quod apparet etiam secundum expositionem adversæ partis, quod pendente causa suffraganeorum, pallium & consecrationem, nobis negare non debetis.

Aliam etiam probationem fortissimam ex jam dicto rescripto pro nobis elicimus, scilicet ex eo quod ibi dicitur, quod juxta tenorem concordiæ Dominus ADRIANUS archiepiscopo Dolensi pallium concesserit. Nam secundum hoc alia concordia inter Turonensem & Dolensem esse non potuit, nisi quod Dolensis ecclesia archiepiscopum deberet habere. Unde etiam quidam testes nostri & sui dicunt quod Turonensis archiepiscopus in pluribus litteris suis Dolensem archiepiscopum nominavit. Respiciatis præterea, Pater sancte, singula instrumenta adversariorum, sive sint sententiæ, sive sint rescripta: ex singulis enim poteritis perpendere, quod Dolensis ecclesia semper habuerit archiepiscopum quia fere in singulis eorum rescriptis fit mentio de archiepiscopo; & cum ab eo consecraretur, dicebat in professione sua: *Ego Hugo Dolensis archiepiscopus*, sicut probamus per testes. Et quod amplius est, ipse idem Turonensis misit litteras Domino papæ Adriano, ut ei pallium concederet, quod probatur per quoddam rescriptum Alexandri ab adversa parte contra nos productum, quod incipit *Quanto*, in quo Domino Alexandro fuit subjectum quod occasione quarumdam litterarum,

quas Turonensis archiepiscopus Adriano papæ miserat, ipse Dolensis archiepiscopo pallium concessit. Alia vero, quæ in eisdem litteris sequuntur, per mendacium & suppressionem veritatis fuerunt obtenta. Nam ab adversario eidem Alexandro fuit propositum, quod Dolensis archiepiscopus suffraganeis per quamdam compositionem abrenuntiaverat. Nec fuit dictum qualiter postmodum Dominus ADRIANUS eamdem compositionem quassaverat. Et propter hoc litteræ illæ nobis præjudicare non possunt, immo in quadam parte prodesse; quia contra nos producuntur, ut prædictum est; & quia per suppressionem veritatis fuerant obtentæ. Ideo postea cum utraque pars coram eodem Alexandro præsens fuisset, ipse causam commisit ad petitionem utriusque partis, & testes recipi fecit. Cum ergo per tenorem concordiæ, per quam Turonensis archiepiscopus juri suo, si quod in Dolensem ecclesiam habebat, in perpetuum abrenuntiasse intelligitur, & per absolutionem Domini Adriani ecclesia Dolensis in potestate libertatis juxta antiquam consuetudinem sit constituta. Patet quod pallium & consecrationem de jure sibi non potestis negare. Nam secundum ea, quæ supra diutius disputavimus, & nolente Turonensi archiepiscopo ecclesia Dolensis possessionem libertatis fuit adepta.

Objiciunt adversarii quod postquam HUGO impetravit pallium tempore JOSCII Turonensis archiepiscopi, venit Turonos, & confessus est se esse perjurum contra ecclesiam Turonensem, & ad hoc probandum testes contra nos introducunt. Quibus respondemus, quod nec est verum, nec verisimile; quod se esse perjurum confiteretur, vel peteret absolutionem, cum ab obedientia & à juramento, quod fecerat Turonensi fuisset absolutus in susceptione pallii ab Adriano, sicut probamus per testes. Præterea cum JOCIUS Turonensis archiepiscopus postea esset in præsentia Adriani papæ in palatio S. Petri, & Hugoni Dolensi crimen perjurii objecisset: ADRIANUS dixit, Tace, quia nos absolvimus eum ab omni pactione, quam tecum fecerat Turonis. Et hoc probamus per testes, qui interfuerunt. Unde non est verisimile quod à Turonensi peteret absolutionem,

cum jam à summo Pontifice fuisset absolutus.

Item objiciunt quod posteaquam HUGO habuit pallium, venit Turonos & fecit reverentiam Turonensi archiepiscopo extracto pileo, & dedit ei osculum. Nec sic probant se acquisivisse possessionem subjectionis. Nam pro multis extrahimus pileum causa reverentiæ, quibus nullo modo sumus subjecti. Præterea cum ecclesia Dolensis nullo medio summo Pontifici subesset, eo inconsulto, possessionem subjectionis, quam ipse habebat, alius sibi acquirere non potuit; & maxime cum archiepiscopus archiepiscopo se submittere non possit: Immo quod magis est, si honorem suum sive dignitatem Dolensis archiepiscopus inconsulto Romano pontifice vellet abdicare, nihil facere intelligeretur. Et in hoc casu culpam & delictum Turonensis archiepiscopi allegant, si vera sunt ea quæ contra nos proponunt. Nam sicut prædictum est, subjectionem vel resignationem Dolensis archiepiscopi, qui nullo medio Romanæ ecclesiæ suberat, non debuit recipere, & si receperit, gravissime deliquit, argumento ejus quod dicit Alexander de Senonensi archiepiscopo, qui resignationem Autissiodorensis episcopi sine licentia Romanæ Sedis recepit. Unde dicit Alexander quod si vellet secundum jus procedere; posset eum de tali audacia graviter & districte punire, ut in Extravaganti quinta. Non ergo talis subjectio, si eam adquisisset, deberet ei patrocinari: cum propter hoc ipsum deberet puniri; quia ex eodem facto non meretur quis pœnam & præmium.

Alia etiam ratione ostendimus adversarium possessionem subjectionis post absolutionem adquirere non potuisse: quia postquam Dolensis ecclesia per absolutionem Adriani exceptionem adversus Turonensem semel acquisivit, eam postmodum per Dolensem archiepiscopum amittere non potuit, si ea inconsulta Turonensis archiepiscopo se iterum obligasset. Præterea si HUGO Dolensis archiepiscopus in manu Turonensi archiepiscopi resignasset dignitatem archiepiscopalem, vel se ei subjecisset; gravissime, sicut superius est probatum, deliquisset, nec ejus delictum deberet in ecclesiam redundare, cum ecclesia suum

ei non adhibuiſset conſenſum, nec probetur conſenſiſse. Delictum enim perſonæ non debet in damnum eccleſiæ redundare. Non ergo per talem ſubjectionem vel reſignationem, ſi facta eſset, poſseſſio Dolenſis eccleſiæ Turonenſi fuiſset acquiſita. Et quod Hugo numquam obedi-verit poſt abſolutionem probamus per teſtes.

Aliis diverſis ambagibus nituntur probare quod poſseſſionem habuerit Turonenſis archiepiſcopus dioceſis noſtræ. Nam abbas S. Jacuti, qui eſt de dioceſi Dolenſi, ei obedivit, ut dicunt. Dicunt præterea quod BARTHOLOMÆUS Turonenſis, qui nunc præſidet, tranſibat per Britanniam, & per dioceſim Dolenſem, & crux ferebatur ante ipſum, & campanæ pulſabantur, & queſtiones ad eum referebantur. De abbate reſpondemus, quod ſi fecit ei obedientiam; ratione eccleſiarum, quas habet ſub eo, fecit: immo quod majus eſt, etſi eccleſiæ Dolenſi ſubeſset tantum; per hoc tamen Turonenſi poſseſſio Dolenſis eccleſiæ acquiri non potuit. Sed ex hoc, ſi verum fuiſset, de jure graviter redargui poſset; quia in nullo caſu de ſubditis alterius epiſcopi exigere & recipere debuit obedientiam, vel etiam de eis judicare, niſi cauſa ad ipſum per appellationem deferretur, vel prælatus circa eoſdem negligens eſse inveniretur. Multo fortius, ſi de ſubjecto alterius, qui paris dignitatis erit cum eo judicavit, debuit reprehendi. De hoc autem quod objiciunt de cruce, de pulſatione campanarum, de queſtionibus ad eum relatis. Reſpondemus quod tunc legationis officio fungebatur; quod autem legatus eſset, ex commiſſione Alexandri inter nos & adverſarium facta ad petitionem utriuſque partis, videre poteſtis: nec etiam tunc tranſivit per Dolenſem dioceſim; ſed tranſivit per quamdam parrochiam, quam habet Dolenſis eccleſia in epiſcopatu Maclovienſi, quæ dicitur Ylifau; & ibi fuerunt campanæ pulſatæ, & crux ferebatur ante ipſum, ſicut dicit unus teſtis ab adverſariis introductus, qui dicitur Martinus diaconus. Unde habuerunt occaſionem dicendi, quod per dioceſim Dolenſem tranſiverat, quod numquam fuit verum.

Nec obſtat quod pars adverſa quaſdam ſententias, &

quædam Romanorum pontificum rescripta, & alias ratio-
nes nobis opponit cum illa ad causam possessionis, de qua
agitur, nihil operentur; sed tantum ad causam respiciant
proprietatis; & maxime cum nos eisdem rescriptis & sen-
tentiis sine partis nostræ præjudicio multis & variis modis
sufficiens dedimus responsum, & semper fuimus protestati
quod sine præjudicio partis nostræ, ne penuria responsio-
nis videremur declinare certamen, eorum sententiis vel
rescriptis ad proprietatem potius quam ad possessionem fa-
cientibus respondebamus, adjiciendo, quia omnibus illis
scripturis erat præscriptum; eo quod à tempore URBANI
II. qui contra nos sententiasse videtur, usque ad tempus
LUCII papæ sunt fere quinquaginta anni, qui LUCIUS
ejusdem URBANI sententiam dicitur confirmasse, Dolen-
sis ecclesia semper in possessione fuit libertatis, & suffraga-
neos habuit, sicut continue per rescripta & per testes vobis
sufficienter in facti serie est probatum. Præterea cum per
spatium xxx. annorum & longe amplius privilegiis sive sen-
tentiis ante tempus Lucii usi non fuerint adversarii, viden-
tur eis renunciasse. Nam ita dicit Alexander. Quidam
monachi privilegiati erant ne decimas darent quibusdam
canonicis, per xxx. annos decimas persolverunt; elapsis
xxx. annis, decimas canonicis persolvere sicut consueverant
denegabant, suum privilegium allegantes. Dicit Alexan-
der cum tanto tempore tacuerunt, per illud privilegium
non potuerunt se tueri; cum illi renunciasse privilegio vi-
deantur, ut in Extravaganti de Privilegiis *Si de terra* & de
præscriptionibus *Controversiam*. A simili dicimus cum tanto
tempore ante tempus Lucii tacuerunt adversarii, tam sen-
tentiæ URBANI, quam aliis renunciasse videntur. Con-
fessi sunt etiam in jure adversarii, quia negare non pote-
rant, quod PASCHALIS II. BALDRICO Dolensi ar-
chiepiscopo ex certa scientia pallium concessit, licet UR-
BANUM prædecessorem suum contra nos sententiasse scis-
visset; unde videtur scienter ejus sententiam revocasse. Et
quod Baldrico pallium concesserit, per ejus epistolam
quæ in facti serie continetur, perpendere poteritis evi-
denter. Non obstat quod dicunt sententiam URBANI

per Dominum LUCIUM fuiſſe poſtea confirmatam; quia cum illa ſententia ratione temporis, ut prædictum eſt, & per factum PASCHALIS & aliorum ſucceſſorum ejus exſufflata fuiſſet, per ſubſequentem confirmationem vires reſumere non potuerit; quia ubi non eſt fundamentum, ſuper ædificium apponi non poteſt. Et ita talis confirmatio nobis obeſſe non poteſt. Sed etſi confirmatio, immo ſententia eſſe dicatur, nobis ſimiliter obeſſe non poteſt, cum per ſententiam poſſeſſio nemini poſſit acquiri, ſicut adverſarii in jure fuerunt confeſſi, & expreſſe dicitur in Extrevaganti de re judicata, *Cum aliquibus*.

Objiciunt adverſarii ad hoc quod fuimus proteſtati, quod ſine præjudicio partis noſtræ inſtrumentis eorum ad proprietatem potius quam ad poſſeſſionem facientibus reſpondebamus; & dicunt quod talis proteſtatio nobis non poteſt in aliquo ſuffragari, quin de proprietate videamur ſerio reſpondiſſe & de ea incontinenti debeat ſententiari. Nam ſicut aſſerunt talis proteſtatio locum habet in contractibus, & in eis quæ fuerint extra judicium: in judiciis autem non habet locum, cum judicium reddatur in invitum. Ad quod reſpondemus, quod de proprietate nec inviti, nec volentes cogebamur à judice reſpondere, nec proprietatis judicium agebatur. Nam cauſa ſuper poſſeſſione tantum fuit ab Alexandro commiſſa, & teſtes hinc inde recepti. Non ergo in nos invitos proprietatis judicium reddebatur: & revera in judiciis talis proteſtatio prodeſt & valet. Nam ſi in judiciis aliquis contra ſe aliquid proponat; non ei præjudicat, ſi talis proteſtatio præcedat. Tetberga enim proteſtata fuerat apud Dominum papam, quod ſi amplius aliquid contra ſe confiteretur, ſciret ipſe quod timore mortis & evadendi ſtudio hoc faciebat. Unde Nicolaus papa præcepit quibuſdam judicibus, quod de cauſa inter ipſam & Lotarium cognoſcerent, & ſi Tetbergæ objiciebat, quod crimen fuerit confeſſa, & ipſa reſpondeat quod timore mortis hoc fecerit, judicium renovetur, ut XXXI. q. II. *Lotarius* Præterea Anaſtaſius epiſcopus à ſuo Patriarcha ter eſt vocatus: & quia non occurrit, canonice extiterat condemnatus. Sed ſolum cum vo-

caretur quod inimicus ejus esset ipse qui judicabat fuerat protestatus. Et idcirco à Calchedonensi synodo ad causam suam iterum agendam reservatur. Constat ergo quod talis protestatio etiam in judiciis locum habet : Unde cum in judicio sæpe fuimus protestati, quod sine præjudicio partis nostræ respondebamns objectis de proprietate, ne penuria responsionis videremur declinare certamen, non videmur nobis in aliquo præjudicium generasse.

ALIÆ PROBATIONES EX SERIE ARCHIEPISCOPORUM DOLENSIUM.

A Tempore S. Gregorii I. & Childeberti regis Francorum ecclesia Dolensis archiepiscopali dignitate & metropolitica potestate libere usa est. Eorum quidem temporibus B. SAMSON. Dolensis ecclesiæ archiepiscopatum tenuit, & episcopi Britanniæ eo tempore sibi tamquam metropolitano obediverunt : quod probamus per legendam S. Paterni..... cujus S. Samsonis corpus Aurelianis, tamquam Dolensis archiepiscopi & confessoris, in magna veneratione habetur..... Cui B. MAGLORIUS in eadem ecclesia & dignitate successit : cujus corpus sicut sancti archiepiscopi Dolensis Parisius requiescit.

Hos sequutus est BUDOCUS meritis & dignitate non impar : cujus in Dolensi ecclesia corpus sanctum & gloriosum quiescit in pace.

Post quem ordinatus est in eadem ecclesia sanctus & Deo dignus GENEVEUS, æqualis potestate & meritis; cujus corpus apud Lugdunum in Pictaviensi episcopatu habetur.

Hunc quoque sequutus est vir sanctus nomine RESTOARDUS; quem SEVERINUS papa consecravit, sacrique pallii usum ei concessit.

Saccessit ei sanctus [a] ARMAELUS pari vita & honore, quo ceteri : cujus corpus in episcopatu Aletensi, apud castrum quod dicitur PLOASMEL quiescit : in cujus honore per

[a] Tarmailus dicitur in vita S. Turiavi apud Surium 13. Julii.

per Britanniam multæ ſunt eccleſiæ conſtitutæ.

Huic quoque ſucceſſit ſanctus ac Deo dignus JUMAELUS.

Poſt hunc Sanctus TURIAVUS ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopalem tenuit dignitatem : cujus corpus Pariſius apud Sanctum Germanum de Pratis habetur.

Plures etiam ſancti viri ſedem illam metropolicam pacifice tenuerunt, ſicut in legendis eccleſiarum conventualium tam per Franciam, quam per Britanniam continetur : & præmiſſa quando de proprietate authentica probabuntur. Poſt quos FESTINIANUS à B. Turiavo ſeptimus ejuſdem eccleſiæ noſcitur præfuiſſe. Qui tempore NICOLAI primi poſſeſſionem archiepiſcopalis dignitatis & ſeptem ſuffraganeorum habuiſſe probatur.

Aliæ quæ ſequuntur probationes ſatis intelliguntur ex Reſponſis Turonenſium.

RESPONSIONES TURONENSIUM AD OBJECTA DOLENSIUM.

AD hæc Dolenſis eccleſia objicit multa ſcripta, alia quæ ante ſententias, alia quæ poſt ſe aſſerit habuiſſe. Sed omnium ante ſententiam LUCII objectorum una ſufficit reſponſio, quia omnia per ſententiam repelluntur. Jam autem ſub LUCIO II. ſunt objecta, & ita per contrariam ſententiam reprobata : aut non fuerunt objecta, & ſub prætextu eorum poſtea repertorum tunc judicatam reſtaurari exemplo *grave eſt*, ut c. de re judi. ſub ſpecie. Sed & ex abundanti ad ſingula reſpondemus. Nam quod objiciunt ſe xiv. habuiſſe archiepiſcopos uſque ad tempora Nicolai : De plano negamus, & hiſtoriam quam in judicio coram vobis produxerunt, & legendas quas ſe dicunt habere, dicimus non eſſe authenticas. Et hujuſmodi legendis ſententiarum apoſtolicarum auctoritatem dicimus præponendam, ut in Decretis diſt. xx. c. de libellis. Sed & conſtat manifeſte quia ante tempora Nicolai nullus Dolenſis antiſtes pallium habuit à Romana eccleſia, nam etſi contrarium olim dixerunt reperiri in Regeſtis Romanæ ſedis;

mendaces tamen convicti sunt testimonio Nicolai, ut illa epistola *Dilectionis* circa finem in illo versiculo *Scripsistis praterea*, &c.

Item objiciunt quod NICOLAUS causam in dubium revocaverit, ex eo quod dedit eis licentiam litigandi. Sed respondemus quod Nicolao manifestum erat, Dolensem & omnes Britanniæ episcopos esse suffraganeos ecclesiæ Turonensis, ut in illo capite *Hæc quippe* in principio, & in illo versiculo sicut & in illis duabus epistolis. *Lectis*. *Dilectionis*. Et hoc non revocat in dubium, sed in judicium, ut quod clarum erat, per sententiam luce clarius constaret, ut in fine illius c. *Hæc quippe*, & in fine illius epistolæ *Dilectionis*. Nam & LEO IV. sibi objecta non in dubium revocat; sed in judicium, ut suam ignocentiam clarius demonstraret: quia veritas sæpius exagitata magis splendescet in lucem.

Item objiciunt quasi NICOLAUS profiteatur Dolensem septem habere episcopos. Ad quod respondemus, quod ipse Nicolaus videtur usus sermone vulgari, ut iste sermo *Vos qui tantum septem episcopos habetis*, ad omnes Britannos dirigi videatur: sicut & quæritur ab aliquo cive, quot habetis consules in civitate vestra? Sermo iste ad omnes cives civitatis illius dirigitur. Quia soli FESTINIANO pluraliter loquitur. Vel si dicatur quod ipse Dolensis septem haberet episcopos, constat quia eos per violentiam regiam detinebat, ut evidenter ostenditur in illo c. *Hæc quippe* in illo versiculo *sicut conscriptiones* usque *subtraxerant*, & in alia epistola *Lectis*.

Item objiciunt quasi NICOLAUS dederit licentiam Dolensi pallium postulandi. Ad quod respondemus, quod hoc non dixit simpliciter NICOLAUS; sed cum hoc adjuncto, ut scripta illa, quæ ab Apostolica Sede Dolenses antistites in susceptione pallii susceperant, ad ipsum Nicolaum dirigerentur, quatenus per eorum vestigia graderetur, ut in epistola Nicolai ad Salomonem regem Brittonum proposuerat, quam adversa pars introducit, & in alia epistola ejusdem *Dilectionis*, quasi denegans è contrario, si scripta illa non mitterentur, quæ quidem non ha-

bebant, ut in fine ejuſdem epiſtolæ *Dilectionis* in illo verſiculo *Scripſiſtis*, &c.

Item objiciunt quod JOHANNES VIII. ſcribit Dolenſi, & nominat eum archiepiſcopum in ſalutatione. Sed reſpondemus credendum eſt, quod per errorem ſcriptoris nomen archiepiſcopi ſit appoſitum : maxime quia in ſalutatione ſcriptum tantum invenitur, non in epiſtolæ corpore. Item etiam quia in ipſa ſalutatione dicitur necnon & ceteris epiſcopis Britanniæ, nec apponitur ſuffraganeis. Et quia ſcribebatur ſuper alia materia, non ſuper quæſtione præſenti; unde & facile fuit ad ſuggeſtionem impetrantis nomen archiepiſcopi per errorem apponi, qui errore patriæ ipſum archiepiſcopum appellabat. Unde non probatur ille Dolenſis palleum habuiſſe ab Apoſtolica Sede. Et conſtanter dicimus quod uſque ad tempus Gregorii VII. nullus Dolenſis antiſtes palleum potuit impetrare à Romana eccleſia. Nam litteras, quas ſub nomine ADRIANI II. objiciunt, dicimus non eſſe authenticas, immo falſas, ſicut in Synodo Xantonenſi judicatum fuit per legatos Romanæ Sedis, ut in ſententia legatorum circa finem. At GREGORIUS VII. Dolenſi palleum impetravit per deceptionem : non tamen concedimus, quod perpetuam indulgentiam impetravit petendi palleum ſibi & ſucceſſoribus ſuis, licet hoc aſſerat pars adverſa, & in argumentum adducit litteras Urbani *Expetendi*. Sed reſpondemus quod in illis litteris Urbani, non dicitur quod authenticum exhibuit de tali perpetua indulgentia, ſed exemplum : & idem fidem ei non habuit Urbanus, ſed ſacramentum exegit, quod ita in authentico continebatur, ſicut in exemplo exhibebat. Quod quidem ſacramentum, quia inter alios eſt præſtitum abſente eccleſia Turonenſi, ipſi non præjudicat, ut de jurejurando l. iij. circa finem. Ergo dicimus quod ſub Gregorio VII. Dolenſis impetravit palleum ab initio perſonaliter, ut in ſententia ipſius Gregorii VII. circa finem. Vel ſi etiam impetravit perpetuam indulgentiam à Gregorio; conſtat eam per ejuſdem Gregorii ſententiam revocatam, ut Urbanus teſtatur in ſua ſententia circa principium. Item dicimus omnes litteras, quas ſub nomine

Gregorii VII. induxit pars adversa, non esse authenticas.

Item objiciunt sententiam GREGORII VII. quam pro nobis induximus, quod non sit authentica. Sed respondemus quod eam probavimus authenticam per sententiam Urbani & epistolam ipsius ad episcopos Britanniæ, ut supra in facto nostro.

Item objiciunt eidem sententiæ, quasi sit iniqua duplici ratione, & quia onus probationis fuit impositum, qui possidebat, & quia artatus fuit ad certam probationis speciem. Sed respondemus quod non fuit iniqua; quia Turonensis suam intentionem fundaverat, ut in principio sententiæ Gregorii, & ideo Dolensis probare tenebatur, & speciem certam probationis afferre: unde ad eam quam obtulit est artatus. Item non debet ei prodesse possessio violenta ad imponendum onus probationis adversario. Item vane objectum est ab adversario, quod non sit sententia, quia sub conditione lata. Nam etsi ferri non debuerit; lata tamen tenuit. Nam & sententia vocatur ab Urbano, ut in ejus sententia circa medium in illo versiculo *quæsita est*.

Item objiciunt sententiæ legatorum quod non sit authentica. Sed probamus eam authenticam in narratione facti, per sententiam Urbani ex epistola ejusdem ad episcopos Britanniæ. Item objiciunt eidem sententiæ, quasi mendacium legati dixerint, quæ dicta Nicolai, Johannis, & Leonis privilegia nominaverunt, cum non sint. Sed respondemus quod privilegium dicitur large, etiam jus commune redditur à summa sede quasi per excellentiam scriptura apostolica, sicut sententia Urbani dicitur privilegium in sententia Lucii, & in confirmationibus Eugenii & Anastasii. Vel potest dici quod alia scripta dictorum apostolicorum sunt ostensa quæ propria significatione erant privilegia, quod quidem credendum est, etsi ea non ostendamus, quia sententiæ standum est, quæ appellatione suspendi non potest.

Item objiciunt sequentibus duabus sententiis Urbani & Lucii quasi ipsæ sint infirmandæ, quia ex duabus præcedentibus sententiis quasi infirmis prodierunt. Sed respondemus quia prædictæ sententiæ Gregorii & legatorum sunt

validæ & firmæ ſicut ſuperius oſtendimus. Quin immo etſi de eis aliquo modo poterat dubitari : ipſæ tamen in judicium revocatæ, & per ſententias Urbani & Lucii confirmatæ, validæ ſunt effectæ, ut jam de ipſis dubitari vel quæri non poſſit, ut c. *de fide inſtrumentorum l. ultima & c. Si falſis inſtrumentis fuerit judicatum.* Sed objicitur ſpecialiter ſententiæ Urbani, quod fuerit lata in abſentem. Sed reſpondemus quod immo in præſentem, quia contumacem, cum ad edictum peremtorium non affuerit; quod ex utriuſque partis conſenſu...... ſum fuerat, ut in ipſa ſententia continetur : Et ideo valere debet ſententia ac ſi præſente utraque parte lata fuiſſet. Nec poteſt Urbani ſententia in irritum revocari, quia ſub Lucio poſtea in judicio...... ſententia confirmata.

Item objiciunt ſententiæ URBANI, quaſi ei præſcriptum ſit tempore, quaſi ſuam...... quadraginta annos à ſententia Urbani numerandos uſque ad ſententiam Lucii. Ad quod reſpondemus eo intervallo ſæpe litem agitatam : Unde probare neceſſe habet pars adverſa, quod à ſententia Urbani uſque ad litem motam, nihil eis dictum fuerit; maxime cum Innocentius dicat hanc cauſam in pluribus locis, Salmurio videlicet, Veneto, Cenomanis, Pariſius ter, etiam Pictavis, Carnoti diutius agitatam, ut in ejus epiſtola *Venerabilis frater.* Sicut & Lucius II. teſtatur in ſua ſententia. Quare de ipſa ſententia Urbani dubitandum non eſt, quia eſt per Lucii ſententiam confirmata. Item aliter reſpondemus quia mala fide ſuam libertatem poſſederunt, quia dole......

Item objiciunt ſententiæ URBANI quod non fuit mandata executioni, unde eſt inutilis. Sed reſpondemus quod ſententia mandata fuit executioni per præceptum Urbani, licet non ex toto, quia duo de epiſcopis, quos tenebat Dolenſis reverſi ſunt ad Turonenſem eccleſiam, ſicut probatur per teſtes adverſæ partis, ſcilicet VVillelmum Boterate, & Garinum pagani filium, & Menguidum Hoſpitalarium. Sed & ſi non fuiſſet mandata ſententia Urbani executioni, utilis tamen fuit & eſt, quia ſine difficultate quæſtionis alicujus eſt penitus executioni mandanda, ut quæri

non debeat de Dolensi sit noster suffraganeus, an non, quia est per illam sententiam & alias definitum. Quod autem in toto non fuit executioni mandata, non est imputandum Turonensi ecclesiæ ad negligentiam, quia semper clamabat; neque Romanæ ecclesiæ ad iniquitatem, quæ honorem & gloriam Turonensi metropoli conferre optabat; sed Britannorum feritati, & pertinaciæ animi est imputandum; quia nulla excommunicatione, nulla violentia ad Turonensem ecclesiam obedientiam exhibere poterat impelli. Immo christianam se fidem astruebant deserturos, si cogerentur, ut in epistola ejusdem Urbani *Dolensis quidem electus*. Qua feritate cessante, debet cessare remissio: quia causa cessante, cessat effectus.

Item objiciunt quod PASCHALIS palleum indulserit BALDRICO Dolensi archiepiscopo, videlicet plenitudinem pontificatus, & præceperit suffraganeis, & populo Dolensis ecclesiæ, ut ipsi BALDRICO sicut magistro obedirent. Sed respondemus quod illa indulgentia fuit personalis, quia ibi subjungitur, ut secundum prædecessorum suorum consuetudinem uteretur. Ergo personaliter, quia solos duos habuit prædecessores, qui pallium habuerant sub Gregorio videlicet & Urbano personaliter, ut probatum est per sententias. Et illa indulgentia PASCHALIS fuit ex necessitate concessa, quia propria feritate & pertinacia cogi non poterant ad obedientiam ecclesiæ Turonensis. Unde cum nec obedirent ecclesiæ Dolensi ex nimia dissolutione universi Deo & hominibus odibilia perpetrabant. Et hac necessitate Dolensem, quem diligebant, pastorem constituit temporaliter & personaliter.

Item objiciunt concilium CALLIXTI, quia in eo Dolensis vocatur archiepiscopus, & dicitur interfuisse Baldricus cum duobus suffraganeis. Item objiciunt HONORIUM II. quia Dolensem vocat archiepiscopum in duabus epistolis in salutatione. Sed respondemus quod de eodem Baldrico...... cum quo ex necessitate fuit dispensatum, ut supra probavimus, quæ necessitas cessat hodie.

Item objiciunt INNOCENTIUM II. qui GAUFRIDO archiepiscopo Dolensi indulsit pallium, & eum vocat a-

chiepiscopum, & ammonet, ut cum suffraganeis suis veniat ad concilium; & in alia epistola citat Turonensem super causa ista. Item objiciunt CÆLESTINUM II. qui eumdem Dolensem vocat archiepiscopum, & de eadem causa citat Dominum Turonensem. Sed respondemus, quod hæc indulgentia facta fuit ex consequentia prædictæ necessitatis & personalis fuit, sicut in subsequente sententia Lucii II. manifeste apparet, & ipsa causa controversiæ præsentis per eamdem sententiam est finita.

Item objiciunt quod tenuerunt suffraganeos etiam post sententiam Lucii; quod non negamus. Immo in hoc summam contumaciam & inobedientiam contra Romanam ecclesiam ostendunt, quia suffraganeos nostros, ab eis absolutos, auctoritate apostolica visi sunt detinere contra sententiam Lucii, compellentes eosdem ad suam obedientiam laicali potentia, sicut per testimonium eorum probatur, Gaufredum Hoel, qui dicit se vidisse Briocensem & Trecorensem episcopos jurare fidelitatem Dolensi ecclesiæ & OLIVERIO electo, & comes EUDO componebat eis qualiter debebant jurare, qui OLIVERIUS fuit electus post sententiam Lucii. Qui suffraganei paulo post reversi ad cor, ad nos redierunt, & per Dei gratiam debita devotione nobis obediunt.

Item objiciunt Adrianum, qui pallium indulsit HUGONI Dolensi, & eum vocavit archiepiscopum, & Turonensem citavit de suffraganeis, & ei prohibuit ne interim ipsum Hugonem vel ejus clericos sententia interdicti vel excommunicationis ulla ratione gravare præsumeret, & nominat Dolensem archiepiscopatum in salutatione cujusdam epistolæ; & dat eidem HUGONI licentiam excommunicandi quemlibet per violentiam usurpantem jura sui archiepiscopatus; & præcipit quibusdam Baronibus Britanniæ, ut ei obediant more antecessorum suorum. Sed respondemus, quod sola plenitudine potestatis est usus in hac parte ad inverecundam & importunam instantiam illius Dolensis, per mendacia, & tacita veritate de tot sententiis nostris, quæ nulla ratione suspendi poterant, de rigore jam dicto Lucii, de possessione subjectionis, reverentiæ, & obe-

dientiæ, quam plene & canonice adepta fuerat Turonensis ecclesia in Dolensem, & ceteros episcopos Britanniæ. Quod autem Adrianus absolvisse dicitur ipsum HUGONEM tam per epistolam illam *Veniens*, quam per plures testes adversæ partis. Ita discrete notanda est absolutio, ut fuerit specialis, causalis, & temporalis. Specialis quidem notatur manifeste cum tantum ab obedientia interdicti & excommunicationis ipsum absolvit: unde & omnem aliam potestatem ipsi Turonensi reservavit in Dolensem, scilicet præcipiendi, vocandi ad synodum, visitandi, & similia. Causalis fuit, quia ad hoc fuit concessa talis absolutio, ut Dolensis valeret libere judicium exercere, non ut Turonensis commodo possessionis ejus privaretur, sicut de servo dicitur, qui liberale exercet judicium, quod interim sic & quantum ad judicium libere exercendum habeatur pro libero, non tamen Dominus...... Temporalis etiam fuit, videlicet donec Turonensis veniret ad Romanam ecclesiam, responsurus, quod notatur totum in epistola Adriani *Veniens* in fine.

Item objiciunt testes, qui dicunt quod duo de canonicis Dolensibus ex parte capituli, & ex parte Domini papæ interdixerunt Hugoni electo suo, ne iret Turonos ad consecrationem percipiendam. Sed respondemus quod talis prohibitio non fuit facta ex consensu capituli, licet ex parte capituli; quia & ex parte Domini papæ, non tamen ejus consensu: maxime cum tres de canonicis secundum testes & confessionem eorum, immo plures secundum testes nostros, præsentaverunt HUGONEM Turonensi archiepiscopo consecrandum cum sollemni decreto capituli. Cum ergo duo tantum dissenserint prohibendo, quatuor autem consenserint ad minus, quia tres præsentantes & quartus præsentatus, cujus consensus prodest sibi ad numerum, patet quod tenuit consensus plurimorum, & pro eodem habendum est, ac si omnes consensissent; nec debet illorum duorum prohibitio intelligi appellatio. Nam qui prohibet, vice utitur præminentis: qui vero appellat, voce utitur oppressi. Et si illa prohibitio appellatio contra veritatem intelligatur ab aliquibus, valere non potuit,

quia

quia ad hoc fuit interposita, ut in contemtu excommunicationis canonice inflictæ sibi propter inobedientiam perduraret. Excommunicati enim erant Dolenses clerici propter inobedientiam, sicut probavimus per litteras Eugenii, & per testes nostros. Appellatio enim non debet prodesse alicui, ut perseveret in crimine manifesto: maxime cum postmodum à consecratione reductum receperint eum clerus & populus Dolensis publice, & pro ipso Dolensis ecclesia pallium petierit ab Adriano, quæ probata sunt per testes nostros & per litteras Adriani *Veniens.*

Sed objiciunt iterum quod litteræ capituli falsæ fuerunt, quasi falso sigillo signatæ: quod nos negamus, nam testes quos inducunt quatuor VV. de Dinano. G. Villiens, G. Tehel, Herveus de Carruel, dicunt quoddam adulterinum sigillum fractum esse, sed unde fuerit allatum non testantur. At Gaufridus presbyter testis eorum dicit, sigillum quoddam extractum fuisse de scriniis archiepiscopi & confractum: non tamen dicit adulterinum. At Herveus de Miniaco & Petrus de Burgo novo, testes eorum dicunt quoddam sigillum adulterinum esse extractum de scriniis archiepiscopi & confractum; sed isti duo discrepant in tempore: nam unus dicit illud confractum, fuisse in mane, alius dicit confractum fuisse circa meridiem vel horam nonam: unde manifeste patet hoc totum structum fuisse per fraudem & dolum. Illud quidem notandum est diligenter, quod nullus testis partis adversæ dicit sigillum adulterinum extractum fuisse de scriniis archiepiscopi, nisi qui sibi contradicunt in tempore. Item nec isti dicunt quod in illis scriniis fuisset sigillum adulterinum de conscientia ipsius archiepiscopi. Item nec aliquis dicit de illo sigillo fracto, quod fuisset sigillum adulterinum capituli. Item nec aliquis dicit quod tunc habuerit illud archiepiscopus, cum litteræ fuerunt sigillatæ. Item nec aliquis dicit, quod fuerint sigillatæ litteræ illæ sigillo illo. Item notandum est quod illi qui dicuntur fecisse comparationem inter verum & falsum, & fregisse falsum, infesti erant ipsi, nec ejus judices, nec ipse prædicta recognovisse probatur.

Item objiciunt testes suos qui dicunt ipsum HUGONEM

V

in professione sua facta archiepiscopo Turonensi & ecclesiæ se vocasse archiepiscopum. Sed respondemus, quod omnes testes sui, qui de hac materia loquuntur, omnes sunt de auditu; quia dicunt se audivisse dici ab aliis, præter David de Caronel, qui se vidisse asserit. Sed iste quia solus est, ergo nullus. Nam testes nostri VVILLELMUS episcopus Cenomanensis, Gaufridus presbyter, Johannes presbyter..... dicunt Hugonem fuisse consecratum in episcopum Dolensem, &c. *Cetera fere omnia vetustate consumta sunt.*

INNOCENTII PAPÆ III. SENTENTIA De subjectione Dolensis ecclesiæ ad Turonensem.

INNOCENTIUS episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri BARTHOLOMÆO Turonensi archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Licet primum & præcipuum Ecclesiæ fundamentum sit unigenitus Dei Filius JESUS CHRISTUS juxta quod dicit Apostolus, quia fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est CHRISTUS JESUS: Secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum existit Beatissimus Petrus Apostolus, ad quem veritas ait: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Qui sicut à Christo Petra dictus est Petrus; ita etiam à Christo capite vocatus est caput, ipso sibi dicente, Tu vocaberis Cephas, ut per hoc universi fideles agnoscerent, quod ad ipsum tamquam ad fundamentum & caput majores debeant ecclesiarum causæ referri, quatinus quod ab ipso tamquam à capite principali fuerit auctoritate statutum, in ipso tamquam in fundamento stabili firmitate consistat. Nobis ergo qui licet indigni locum ejus in Apostolica Sede tenemus, incumbit ex debito pastoralis officii de universali Ecclesia scandala tollere, ac jurgia resecare, & tam emergentes de novo quæstionum articulos, quam causas ab antiquis tractatas, sed adhuc in antiquæ contentionis scrupulo remanentes judicialis sententiæ calculo terminare. Inter

ceteras vero causas veteres & modernas, vetus illa quæstio, quæ inter Turonensem & Dolensem ecclesias vertebatur, Ecclesiam non modicum usque ad hæc moderna tempora conturbabat: ad quam vel sopiendam concordia, vel judicio terminandam post multas prædecessorum nostrorum citationes, nos tandem dilecto filio JOHANNE Dolensi electo ad Sedem Apostolicam accedente, termino utrique partium à bonæ memoriæ CÆLESTINO papa prædecessore nostro præfixo, cum tu non nisi nuncios minus sufficienter instructos pro sola dilatione petenda misisses; partem citavimus ecclesiæ Turonensis, mandantes ut quicquid de te quocumque modo contingeret, pars eadem per se vel procuratores idoneos ad Apostolicam Sedem accederet, nostræ dispositionis formam vel justæ definitionis sententiam receptura. Alioquin ex tunc nos ad horum alterum procedere curaremus. Dicto igitur electo, Juliano, Radulfo, & Hugoni canonicis Dolensibus cum litteris de procuratione ipsis super hac causa specialiter ab ecclesia Dolensi concessis; & dilectis filiis Gaufrido cancellario, Segnoret, Johanne, Ernaldo canonicis Turonensibus & Gaufredo de Joviaco cum litteris de ratihabitione datis eis tam à te quam à Turonensi ecclesia, in nostra præsentia constitutis, frequenter per nos, interdum etiam per Fratres nostros audientiam plenam & benignam indulsimus, & quæ fuerunt hinc inde proposita intelleximus diligenter. Fuit autem propositum ex parte Dolensis ecclesiæ, quod cum eadem ecclesia longissimo tempore fuerit in possessione metropoliticæ dignitatis, sicut ex gestis quorumdam sanctorum & aliis scriptis apparere decebat: tamdem cum temporibus beatæ memoriæ Nicolai papæ prædecessoris nostri, FESTINIANO tunc in archiepiscopum Dolensem promoto, usum pallei à Sede Apostolica postulasset: licet idem NICOLAUS quod petebatur non duxerit concedendum, quia litteras Apostolicæ Sedis, quas prædecessores ejus prædecessoribus ipsius Festiniani in pallei collatione transmiserant, ei non fecerat præsentari: non tamen quod petebatur negavit expresse, sed partes ad suam præsentiam convocavit, mandans ERALDO tunc archiepiscopo Turo-

nensi, ut ad ipsum suum legatum transmitteret, cum quo etiam nuntios suos Dolensis ecclesia destinaret, ut utrisque positis coram eo, æqua lance causa librata, quæ esset sedes metropolica plenius appareret. Scripsit etiam idem NICOLAUS, sicut ex authentico ipsius apparet, SALOMONI tunc regi Britannorum & uxori ejus, ut idem FESTINIANUS idoneum mitteret ad Romanam ecclesiam ex proprio clero legatum, qui scripta fidei catholicæ documenta deferret, & eumdem Festinianum ita credere & servare de cetero juramento firmaret: quod nisi palleum ei disposuisset per eumdem legatum transmittere non mandasset. Verum eodem Nicolao sublato de medio, cum nuntii Dolensis ecclesiæ ad Sedem Apostolicam accessissent, bonæ memoriæ ADRIANUS papa eidem FESTINIANO palleum cum privilegio destinavit: quod pars Dolensis ecclesiæ per scriptum authenticum non probavit. Præterea quod temporibus JOHANNIS Octavi Dolensi ecclesiæ archiepiscopus præsideret, nisa est pars eadem comprobare per litteras ejus, quas MAINO archiepiscopo destinavit & ceteris episcopis per Britanniam constitutis. Ceterum cum quidam juvenis felicis recordationis GREGORIO septimo consecrandus fuisset à Dolensi ecclesia præsentatus; ipse juvene illo propter minorem ætatem repulso, J. tunc S. Melanii abbatem in Dolensem archiepiscopum consecravit, ei & successoribus ejus pallei usum indulgens, & mandans episcopis Britanniæ, ut ei tamquam archiepiscopo reverentiam & obedientiam exhiberent; quæ quoniam authenticum non habebat, per Urbani Secundi litteras voluit edocere. Felicis etiam recordationis URBANUS Secundus R. Dolensi archiepiscopo, juramento ab ipso recepto, quod memoratus G. prædecessor ipsius prædecessori ejusdem R. & successoribus suis usum pallei concessisset, sicut in transcripto litterarum ejusdem G. quarum authenticum se habere juravit, erat expressum, munus pallei ex Apostolicæ Sedis liberalitate concessit; licet ipsi mandasset, ut exhibere se nullatenus recusaret ad discutiendam querimoniam, quam Turonensis archiepiscopus de Subjectione Dolensis ecclesiæ & obedientia sibi negata tam apud

ipsum, quam prædecessores ejus fecerat sæpe proponi. Idem etiam eum in litteris, quas principibus & populo Dolensis ecclesiæ destinavit pro justitiis ejusdem ecclesiæ eum duxit archiepiscopum nominandum, sicut per scriptum authenticum pars eadem demonstravit. Piæ quoque memoriæ PASCHALIS Secundus BALDRICO Dolensi archiepiscopo à GERARDO tunc Engolismensi episcopo auctoritate Sedis Apostolicæ instituto palleum, plenitudinem scilicet officii pastoralis indulsit, ut eo secundum prædecessorum suorum consuetudinem uteretur.

Præterea in synodo à bonæ memoriæ CALIXTO papa celebrata Remis B. Dolensis archiepiscopus cum duobus suffraganeis suis interfuisse legitur, & ad ipsam prius tamquam archiepiscopus evocatus. HONORIUS insuper cum prædictum G. tunc Engelismensem episcopum tamquam legatum suum & Apostolicæ Sedis Vicarium destinaret, inter alios legitur BALDRICO archiepiscopo Dolensi scripsisse, ut eum reverenter susciperet, & ipsi humiliter obediret. Qui etiam BALDRICUS quatuor suffraganeos habuisse probatur. Ad hæc felicis memoriæ INNOCENTIUS papa prædecessor noster G. Dolensem archiepiscopum & suffraganeos ejus ad concilium, quod Pisis postea celebravit, legitur evocasse, & ad querimoniam ejus citasse archiepiscopum Turonensem, ut super subjectione quam à Dolensi petebat justitiam ostenderet ecclesiæ Turonensis, & eidem Dolensi de Aletensi dioceſi responderet. In quo etiam piæ memoriæ CÆLESTINUS eumdem prædecessorem suum Innocentium est secutus. Et licet bonæ memoriæ LUCIUS papa Secundus prædecessor noster contra Dolensem ecclesiam pro Turonensi sententiam promulgavit: semper tamen Dolensis ecclesia in libertatis possessione permansit: cum sicut in scripto etiam ab adversa parte inducto perspicitur contineri, concessum fuit, ut GAUFRIDUS tunc Dolensis archiepiscopus, quandiu ecclesiæ præesset eidem, usum pallei non amitteret, nec alii quam Romano pontifici subjaceret. Idem etiam GAUFRIDUS cum ad Capuanæ Sedis metropolim aspiraret; in judicio Turonensi archiepiscopo dicitur col-

lusisse, nec bene defendisse causam Dolensis ecclesiæ, à qua tam corpore, quam animo discedebat: Si quidem post sententiam transierit ad ecclesiam Capuanam. OLIVERIUS quoque successor ipsius electus eosdem suffraganeos, quos G. prædecessor ejus habuerat, habuit; & in Dolensi ecclesia ministravit sicut per plures testes fuerat comprobatum. Adjecit quoque pars Dolensis, quod processu temporis bonæ memoriæ EUGENIUS papa prædecessor noster felicis recordationis BERNARDUM Clarevallensem abbatem ad sopiendas inter easdem ecclesias controversias destinavit, cujus statutum servare noluit ecclesia Turonensis. Ceterum cum H. postmodum Dolensis electus propter illiteraturam suam apostolico se timeret conspectui præsentare; cum.... cantore & quatuor aliis canonicis Dolensibus Andegavis, quasi cum Turonensi compositurus, accessit; & exinde contra prohibitionem cantoris & alterius senioris canonici, cum tribus junioribus Turonensem adiit civitatem, & corruptis tribus illis canonicis per collationem præbendarum, & salvo jure Dolensis ecclesiæ, jurare inductis se servaturos quod oblata eis cartula continebat, à Turonensi archiepiscopo munus consecrationis accepit. Quod autem idem H. tres juvenes memoratos corruperit; uni scilicet archidiaconatum, alii præbendam conferens, tertio præbendam de manu laicali confirmans; quod cantor & socius ejus eidem H. ne Turonis accederet curaverit districtius inhibere; quod iidem juvenes salvo Dolensis ecclesiæ jure juraverint; quod idem H. adulterinum sigillum habuerit, eadem pars per testes suos sufficienter asseruit fuisse probatum: Adjectum est etiam quod litteræ nomine Dolensis capituli super ipsius H. præsentatione confectæ, veræ non essent, utpote in quibus nomen præmittebatur decani; cum decanus nullum haberet in eadem ecclesia personatum; sed cantor primum locum potius obtineret. Idem etiam H. in professione, quam fecit archiepiscopo Turonensi, se non episcopum, sed archiepiscopum nominavit. Ceterum cum idem H. propter prædicta non fuisset ab ecclesia Dolensi receptus, ad Apostolicam Sedem accedens, à bonæ memoriæ ADRIANO papa

prædecessore nostro ab obedientia fuit, quam Turonensi archiepiscopo in consecratione sua promiserat, absolutus. Sed hoc non potuit pars eadem per litteras authenticas demonstrare. Cui cum Dolensis ecclesia ab eodem Adriano papa usum pallei tam ex tenore concordiæ, quam inter se & Turonensem archiepiscopum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine postularet. Nuntii vero Turonensis ecclesiæ compositionem quamdam factam per abbatem de Fontanis, in qua Dolensem ecclesiam suffraganeis renunciasse dicebant, peterent confirmari: addentes quod sic fuerat à prædicto LUCIO prædecessore nostro de Fratrum consilio per sententiam definitum: parte Dolensis ecclesiæ prædictam compositionem & sententiam etiam non tenere dicente, cum is qui in Dolensi ecclesia tunc præsulatus gerebat officium dolum adhibuisset & fraudem, utpote qui cum jam ad Capuanam metropolim aspiraret; nihil ad commodum Dolensis ecclesiæ allegavit; cum Dolensis ecclesia præsens in examinatione negotii non fuisset. Idem etiam ADRIANUS prædictam compositionem omnino cassavit, & eam censuit vires non habere; eidem H. pallei usum indulgens, ac E. tunc archiepiscopo Turonensi præcipiens, ut cum eo super suffraganeis conveniret; aut usque ad festum S. Michaelis proxime tunc venturum plenam ei exhibiturus & recepturus justitiam apostolico se conspectui præsentaret: interim autem ipsum vel clericos ejus excommunicationis vel interdicti sententia non præsumeret aggravare. Iterum etiam idem ADRIANUS ad festum Omnium Sanctorum citavit partem ecclesiæ Turonensis, & eumdem H. frequenter in suis litteris archiepiscopum nominavit, quod ex scriptis authenticis pars eadem demonstravit. Insuper bonæ memoriæ ALEXANDER papa prædecessor noster eumdem Adrianum prædecessorem suum postmodum imitatus, dictum H. nominavit archiepiscopum, & te non solum semel, sed sæpius, & tandem peremtorio evocavit, ut ad Apostolicam Sedem accederes, ROLL. tunc Dolensi electo de suffraganeis responsurus. Asseruit etiam idem Alexander in litteris suis, sicut ex ipsorum inspectione patebat, quod

dictus ADRIANUS prædeceſsor ipſius quæſtionem illam, quæ inter Turonenſem & Dolenſem eccleſias per ſententiam terminata fuerat, ceperat retractare: unde volens plenius ſuper cauſa ipſa cognoſcere veritatem, cum utraque parte præſente, à ROLL. tunc Dolenſi electo teſtes recepiſset inductos, & depoſitiones eorum ſuper quibuſdam capitulis admiſiſset: G. tunc Senonenſi H. Bajocenſi & ... abbati S. Genovefæ, & .... Decano Bajocenſi tam teſtes, quos ipſe receperat ſuper aliis quibuſdam capitulis audiendos, quam alios ab alterutra partium inducendos, recipiendos, & audiendos, ſuper poſseſſione ſubjectionis, in qua te tu frater archiepiſcope eſse dicebas, vel libertatis in qua ſe idem tueri nitebatur electus, ſuper capitulis certis commiſerit. Quem LUCIUS etiam ſucceſsor ipſius in hoc imitatus N. Cenomanenſi Decano, J. de Veteri Ponte archidiacono Rothomagenſi, H. Januenſi præpoſito S. Mariæ de Caſtellis per ſuas litteras idem injunxit. Qui juxta mandatum Apoſtolicum procedentes receperunt teſtes ſuper prædictis capitulis inductos à partibus, & eorum depoſitiones redigentes in ſcriptis, ſub ſigillis ſuis ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſerunt. Ex his ergo concludens Dolenſis eccleſia poſtulabat, ut cum in libertatis ſemper poſſeſſione fuiſſet, dictum electum J. per dilectum filium noſtrum JORDANEM Titulo S. Pudentianæ presbyterum cardinalem tunc Apoſtolicæ Sedis legatum auctoritate apoſtolica confirmatum conſecrare in archiepiſcopum, & ei uſum pallei curaremus de ſolita Sedis Apoſtolicæ benignitate conferre. Ceterum ex parte Turonenſis eccleſiæ fuit ad prædicta reſponſum, quod cum olim tota Britannia fuiſſet eccleſiæ Turonenſis tamquam metropoli ſuæ ſubjecta, Britannis tandem contra regem Francorum, & proprium ſibi conſtituentibus regem, occaſione beati SAMSONIS quondam Eboracenſis archiepiſcopi, qui dum in partibus Britanniæ pateretur exſilium; in Dolenſi eccleſia cum archiepiſcopalibus inſignibus miniſtrarat, Dolenſis eccleſia contra Turonenſem ſupercilium elationis aſſumſit: Britannis volentibus ſibi novum archiepiſcopum, ſicut novum regem creaverant, ſuſcitare. Unde bonæ memoriæ NICOLAUS

papa

papa prædeceſſor noſter SALOMONI tunc regi Britanniæ ſcribens, quod omnes epiſcopi regni ejus ſuffraganei eſſent eccleſiæ Turonenſis, per litteras ſuas expreſſit; adjiciens tandem, ut ſi contentioſius agere vellet ad Sedem Apoſtolicam deſtinaret, ut quæ eſſet ſedes metropolica per ipſius judicium appareret. In aliis etiam litteris directis eidem Turonenſem eccleſiam metropolim eſſe Dolenſis eccleſiæ, ſicut ex prædeceſſorum ſuorum munimentis & exemplis priorum patere dicebat, aſſeruit. Et FESTINIANO Dolenſi antiſtiti ſcribens, quod Turonenſis eccleſia metropolis ejus eſſet, ſe comperiſſe, ſicut ex litteris apparet, deſcripſit: neceſſarium eſſe adjiciens, ut eam Dolenſes epiſcopi ſequerentur, & ipſam in negotiis ſuis adirent, nec exquirere ipſius judicium detrectarent, ſicut per munimenta prædeceſſorum ſuorum & exempla priorum dicebat oſtendi: addito ut idem FESTINIANUS ſe metropolitanum nullatenus appellaret, quouſque ſcripta Romanorum pontificum, quæ in acceptione pallei ejus anteceſſores acceperant, deſtinaret; cum in Regeſtis SIRICII & ADRIANI nullatenus inveniſſet quod BESTOVALDO & JUNEMENO prædeceſſoribus ejuſdem FESTINIANI, ſicut ſcripſerat, uſum pallei conceſſiſſet. Præterea JOHANNES papa prædeceſsor noſter epiſcopis Britanniæ interdixit, ne juri eccleſiæ Turonenſis reſiſterent ſuper omnibus, quæ Turonenſis archiepiſcopus ad ſuam pertinere metropolim aſſerebat, donec utraque partium ad Apoſtolicam Sedem accederet, ut ibidem cauſa eadem finiretur. Adjiciens quod ſi aliter agerent; ſe ſcirent excommunicationis ſententiæ ſubjacere, & ab omni eccleſiaſtico beneficio eſse ſuſpenſos. Quem piæ recordationis LEO papa ſucceſsor ipſius poſtmodum imitatus, ſe in ſcriptis veterum reperiſse aſſeruit omnes epiſcopos Britanniæ Turonenſi archiepiſcopo ſubjacere. Adjiciens quod cum ad eum in Remenſi concilio ſuper hoc quæſtio delata fuiſſet; ſtatuerat ut Dolenſis pſeudo-archiepiſcopus cum ſuis ſubjectis Remenſi concilio intereſſet, non ſolum ſuper hoc, ſed de ſimonia etiam reſponſurus; quod quia implere contemſit, eum & omnes epiſcopos, qui ei adhæſerant, excommunicationis ſententia

innodavit; sic scilicet ut nec peragerent divinum officium, nec audirent, nec etiam benedicere attentarent. Tandem vero cum utraque partium super hoc coram felicis recordationis GREGORIO Septimo papa prædecessore nostro diutius litigasset; idem GREGORIUS post longam discussionem in Romana Synodo, utraque parte præsente, & causa non sine multo labore discussa, contra Dolensem ecclesiam sententiam promulgavit, ut, nisi forte Britanni à subjectione ejusdem ecclesiæ se possent authentica Sedis Apostolicæ auctoritate tueri, Turonensem ecclesiam matrem suam & metropolim recognoscerent, & eam, quam decet metropolitanum, subjectionem & obedientiam Turonensi archiepiscopo exhiberent, usu pallei..... tunc Dolensi episcopo reservato; sic tamen, ut nullus successorum ejus ad dignitatem hujusmodi aspiraret; sed tam ipsi quam ceteri episcopi Britanniæ sub Turonensis archiepiscopi magisterio perpetuo permanerent. Ad quod melius cognoscendum, idem GREGORIUS Legatos Sedis Apostolicæ in provinciam destinavit, qui congregato concilio Xantonis, auditis propositis, cum Dolensis ecclesia nullum ad suæ defensionis præsidium Apostolicæ Sedis privilegium induxisset, sed quasdam litteras potius sub nomine ADRIANI papæ confectas, quas P. Clericus Dolensis antistitis, ipso audiente & tacente, in Regesto Romanæ ecclesiæ.... se mentitus fuerat reperisse, & quas idem antistes falsatas esse in versiculo, in quo de datione pallei fiebat mentio, recognovit: quod GREGORIUS sub conditione statuerat, pure curaverunt & simpliciter definire, scilicet ut tam idem Dolensis, quam ceteri episcopi Britanniæ perpetuam deinceps subjectionem & obedientiam exhiberent archiepiscopo Turonensi, quod prædictus Dolensis in manu dicti Gregorii papæ post datum judicium promiserat se facturum. Quamvis autem prædictorum JOHANNIS, LEONIS, GREGORII, & Legatorum ejus pars eadem authentica non haberet, ea tamen authentica esse per bonæ memoriæ URBANI II. authenticum demonstravit. Cumque postmodum R. Dolensis episcopus memorati Urbani papæ se conspectui præsentasset, juramento firmavit, quod prædictus GREGORIUS prædecessor

ejus salva querimonia Turonensis ecclesiæ pallei usum concesserat; sic tamen ut si etiam Dolensis ecclesia in causa succumberet; usum pallei nihilominus retineret, quod per quasdam litteras Gregorii ostendere nitebatur, propter quod URBANUS ei pallei usum indulsit. Ceterum cum R. Turonensis archiepiscopus ad ejus præsentiam accessisset, & quod per antedicti Gregorii legatos definitum fuerat demonstrasset; idem URBANUS de consensu partium, certum terminum partibus assignavit, ad quem si qua partium non veniret, causæ suæ periculum sustineret. Unde Turonensi ad terminum veniente, Dolensi vero per nuntium suum excusationes solummodo prætendente minus legitimas, causa cognita, de consilio fratrum suorum sancivit, ut tam Dolensis, quam ceteri episcopi Britanniæ Turonensem ecclesiam suam metropolim recognoscerent, & debitam ei reverentiam exhiberent, nec ullo ulterius tempore post ROLLANDI obitum ad usum pallei Dolensis episcopus aspiraret; sicut in ejus authentico perspeximus contineri. Idem etiam URBANUS episcopis Britanniæ suam sententiam denuntians, præcepit, ut Turonensi sicut archiepiscopo suo in posterum obedirent. Cum autem postmodum tempore bonæ memoriæ LUCII papæ Secundi causa eadem fuisset ad Apostolicæ Sedis audientiam, procurante Dolensi ecclesia, revocata; ipse utraque parte præsente, latam ab eodem Urbano sententiam per sententiam confirmavit; & Turonensem ecclesiam super Dolensis & aliorum episcoporum Britanniæ obedientia per baculum investivit; præcipiens ut tam Dolensis, quam ceteri episcopi Britanniæ Turonensi ecclesiæ tamquam propriæ metropoli subjacerent, & ei debitam obedientiam & reverentiam exhibere curarent; hac tamen moderatione adhibita, ut G. tunc Dolensis episcopus retineret usum pallei quoad viveret, & Romano tantum pontifici subjaceret; sed post ipsum nullus Dolensis episcopus ad usum pallii aspiraret, sicut in ostenso nobis ipsius authentico continetur. Qui etiam Briocenses & Trecorenses episcopos ab obedientia Dolensis absolvit, & ut Turonensi archiepiscopo reverentiam & obedientiam exhiberent injunxit: adjiciens quod

si mandati essent Apostolici contemtores; sententiam, quam Turonensis proferret in eos, ratam haberet & faceret inviolabiliter observari. Scribens GAU. Comiti & Baronibus Britanniæ, ut sententiæ nullatenus obviarent; sed eam paterentur executioni mandari, alioqnin ratam haberet sententiam quam Turonensis archiepiscopus in contradictorem quemlibet promulgaret. Hanc autem ejusdem LUCII sententiam EUGENIUS & ANASTASIUS successores ipsius auctoritate apostolica confirmarunt. Et idem EUGENIUS ratam habuit excommunicationis sententiam, quam in Dolenses & Briocenses clericos E. tunc Turonensis archiepiscopus propter eorum inobedientiam promulgarat. Tandem vero Dolensis ecclesia sententiæ parere coacta, H. tunc electum suum consecrandum per decem Dolenses canicos & clericos cum Decreto capituli subscriptiones canonicorum omnium continente, absolutione recepta, ab archiepiscopo Turonensi eidem archiepiscopo præsentavit, & ei professionem fecit, sicut alii suffraganei archiepiscopo suo facere consueverunt: ac rediens à clero & populo Dolensi fuit cum processione receptus. Et licet postmodum sicut ab adversa parte opponitur pallium & absolutionem obedientiæ, quam in consecratione promiserat ecclesiæ Turonensi, tacita de latis sententiis veritate, & falsitate suggesta, scilicet quod ille, qui tunc in Dolensi ecclesia præsulatus gerebat officium, fraudem adhibuerat, nec sufficienter partem Dolensis ecclesiæ defenderat, à Sede Apostolica impetrasset: rediens tamen eidem archiepiscopo debitam obedientiam exhibere curavit, & se teneri recognovit eidem, ad concilium ejus vocatus accessit; & tam ei quam J. ejusdem archiepiscopi successori obedientiam, sicut suo metropolitano, reverenter impendit, sicut per testes fuerat legitime comprobatum. Qui cum tandem, quia transgressus fuerat proprium juramentum, ab eodem J. excommunicationis fuisset vinculo innodatus; tandem cæcitate percussus, pœnitens & de perjurio sponte confessus, absolutionis ab eo beneficio impetrato, anulum ei etiam resignavit: quod totum per testes fuerat comprobatum. Idem quoque ADRIANUS in litte-

ris, quas pars adversa super palleo eidem H. concesso inducit, inter cetera protestatur; quod quia super controversia proposita plenam non potuerat cognitionem habere; cum altera pars in negatione consisteret, & se non habere mandatum penitus affirmaret; nihil ab eo fuerat super eodem negotio terminatum. Felicis etiam recordationis ALEXANDER papa, prædecessor noster de sententia LUCII, confirmatione EUGENII & ANASTASII, concordia HUG. & palleo ipsi H. ab Adriano papa concesso habita mentione, Turonensi ecclesiæ in Dolensem jus metropolicum reservavit. Mandans Dolensi capitulo; ut si forsan in personam idoneam convenisset; eam Turonensi archiepiscopo confirmandam & consecrandam, si electionem inveniret factam canonice, præsentaret; & consecratus ei debitam obedientiam & reverentiam secundum ecclesiæ consuetudinem exhiberet: adjiciens quod si per legatos Sedis Apostolicæ eorum esset electio confirmata, & electus etiam consecratus; nihilominus ad eumdem archiepiscopum vocatus accederet, & ei obedientiam exhiberet. Quod si forsan ad præsentiam ejus infra tres menses accedere non curaret; ex tunc idem Alexander ipsum ab administratione temporalium, & executione officii, quod post electionem susceperat, suspendebat; sicut per ejus authentica patuit manifeste, nec nocuit, nec nocere potuit, quod idem Alexander forte in favorem electi Dolensis citavit partes, testes recepit, & aliis recipiendos commisit; cum non in præjudicium alterutrius partium id intelligatur egisse: præsertim cum tibi etiam ad Turonensem metropolim evocato Dolensis diocesis in pulsatione campanarum & causarum delatione detulerit, & abbas S. Jacuti, qui est de Dolensi diocesi, ad concilium tuum vocatus accesserit, & tibi etiam obedientiam curaverit exhibere. Nos ergo diligenter auditis quæ fuerant hinc inde proposita, & rationibus & allegationibus partium cum instrumentis & attestationibus sufficienter inspectis, de Fratrum nostrorum, & tam archiepiscoporum, quam episcoporum existentium apud Apostolicam Sedem consilio, petitionem Dolensis ecclesiæ interlocuti sumus non esse aliquatenus

admittendam, cum probatum non esset Dolensem ecclesiam in libertatis possessione; sed Turonensem potius in subjectionis ipsius possessione manere. Ad abundantiorem autem cautelam, ab eodem electo coram Fratribus nostris quæsivimus, si Dolensis ecclesia jam probasset, vel adhuc probare posset dolum, quem præfatus G. Dolensis archiepiscopus dictus est commisisse, per quem pars ipsius Dolensis ecclesiæ remansisse proposita fuerat indefensa: qui respondit quod dolus ille nec probatus fuerat, nec poterat comprobari; cum sæpedictus G. & qui cum eo venerant, in Apuliam transeuntes nusquam postmodum remearint. Et quamvis causa non super proprietate, super qua sæpe fuerat sententialiter definitum; sed super possessione tantum subjectionis & libertatis commissa sub certa forma fuisset; ad omnem tamen occasionem tollendam, liberam ei concessimus facultatem, ut ex his quæ acta fuerant, adhuc summatim super proprietate proponeret, si quid posset rationabiliter allegare. Audientia ergo sibi propter hoc publica in consultorio bis indulta: quia præter præmissa nihil ad commodum partis suæ potuit allegare: cum quasi prænosceret, quod deberet in causa sua succumbere, electioni renunciare voluit in manibus nostris, & à commissa sibi & sociis suis à Dolensi capitulo super eadem causa procuratione cessare. Nos autem nolentes hominum malitiis indulgere, nec renunciationem recipimus, nec passi fuimus, ut à commisso sibi & sociis suis à Dolensi ecclesia super eadem causa procuratoris officio resiliret. Ipso igitur nihil, quod ad quæstionem faceret proponente; cum ipsum negotium diu quidem cum multa diligentia Nos & Fratres nostri sufficientissime discusserimus, præmissis & aliis multis rationibus per idoneos advocatos ab utraque parte prudenter inductis, quas propter prolixitatem superfluam in hac pagina prætermisimus annotare, de communi fratrum nostrorum consilio, auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, utraque parte præsente, prædictas prædecessorum nostrorum sententias confirmamus, decernimus, statuimus & sancimus, ut Dolensis ecclesia perpetuis semper temporibus suffra-

ganea plene subjaceat ecclesiæ Turonensi & debitam ei suæ metropoli reverentiam & obedientiam cum aliis suffraganeis impendat; nec umquam Dolensis episcopus ad pallei usum aspiret. Et ne causa totiens definita de cetero valeat in contentionem refricari, si qua post hæc instrumenta vel argumenta pro parte Dolensis ecclesiæ possent quomodolibet inveniri, Nos auctoritate apostolica nihil ea penitus valitura censemus. Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ constitutionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit; indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

S. PETRUS. S. PAULUS.
INNOCENTIUS PAPA III.

Locus monogrammatis.

Fac mecum Domine signum in bonum.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ ecclesiæ episcopus SS.
† Ego OCTAVIANUS Hostiensis & Velletrensis episcopus SS.
† Ego PETRUS Portuensis & S. Rufinæ episcopus SS.
† Ego JOHANNES Albanensis episcopus SS.
† Ego PAND. basilicæ XII. apostolorum presbyter cardinalis SS.
† Ego PETRUS titulo S. Ceciliæ presbyter cardinalis SS.
† Ego JORDANUS S. Pudentianæ titulo Pastoris presbyter cardinalis SS.
† Ego GUIDO S. Mariæ Transtyberim titulo Calixti presbyter cardinalis SS.
† Ego HUGO presbyter cardinalis S. Martini titulo Equitii SS.
† Ego JOHANNES titulo S. Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis SS.
† Ego CENCIUS titulo S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis SS.
† Ego BERNARDUS S. Petri ad vincula presbyter cardinalis titulo Eudoxiæ SS.
† Ego JOHANNES titulo S. Priscæ presbyter cardinalis SS.

† Ego GERARDUS titulo S. Marcelli presbyter cardinalis SS.

† Ego GERARDUS S. Adriani diaconus cardinalis SS.

† Ego GREGORIUS S. Mariæ in ...... diaconus cardinalis SS.

† Ego GREGORIUS S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis SS.

† Ego NICOLAUS S. Mariæ in Cosmedim diaconus cardinalis SS.

† Ego GREGORIUS S. Angeli diaconus cardinalis SS.

† Ego BOBO S. Theodori diaconus cardinalis SS.

† Ego CENCIUS S. Luciæ in Orthea diaconus cardinalis SS.

† Ego HUGO S. Eustachii diaconus cardinalis SS.

Datum Lateranis per manum RAINALDI Domini papæ Notarii, cancellarii vicem agentis, Calendis Junii, Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. C. XCIX. Pontificatus vero Domni INNOCENTII papæ Tertii anno secundo.

EPISTOLA INNOCENTII PAPÆ III. Ad archiepiscopum & Capitulum Turonensis ecclesiæ.

Significat in gratiam Turonensis ecclesiæ adversus Dolensem tulisse se sententiam.

INNOCENTIUS episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri ..... archiepiscopo, & dilectis filiis capitulo Turonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad convincendam malitiam & improbitatem eorum, qui contra rationes & jura venire non metuunt, Sedes Apostolica consuevit rigorem & severitatem aliquotiens temperare; ut vincens in bono malum, omnem auferat materiam murmurandi. Hoc enim quidam prædecessorum nostrorum in causa, quæ vertebatur inter Turonensem & Dolensem ecclesias, fecisse noscuntur; qui contra res judicatas & per sententias Sedis Apostolicæ sæpius definitas

Dolensibus

Dolensibus audientiam in judicio præstiterunt, cum contra res judicatas, nullo juris remedio valeat attentari: ita quod & judicis inferioris sententia, quæ legitima non est appellatione suspensa, postquam in rem transierit judicatam; etiam contra jus litigatoris prolata, retractari de jure non debet; ut sic finis litibus imponatur. Nos quoque postquam causam illam, quæ commissa fuerat à bonæ memoriæ ALEXANDRO & LUCIO prædecessoribus nostris inter ipsas ecclesias super possessione tantum subjectionis & libertatis, rationibus & allegationibus utriusque partis cum instrumentis & attestationibus diligenter auditis & cognitis, pro Turonensi contra Dolensem canonice terminavimus: ad abundantiorem cautelam benignam adhuc ipsis Dolensibus indulsimus facultatem, ut quoniam in examinatione illius causæ multa fuerunt in diversis articulis coram nobis & Fratribus nostris, utrimque de proprietate proposita summatim, non quasi litem contra priores sententias contestando, sed ut ex iis quæ fuerant actitata, de proprietate, si possent, aliquid plenius & efficacius allegagarent, per quod forte posset ostendi an aliquid fuerit omissum, sicut ipsi frequentius asseverant: Propter quod ipsa Dolensis ecclesia in prioribus judiciis remanserit aliquoties indefensa. Sed cum præter ea quæ prius multipliciter allegaverant, nihil postea commodius allegarint: nos ex allegationibus ipsis nihil penitus audientes, quod contra vires priorum sententiarum animum nostrum posset aut deberet aliquo modo movere: dictas prædecessorum nostrorum sententias confirmavimus. Statuentes, ut Dolensis ecclesia tamquam suæ veræ metropoli perpetuis semper temporibus suffraganea plene subjaceat ecclesiæ Turonensi, nec umquam Dolensis episcopus ad pallei usum aspiret. Et ad omnem malitiam convincendam decrevimus, ut, ne lis toties definita posset ulterius refricari, si qua post hæc argumenta vel instrumenta pro parte Dolensis ecclesiæ contingeret inveniri, tamquam nihil penitus valitura omni prorsus utilitate carerent. Ut autem de ordine processus istius nulla possit in posterum dubitatio suboriri: has vobis litteras ipsum processum compendio-

ſius continentes duximus in teſtimonium concedendas. Datum Lateranis iv. nonas Junii Pontificatus noſtri anno ſecundo.

INNOCENTII PAPÆ III. EPISTOLA
Ad comitiſſam baroneſque Britanniæ.

Ejuſdem argumenti.

An. 1199. INNOCENTIUS epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis nobili mulieri..... comitiſſæ, & nobilibus viris A. filio ejus, & univerſis baronibus Britanniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ventilata diutius & quaſi fruſtra ſæpius ſopita contentio, quæ inter Turonenſem & Dolenſem eccleſias vertebatur, uſque adeo ſtatum generalem eccleſiæ hactenus moleſtavit, ut non ſolum Dolenſis doleret eccleſia, & turbaretur metropolis Turonenſis; ſed prædeceſſorum noſtrorum aures utriuſque ſæpius querela pulſarit; & ipſi fruſtra quodammodo viſi fuerint laboraſſe. Nam etſi frequenter ad Romanam eccleſiam quæſtio fuerit ipſa perlata, & fuiſſet per multos prædeceſſores noſtros non ſemel tantum ſopita, ſed ſæpe: nihilominus tamen ſuper ea nos oportuit laborare, nec fuit per Dei gratiam labor noſter inanis, ſed principium noſtrum finis eſt debitus ſubſecutus. Siquidem cum utraque partium ad citationem noſtram apoſtolico ſe conſpectui præſentaſſet; auditis quæ fuerunt hinc & inde propoſita, & rationibus, allegationibus, atteſtationibus, & inſtrumentis partium diligenter inſpectis, de communi Fratrum noſtrorum conſilio ſententiam dictavimus pro eccleſia Turonenſi, auctoritate Apoſtolica decernentes, ut Dolenſis eccleſia ſuffraganea ſemper exiſtat eccleſiæ Turonenſis, & ei ſuæ veræ metropoli reverentiam, honorem, & ſubjectionem impendat, nec ullo umquam tempore ad uſum pallei epiſcopus Dolenſis aſpiret. Ideoque nobilitatem veſtram monemus & exhortamur attentius, ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatinus latam à no-

bis sententiam, quantum in vobis fuerit, & vos observetis de cetero, & faciatis ab aliis observari; Turonensem ecclesiam vestram recognoscentes metropolim, & ad eum in quibus necesse fuerit devote ac humiliter recurrentes: alioquin sententiam, quam in vos propter hoc canonice tulerit ecclesia Turonensis, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum Laterani iv nonas Junii Pontificatus nostri anno secundo.

ROBERTI CANTORIS PARISIENSIS ET ROBERTI DE ASPIGNEIO.

Litteræ quibus nomine Arturi Ducis Britanniæ latæ ab Innocentio III. Sententiæ præbent assensum.

An. 1201.

EGO ROBERTUS cantor Parisiensis, & ego ROBERTUS de Aspigneio præsentium litterarum testimonio notum facimus universis, quod Dominus noster illustris ARTURUS dux Britanniæ per nos ad hoc ipsum ab ipso procuratores constitutos, unde & litteras suas ad venerabilem Patrem nostrum BARTHOLOMÆUM Turonensem archiepiscopum transmisit, concessit liberaliter & promisit se obediturum bona fide sententiæ, quam Dominus papa INNOCENTIUS tulit pro ecclesia Turonensi de subjectione Dolensis ecclesiæ; & quod in nullo de cetero illi sententiæ per se vel per alium contraibit; & injunxit nobis, ut ad Dominum Bartholomæum Turonensem archiepiscopum accedentes, quod à nobis requireret idem archiepiscopus, faceremus pro ipso Domino Arturo ad consilium venerabilium Redonensis, Namnetensis, Macloviensis, Venetensis, Corisopitensis episcoporum, nec non & aliorum magnorum virorum de Britannia, quas ibi adesse contingeret: ratum habiturus, & bona fide servaturus quod loco ipsius faceremus, & promitteremus eum facturum de negotio Turonensis & Dolensis ecclesiarum. Nos igitur de consilio eorumdem episcoporum & nobilis viri ALANI filii co-

mitis concessimus bona fide pro Domino Arturo coram prædictis archiepiscopo & episcopis & aliis multis, quod Dominus noster ARTURUS Dolensem episcopum in episcopatum suum & clericos suos omnes integre restituet, & ipsum episcopum & procuratorem ipsius tam in temporalibus quam in spiritualibus, nec non & clericos suos omnes in pace faciet ad propria recipi, & rerum omnium ad eos pertinentium pacifica possessione gaudere, sicut gaudebant ea die, qua idem Dolensis episcopus tunc electus ultimo iter ad Romanam curiam arripuit. Et si aliqua persona sæcularis vel ecclesiastica, alicui clerico Dolensis episcopi vel procuratori suo vel alii personæ ad Dolensem episcopum vel quemquam de clericis suis pertinenti molestiam vel gravamen intulerit; Dominus Arturus ita illud maleficium vindicabit, sicut si uni de clericis aliorum episcoporum Britanniæ esset illatum. Promisimus etiam pro Domino Arturo de mandato ejus, quod Dominus Bartholomæus Turonensis archiepiscopus & successores ejus omne jus metropolitani cum voluntate & assensu & defensione ipsius Arturi habebit in perpetuum tam in clerum quam in populum Dolensis diocesis: & appellationes & rationes de Dolensi episcopatu ad eum secure procedent, nec alicui recurrenti ad ipsum pro metropolitano jure inferetur molestia vel gravamen: omnibus contra hoc præsumentibus per Domini Arturi potentiam compescendis. De damnis vero illatis, unde sibi Dolensis episcopus restitutionem fieri postulabit, promisimus pro dicto Domino nostro, quod infra quadragesimam diem ab adventu suo in Britanniam, tam ipsi episcopo, quam clericis suis ad consilium duorum episcoporum & duorum Baronum Britanniæ satisfaciet. Promisimus similiter tam Dolensem episcopum, quam clericos suos habituros plenarie omnes proventus suos, & reditus, & omnes alias res suas, à die promissionis istius inantea, sive reditus illi ante justum tempus solutionis eorum recepti sint, sive adhuc recipiendi. Et si forte post hanc diem eidem episcopo Dolensi vel alicui de suis in Britannia damnum vel injuria irrogetur; Dominus Arturus id plene faciet emendari, & damna illata competenter restitui. Juravi-

mus itaque super sacrosancta evangelia procurationem prædictam nobis à Domino Arturo injunctam fuisse, & quod bona fide inducemus eum ad hæc omnia firmiter observanda. Actum fuit hoc Turonis in vigilia B. Gatiani anno gratiæ M. CC. I. Quod ut certius & firmius haberetur, litteras præsentes sigillorum etiam nostrorum appositione fecimus communiri.

A. CARDINALIS VERONENSIS EPISCOPI LITTERÆ.

Quibus testatur se interfuisse Turonis consecrationi Johannis Dolensis episcopi.

A Sola divinæ pietatis dignatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Veronensis humilis episcopus universis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint æternam in Domino salutem.

Circiter 1200.

Vestræ notum facimus caritati, quod cum à limitibus beati THOMÆ martyris Cantuariensis causa devotionis & orationis ad limina sancti Martini Turonensis, Deo dante, reditum fecerimus, venerabilis in Christo Pater noster BARTHOLOMÆUS Turonensis archiepiscopus, qui dilecti in Christo fratris nostri JOHANNIS Dolensis electi consecrationem celebrare proposuerat, ut eidem consecrationi interesse deberemus nos instanter exoravit: cujus precibus acquiescentes, eidem interfuimus consecrationi cum venerabilibus in Christo fratribus ..... Parisiensi & .... Aurelianensi episcopis, licet indigni manum nostram eidem consecrationi apponentes: & qualiter idem JOHANNES Dolensis episcopus obedientiæ, subjectionis & reverentiæ professionem dictæ ecclesiæ Turonensi & memorato D. BARTHOLOMÆO Turonensi archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis, coram ingenti clericorum & laicorum multitudine, manibus super altare positis, fecerit, nos vidisse pariter & audisse protestamur.

S. VVILLELMI BRIOCENSIS EPISCOPI LITTERÆ,

Quibus testatur se non ut episcopum, sed ut canonicum interfuisse electioni Turonensis archiepiscopi.

An. 1228. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis VV. Dei miseratione Briocensis episcopus, salutem in Domino. Noverint universi quod vacante ecclesia Turonensi pastore, & die assignata ad tractandum & eligendum, interfuimus in capitulo Turonensi, ad tractandum & eligendum admissi, non tamquam episcopus, sed tamquam simplex canonicus ejusdem ecclesiæ Turonensis: & ne ex tali receptione aliquod præjudicium possit in posterum ecclesiæ Turonensi generari, præsentes litteras conscribi fecimus & sigilli nostri munimine roborari. Datum anno gratiæ M. CC. XXVIII.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA Ad Juhellum archiepiscopum Turonensem.

Clementem archidiaconum postulat sibi in episcopum consecrari.

An. 1231. REVERENDO in Christo Patri ac Domino JUHELLO, Dei gratia venerabili archiepiscopo Turonensi, ac Dominis & amicis in Christo carissimis, Capitulo ejusdem ecclesiæ, commune Capitulum Dolensis ecclesiæ, salutem reverentiam & honorem.

Cum post obitum JOHANNIS bonæ memoriæ quondam episcopi nostri, Dolensis ecclesia pastore vacaret: Nos præsentibus omnibus qui debebant & poterant interesse loco debito convenientes in unum, virum venerabilem & discretum magistrum CLEMENTEM archidiaconum & canonicum nostrum unanimiter duximus

postulandum. Ad cujus postulationem faciendam à Vobis dilectos nostros O. cantorem, Philippum archidiaconum, Jo. Thesaurarium & magistrum Gaufridum canonicos Dolenses procuratores nostros constituimus: eos ad vos mittentes, & per eos vos rogantes, ac modis omnibus supplicantes, quatenus compatientes Dolensi ecclesiæ viduatæ, eum nobis velitis concedere in pastorem. Datum anno Domini M. CC. XXXI. die Martis post festum S. Luciæ.

VV. ARCHIDIACONI
Ad Juhellum archiepiscopum Turonensem.

Excusat se quod nequeat indicto interesse concilio.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino JUHELLO, Dei gratia archiepiscopo, VV. archidiaconus Penteur. Briocensis diocesis, salutem cum omni reverentia & honore.

Cum à vobis vocati ad concilium die Martis post festum omnium Sanctorum apud Cenomanos celebrandum, Domino coneedente, iter nostrum arripuissemus; in via nimio corporis dolore vexati, non potuimus illuc commode proficisci: Placeat igitur vestræ Paternitati nostram absentiam excusatam habere. Ratum enim & gratum habebimus quicquid dictis die & loco à vobis ad honorem Dei & Ecclesiæ, sacro approbante concilio, fuerit definitum. Bene & diu valeat Paternitas Vestra.

JUHELLI ARCHIEPISCOPI TURONENSIS.

De providendo pastore ecclesiæ Briocensi.

An. 1234.

JUHELLUS Dei gratia Turonensis archiepiscopus omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino.

Noverint universi quod cum ecclesia Briocensis pastore vacaret, & post multos tractatus de substituendo pastore

venerabilem virum NICOLAUM magistrum Scholarum Briocensium capitulum illius ecclesiæ elegisset; & Nos examinatis forma & processu electionis, reperissemus ipsum capitulum in eodem negotio in aliquibus peccavisse, propter quod ad nos videbatur ipsius ecclesiæ provisio devoluta; tandem idem magister scholarum de consensu & voluntate concanonicorum suorum, videlicet magistri VVillelmi archidiaconi Pentheuriæ, ... cantoris, Alani decani, magistri VVillelmi de Alta Villa, & magistri Petri canonicorum Briocensium, in manu nostra juri quod habere super hoc videbatur spontanee resignavit; & tam idem magister scholarum, quam alii prænominati canonici à nobis humiliter petiverunt & voluerunt, ut de pastore idoneo provideremus ecclesiæ Briocensi. His interfuerunt venerabilis frater Ph. Aurelianensis episcopus & venerabilis frater G. Cenomanensis episcopus, qui in hujus rei testimonium præsentibus litteris sigilla sua apponenda duxerunt. Actum apud Candatum in crastino S. Briccii anno gratiæ M. CC. XXXIV.

Philippus. Gaufridus I.

ALANI THESAURARII VENETENSIS ET BRIOCENSIS CANONICI.

Ad Juhellum archiepiscopum Turonensem.

De providendo pastore ecclesiæ Briocensi.

An. 1234.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino suo speciali JUHELLO, Dei gratia venerabili Turonensi archiepiscopo, ALANUS Thesaurarius Venetensis, Briocensis canonicus, salutem & obedientiam Patri ac Domino debitam & devotam.

Diu est quod nobis constat capitulum Briocense in sua electione deliquisse; ac per hoc ad nos, qui in nullo peccavimus, ipsam electionem devolutam. Per vestras etiam litteras intellexi, ipsos iterum circa ipsam electionem in

pluribus

pluribus peccavisse; ac per hoc & etiam per lapsum temporis ad vos provisionem ipsius ecclesiæ devolutam. Quid autem sit juris de hoc, vestra discretio, si discutiat, non ignorat. Verum tamen multum liberaliter mihi placet, quod illi miseræ ecclesiæ per vos de pastore idoneo consulatur, prout secundum Deum videritis expedire: & vobis totum committo, quicquid juris habeo in hac parte. Absit enim quod ego debeam vestræ contradicere voluntati. Bene & diu valeat paternitas vestra in Domino.

THEOBALDI ARCHIDIACONI GOELOIÆ EPISTOLA.

Ad Juhellum archiepiscopum Turonensem.

De electione episcopi Briocensis.

REVERENDO Patri ac Domino JUHELLO Dei gratia Turonensi archiepiscopo magister Theobaldus archidiaconus Goeloiæ salutem & reverentiam, tamquam Patri ac Domino debitam & devotam.

An. 1234.

Cum secundum quod processum est de pastore eligendo in Capitulo Briocensi, ad nos sit electio devoluta de jure, prout nobis responderunt multi jurisperiti à nobis consulti super eodem negotio; & nos magistrum ALANUM nostrum concanonicum in pastorem ecclesiæ Briocensis diu est (quod) elegerimus, tamquam virum vita & scientia commendabilem & probatum. Paternitati vestræ, de qua plene confidimus, supplicamus; ut sicut jus nostrum illæsum servare tenemini, eumdem magistrum recipiat vestra clementia confirmandum, ne quod absit infirmitati nostræ videatur vestra discretio in hoc præjudicium generare. Verum tamen ordinet Vestra Paternitas super hoc secundum Deum quod viderit ordinandum. Datum Parisius anno Domini M. CC. XXXIV.

ANDREÆ EPISCOPI BRIOCENSIS EPISTOLA Ad Petrum archiepiſcopum Turonenſem.

Excuſat ſe quod nequeat intereſſe conſecrationi Venetenſis & Trecorenſis epiſcoporum.

An. 1255. REVERENDO Patri ac Domino P. Dei gratia Turonenſi archiepiſcopo, A. permiſſione ejuſdem Chriſti famulus in eccleſia Briocenſi, ſalutem & obedientiam tam debitam quam devotam.

Utilitati publicæ, ſicut firmiter æſtimamus, & inevitabili negotio præpediti, conſecrationi virorum Venerabilium electorum Venetenſis ac Trecorenſis Turonis Domino concedente faciendæ à vobis die ſtatuta non poſſumus intereſſe: Supplicantes humiliter quatinus iſtam excuſationem noſtram paternitati veſtræ placeat acceptare. Datum anno Domini M. CC. LV.

OFFICIALIS BRIOCENSIS EPISTOLA Ad Vincentium archiepiſcopum Turonenſem.

Excuſat Simonem epiſcopum quod nequeat intereſſe conſecrationi electi Namnetenſis.

An. 1263. REVERENDISSIMO Patri ac Domino VINCENTIO, Dei gratia archiepiſcopo Turonenſi, Officialis Briocenſis ſuus devotus clericus ſalutem & obedientiam debitam tamquam Patri ac Domino cum omni ſubjectione, reverentia, & honore.

Reverendæ Paternitati Veſtræ facimus eſſe notum, quod Venerabilis Pater SIMON Dei gratia Briocenſis epiſcopus eſt peregre profectus, neceſſitate ſuæ eccleſiæ Briocenſis exiſtente: Paternitatem Veſtram attentius exorantes, quatinus ipſius abſentiam probabilem in hac ſacra unctione futuri pontificis Namnetenſis habeatis veſtra gratia excuſa-

tam. Datum in magno sigillo curiæ Briocensis, die Lunæ ante Cathedram S. Petri, anno Domini M. CC. LXIII. Valeat dominatio vestra per tempora longiora in Domino Jesu Christo.

OFFICIALIS BRIOCENSIS EPISTOLA
Ad Vincentium Turonensem archiepiscopum.

Excusat Simonem episcopum quod nequeat interesse consecrationi electi Macloviensis.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino VINCENTIO, Dei gratia Turonensi archiepiscopo, Officialis Briocensis salutem & ut Patri ac Domino obedientiam debitam ac devotam. An. 1264.

Noverit Vestra Reverenda Paternitas, quod SIMON permissione divina Briocensis episcopus, causa peregrinationis est absens, nec poterit ipsum apprehendere citatio vestra de comparendo Turonis Dominica in festo Apostolorum Petri & Pauli ad munus consecrationis electo Macloviensi à vobis impendendum. Unde Paternitatem Vestram attentius exoro, ut ipsum hac vice vestri gratia quoad hoc habere dignemini excusatum in Domino. Valeat Vestra Paternitas per tempora longiora. Datum in sigillo curiæ Briocensis die Lunæ in vigilia B. Johannis Baptistæ anno Domini M. CC. LXIV.

STEPHANI DOLENSIS EPISCOPI EPISTOLA
Ad Vincentium archiepiscopum Turonensem.

Excusat se quod nequeat interesse Turonis consecrationi Macloviensis episcopi.

REVERENDO Patri ac Domino VINCENTIO, Dei gratia Turonensi archiepiscopo, STEPHANUS divina permissione Dolensis ecclesiæ minister humilis salu- An. 1264.

tem; reverentiam Patri ac Domino debitam & devotam: Cum nos proprii corporis infirmitate detenti, & maxime pluribus negotiis ecclesiæ nostræ inevitabilibus impediti, hac die Dominica in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli, una vobiscum & aliis suffraganeis vestris, ad consecrationem Venerabilis viri S. Dei gratia Macloviensis electi apud Turonos non possimus personaliter interesse: Paternitatem vestram dignum duximus exorandam, quatinus hac vice absentiam nostram habeatis vestri gratia excusatam. Ratum enim habemus & gratum quicquid vos & suffraganei vestri super consecratione prædicta dictis die & loco duxeritis faciendum. Bene & diu valeat Paternitas Vestra. Datum in festo B. Johannis Baptistæ, anno Domini M. CC. LXIV.

DOLENSIS CAPITULI.
Ad Vincentium archiepisc. Turonensem.

Significat mortem Stephani Dolensis episcopi.

An. 1265. REVERENDO in Christo Patri ac Domino, VINCENTIO Dei gratia Turonensi archiepiscopo, humile Capitulum Dolensis ecclesiæ salutem cum reverentia debita & devota.

Bonæ memoriæ STEPHANO quondam Dolensi episcopo nuper viam universæ carnis ingresso, per cujus mortem eadem Dolensis ecclesia vacat pastoris regimine; in præsenti dilectos concanonicos nostros viros providos & honestos Johannem Brusle decanum Dolensem, & Thomam de Comburnio procuratores nostros constituimus unumquemque eorum in solidum ad denunciandum vobis mortem prædicti episcopi, cui animæ propitietur Deus; & ad petendum loco nostri licentiam à vobis eligendi seu providendi ecclesiæ nostræ Dolensi de alio in episcopum & pastorem. Datum Dolis die Sabbati post festum S. Catarinæ Virginis, anno Domini M. CC. LXV.

CAPITULI DOLENSIS EPISTOLA Ad Vincentium archiepiscopum Turonensem.

De electione Johannis Mahé in episcopum Dolensem, quam petit confirmari.

REVERENDO Patri ac Domino VINCENTIO, Dei gratia Turonensi archiepiscopo, humile Capitulum Dolensis ecclesiæ salutem cum omni reverentia Patri ac Domino debita & devota.

An. 1265.

Cum ecclesia Dolensis, post mortem bonæ memoriæ O. quondam episcopi nostri, pastoris esset solatio destituta; die Lunæ post Circumcisionem Domini, anno gratiæ M. CC. LXV. assignata à Capitulo ad eligendum & providendum dictæ ecclesiæ de pastore, vocatis omnibus evocandis, & præsentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode interesse, & in ipsa ecclesia congregatis, Spiritus Sancti gratia, prout moris est, primitus invocata; placuit nobis omnibus & singulis per viam compromissi de pastore nostræ ecclesiæ providere, & sic de communi voluntate omnium & singulorum plenam ac liberam potestatem nominandi, eligendi, & providendi nobis & nostræ ecclesiæ de pastore concessimus & commisimus viris Venerabilibus & fide dignis concanonicis nostris, Magistris Johanni Thesaurario, G. Scholastico, Y. archidiacono Venetensi, & J. decano Dolensi, ut vice omnium nobis & ecclesiæ nostræ de pastore providerent, & quod eorum duraret potestas, usque ad certæ candelæ consumtionem sibi traditæ & accensæ. Fuit etiam expresse dictum & actum, quod nisi omnes prædicti in unam personam unanimiter concordarent; quod ab ipsis diceretur & fieret, haberetur penitus pro infecto. Qui secedentes in partem, habito diligenti tractatu inter se, prout apparuit per effectum, in Venerabilem virum, providum & discretum scientiæ eminentis, in spiritalibus & temporalibus circumspectum, magistrum JOHANNEM MAHE archidiaconum transli-

Oliverii.

geranum in ecclesia Turonensi, concanonicum nostrum, unanimiter consenserunt. Quibus ad nos reversis, ante prædictæ consumtionem candelæ, prædictus G. Scholasticus de consensu & mandato omnium coelectorum suorum præsentium, vice sua & totius Capituli, & eorumdem auctoritate & potestate à nobis eis collata, nominavit & elegit dictum Johannem *Mahe* in ecclesiæ Dolensis episcopum & pastorem, & vice omnium nobis de eodem & ecclesiæ nostræ providit; quam electionem & provisionem nos omnes unanimiter, & singulariter, & sine contradictione aliqua duximus acceptandam. Dictus vero Johannes archidiaconus ad nostram supplicationem & multam instantiam electioni & provisioni de se factæ non sine magna difficultate consensit. Ad majorem autem ejus rei firmitatem & certitudinem, nos R. archidiaconus, J. Thesaurarius, G. Scholasticus Dolensis, Robertus dictus Laguillier, Y. archidiaconus Venetensis, J. Brusse decanus Dolensis, H. dictus Capo, Andreas Salomon, P. de Veneto, T. de Tusca, H. de Barra, Radulfus Gormalon, & R. de Perca canonici Dolensis ecclesiæ, præsentibus omnibus interfuimus, consensimus, & præsentem cartam singulis sigillis nostris, ac etiam sigillo capituli Dolensis fecimus communiri. Paternitatem Vestram igitur cum devota reverentia rogamus ac in Domino supplicamus, quatinus electionem prædictam de persona idonea, laudabili, & honesta, vobis etiam bene nota, canonice & concorditer celebratam, auctoritate vestra dignemini confirmare. Actum hoc Dol. die Lunæ & anno prædictis.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Vincentium archiepiscopum Turonensem.

Petit ut Johannem Mahé electum confirmatum consecret episcopum.

An. 1265. REVERENDO Patri ac Domino VINCENTIO, Dei gratia Turonensi archiepiscopo, Capitulum Dolensis

ecclesiæ, salutem & reverentiam Patri & Domino debitam.

Cum vos electionem de venerabili viro Magistro JOHANNE MAHE' archidiacono Transligerano in ecclesia Turonensi, à nobis canonice celebratam duxeritis confirmandam; Paternitati Vestræ per præsentes litteras humiliter supplicamus, quatinus eidem electo munus consecrationis velitis vestri gratia impertiri. Ad hoc enim petendum si opus fuerit, ex abundanti constituimus procuratores nostros quemlibet in solidum, Venerabiles nostros concanonicos nostros J. decanum Dolensem, Y. archidiaconum Venetensem, R. de Porta officialem Dolensem, & Thomam de Tusca, ceterosque Dolenses canonicos, qui die consecrationis prædictæ coram vobis præsentialiter parebunt; & hoc Paternitati vestræ significamus per præsentes litteras, sigilli nostri munimine in hujus rei testimonium sigillatas. Datam Dolis mense Januario, anno Domini M. CC. LXV.

PROFESSIO JOANNIS MAHE' EPISCOPI DOLENSIS.

EGo JOHANNES Dolensis ecclesiæ nunc consecrandus episcopus, huic sanctæ Turonensi ecclesiæ & tibi Pater VINCENTI tuisque successoribus canonice substituendis obedientiam, subjectionem, & reverentiam promitto, & super hoc sanctum altare propria manu firmo †.

SIMONIS EPISCOPI BRIOCENSIS EPISTOLA Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Excusat se quod consecrationi episcopi Venetensis non possit interesse.

REVERENDO Patri ac Domino JOHANNI Dei gratia Turonensi archiepiscopo, S. divina permissione

Circiter 1270.

Briocensis ecclesiæ minister humilis, salutem & obedientiam Patri debitam & devotam.

Paternitati vestræ notum facimus, quod nos proprii corporis infirmitate detenti, præsenti consecrationi viri venerabili & discreti electi Venetensis non possumus interesse. Et ideo Vestra Paternitas nos habeat excusatos. Nos vero prædictæ consecrationi benigne eum consensum adhibemus, quem comprovinciales condecet adhibere. Bene & diu valeat paternitas vestra.

NICOLAI PAPÆ III. EPISTOLA
Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Concedit ei collationem unius præbendæ in Redonensi & Dolensi ecclesiis.

An. 1270. NICOLAUS episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri JOHANNI archiepiscopo Turonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Volentes tuam honorare personam, & per honorem tibi exhibitum aliis providere in Turonensi (ecclesia), in qua præbendarum collatio ad te pertinere dicitur; unam & in Redonensi & Dolensi ecclesiis cathedralibus tuæ provinciæ, videlicet in earum singulis singulas personas idoneas nulla ecclesiastica beneficia obtinentes, & quibus canonicum aliquod impedimentum non obsistat; dum tamen illorum, ad quos eisdem Redonensi & Dolensi ecclesiis spectat similiter collatio præbendarum, consensus accedat, & infra annum utaris hujusmodi facultate, faciendi recipi in canonicos & in fratres, & providendi ipsarum singulis de singulis præbendis cum vacaverint, ac contradictores per censuram ecclesiasticam omni appellatione postposita compescendi, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Non obstante si in eisdem ecclesiis S.... habetur de certo canonicorum numero juramento confirmatione Sedis apostolicæ vel quacumque alia firmitate vallato. Datum Sur..... Idibus Julii Pontificatus nostri anno.

PETRI

PETRI ARCHIDIACONI TRANSLIGERANI IN ECCLESIA ANDEGAVENSI

Ad Vicarios electi Turonensis.

Ut confirment electionem factam de Petro in episcopum Briocensem.

VIRIS venerabilibus & discretis Dominis P. archidiacono Turonensi, O. archidiacono Rusinensi in ecclesia Turonensi & G. dicto Infanti archipresbytero Turonensi, Vicariis venerabilis viri Domini electi Turonensis Petrus archidiaconus Transligeranus in ecclesia Andegavensi, salutem & dilectionem sempiternam. An. 1271.

Dominationes vestras, de quibus plenam in Domino fiduciam obtinemus, requirimus & rogamus affectu quo possumus ampliori, quatinus electionem factam de viro venerabili & discreto magistro PETRO DE VENETO in episcopum ecclesiæ Briocensis, cui electioni specialiter consentimus, & quam ratam & gratam habemus, renunciato à nobis juri, si quod nobis spectabat ex electione de nobis factæ in dicta ecclesia de consensu & voluntate electorum nostrorum sine difficultate & dilatione qualibet, vestri gratia confirmare dignemini & velitis. Valeat bene & diu in Domino Jesu Christo Paternitas vestra. Datum die Mercurii in festo B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini M. CC. LXXI.

ALANI TRECORENSIS EPISCOPI EPISTOLA Ad Vicarios Turonensis electi.

Excusat se quod nequeat interesse consecrationi Petri Briocensis episcopi.

VIRIS venerabilibus & discretis P. Turonensi archidiacono O. Transmanensi, G. archipresbytero, & An. 1271.

.... canonico S. Martini Turonensis Vicariis venerabilis viri. J. Turonensis ecclesiæ electi cum concordia, ALANUS divina permissione Trecorensis episcopus, salutem in beatæ Virginis Filio.

Quoniam infirmitate proprii corporis detenti, hac instanti die Dominica post annum novum Turonis personaliter interesse non possumus consecrationi venerabilis viri magistri PETRI, electi confirmati ecclesiæ Briocensis, nostrum ministerium impensaturi; vos rogamus quatinus absentiam nostram hac vice habeatis excusatam. Datum die Mercurii ante Natale Domini anno Domini M. CC. LXXI.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Significat mortem Johannis Mahé Dolensis episcopi.

An. 1280. REVERENDO Patri ac Domino J. Dei gratia archiepiscopo Turonensi humile Capitulum Dolense salutem cum omni reverentia & honore.

Rem dolendam nobis, & Dolensi ecclesiæ lamentandam singultuosis suspiriis, mortem videlicet bonæ memoriæ JOHANNIS MAHE', quondam dictæ ecclesiæ episcopi, per dilectos nostros concanonicos magistros Petrum de Veneto & Julianum dictum *Bourdin*; quos propter hoc ad vos specialiter destinamus: Paternitati vestræ tam per ipsos, quam per tenorem præsentium nunciamus. Valeat vestra Paternitas reverenda per tempora longiora. Datum die sabbati post Dominicam qua cantatur *Jubilate*, anno Domini M. CC. LXXX.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Petit facultatem eligendi episcopi.

REVERENDO in Christo Patri J. Dei gratia Turonensi archiepiscopo humile Capitulum Dolensis ecclesiæ, salutem cum reverentia & honore. An. 1280.

Ad petendum à vobis licentiam eligendi seu providendi Dolensi ecclesiæ, de Pastore per mortem bonæ memoriæ JOHANNIS MAHE' quondam Dolensis episcopi viduatæ, dilectos nostros Guillelmum Thesaurarium, Petrum de Veneto, & Petrum dictum Monachum, concanonicos nostros nomine nostro & Dolensis ecclesiæ, & quemlibet eorum in solidum procuratores nostros constituimus: ratum & gratum habentes & habituri quicquid per dictos procuratores, vel alterum eorumdem factum fuerit in præmissis. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo Capituli nostri duximus sigillandas. Diu valeat Paternitas Vestra. Datum die Martis post Nativitatem B. Johannis Baptistæ, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Significat electionem Theobaldi de Ponceio in episcopum Dolensem.

REVERENDO Patri ac Domino J. Dei gratia Turonensi archiepiscopo ..... humile Capitulum Dolensis ecclesiæ, salutem cum omni reverentia Patri ac Domino debita & devota. An. 1280.

Vacante nostra Dolensi ecclesia par mortem recolendæ memoriæ JOHANNIS, quondam episcopi ejusdem ecclesiæ, ipsiusque corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ; canonici ejusdem ecclesiæ, qui tunc erant in ipsa ecclesia residen-

tes concorditer & communiter, diem Martis ante festum B. Margaritæ universis præfixerunt, & assignarunt ad tractandum de electione futuri pontificis. Et ad providendum dictæ viduatæ ecclesiæ de pastore. Vocatisque omnibus ad dictam diem, qui ad hoc erant vocandi, & præsentibus omnibus qui debebant, volebant, & poterant commode interesse, nos in choro nostræ ecclesiæ congregati, invocata primitus, ut moris est, Sancti Spiritus gratia, moræ dispendium, quæ periculosa est in talibus & damnosa, vitare pro viribus affectantes, in Venerabilem virum & discretum Dominum THEOBALDUM DE PONCEIO decanum Bajocensem & concanonicum nostrum, vita & moribus & scientia eruditum, & quem regimini nostræ ecclesiæ credimus quamplurimum fructuosum, scientem & valentem Dolensem ecclesiam & jura ipsius defendere & tueri, per inspirationem divinam communiter & concorditer consensimus; & venerabilis vir. Radulfus cantor, cui super hoc commisimus vices nostras, ipsum T. vice sua ac omnium & cujuslibet nostrum præsentium & consentientium nominavit & elegit in episcopum Dolensis ecclesiæ & pastorem. Quam electionem publicatam in nostro capitulo, postmodum coram clero & populo, qui præsentes aderant, fecimus solemniter publicari. Ad majorem autem hujus rei certitudinem & firmitatem Nos R. cantor, G. Thesaurarius, & O. Scholasticus Dolensis, J. archidiaconus Venetensis, Petrus de Veneto, Petrus dictus Medicus, Petrus de Marisco, Rad. *le Goux*, Rad, dictus Infans, Julianus *Bourdin*, Rolandus *Costart*, & Nicolaus dictus Vicecomes, canonici Dolensis ecclesiæ, præsentibus omnibus interfuimus, consensimus, & præsentem cartam sigillis nostris ac etiam sigillo Capituli Dolensis fecimus communiri. Paternitatem vestram igitur cum devota reverentia requirimus in Domino, & rogamus, quatenus electionem prædictam de persona idonea, laudabili, & honesta, canonice & concorditer celebratam auctoritate metropolitana ex benignitate consueta dignemini confirmare, & ad petendam à vobis confirmationem prædictam, & ad omnia & singula facienda, quæ circa petitionem dictæ confirmationis requiruntur, dilectos con-

canonicos nostros magistrum Petrum de Veneto, Rad. dictum Infantem, & Radulfum *Legoux*, & eorum quemlibet in solidum procuratores nostros constituimus & ... Ratum & gratum habentes & habituri quicquid per ipsos & eorum quemlibet factum seu procuratum fuerit in præmissis. Valeat bene & diu in Domino vestra paternitas reverenda. Datum & actum Dolis die Martis prædicta anno Domini.M. CC. LXXX.

THEOBALDI DE PONCEYO DOLENSIS ELECTI EPISTOLA.

Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Monet eum de suo ad Romanam curiam itinere, & petit ab eo consecrationis munus.

An. 1280.

REVERENDO Patri in Christo ac Domino J. Dei gratia venerabili Turonensi archiepiscopo THEOBALDUS de Ponceyo electus & confirmatus Dolensis, salutem & tamquam Patri ac Domino reverentiam debitam cum honore.

Ad Romanam vocati curiam personaliter coram Summo Pontifice ad certam diem & brevem super quibusdam nobis falso impositis per episcopum Briocensem: ad eamdem curiam tanta ducti necessitate direximus gressus nostros, nostram innocentiam in præsentia Summi Pontificis ratione prævia purgaturi. Verum quia dum essemus in itinere, fortuna ambulante passibus ambiguis & incertis; cum tot casus rebus incidant mortalibus, qui nec dici nec nunciari possunt; intelliximus ex multorum fide dignorum & de curia prædicta venientium relatione, & etiam prælatorum & religiosorum quorumdam, qui super his se recepisse litteras & certos nuncios asserebant, & etiam fama communi ac publica, videlicet super obitu Sanctissimi Patris quondam Domini NICOLAI Summi Pontificis; de quo

non modicum contristamur. Considerantes nos esse Dolensi ecclesiæ alligatos, & quanta pericula ex pastoris absentia seu carentia frequenter occurrunt ecclesiis viduatis; penes nos habito etiam prudentium consilio, deliberamus ad vestram Reverendam Paternitatem certum nuncium destinare, cujus amminiculo & per præsentes litteras munus consecrationis nobis per vos impendendum cum instantia peterem. Vestram dominationem requirentes, quatenus nobis per vestras patentes litteras significare velitis, ubi, & quando coram vobis comparebimus, munus consecrationis nostræ per vos canonice recepturi; quod instanter & humiliter à vestra Reverenda Paternitate petimus, & eidem muneri recipiendo nos offerimus, ut jus dictat, ad vestram præsentiam nihilominus destinantes dilectum capellanum nostrum Dominum Guillelmum, rectorem ecclesiæ de Sarnaco Remensis diocesis, latorem præsentium; quem nostrum procuratorem constituimus & nuncium specialem, ad petendum à vobis nomine nostro munus consecrationis prædictæ, & ad requirendum vos, & supplicandum vobis, quatenus nos per vestras patentes litteras certificare velitis, ubi, & quando, seu ad quem diem nobis dictum consecrationis munus dignum duxeritis impendendum. Dantes eidem procuratori seu nuncio liberam potestatem & speciale mandatum præmissa faciendi, requirendi, petendi à vobis & supplicandi nomine nostro nec non etiam eorum, quæ circa præmissa sunt accessoria vel sequela.... In cujus rei testimonium præsentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Voluntatem vestram nobis si placeat super his & aliis rescribentes: quia parati sumus pro viribus adimplere. Datum apud Paredum Moniale anno Domini M. CC. LXXX. Die Veneris post Exaltationem S. Crucis.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Petit consecrationem Theobaldi electi Dolensis.

An. 1280.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino J. Dei gratia Turonensi archiepiscopo humile Capitulum Dolense, salutem & reverentiam tamquam Patri ac Domino debitam & devotam.

Noverit vestra Reverenda Paternitas, quod nos dilectos nostros concanonicos magistros Radulfum dictum Infantem, & Matthæum de Espigneio, procuratores nostros ordinavimus, & constituimus, & quemlibet ipsorum in solidum ad supplicandum & petendum à vobis, quod viro venerabili & discreto Domino THEOBALDO DE PONCEIO electo à nobis post petitam à vobis eligendi licentiam & obtentam, à Paternitate Vestra postmodum confirmato, à vobis munus consecrationis canonice impendatur, & ad omnia & singula alia facienda, quæ circa consecrationem hujusmodi, quantum ad nos attinet, sunt agenda. Dantes eisdem, & eorum cuilibet, potestatem & mandatum speciale præstandi in animam nostram cujuslibet generis sacramentum, quod super præmissis aut ratione præmissorum expostulat ordo juris. Ratum & gratum habentes & habituri quicquid per dictos procuratores aut eorum alterum in præmissis actum fuerit seu etiam procuratum. Et hæc Reverendæ Paternitati vestræ, & omnibus, quorum interest seu interesse potest, significamus per præsentes litteras sigillo nostro sigillatas. Datum Dolis anno Domini M. CC. LXXX. die Jovis ante festum B. Lucæ Evangelistæ.

THEOBALDI DOLENSIS EPISCOPI EPISTOLA. Ad Johannem archiepiscopum Turonensem.

Excusat se quod nequeat interesse consecrationi Eveni electi Corisopitensis.

An. 1283. REVERENDO Patri in Domino J. Dei gratia Turonensi archiepiscopo TH, eadem gratia Dolensis episcopus, salutem cum reverentia & honore.

Cum vos ad instantem diem Dominicam post festum B. Clementis nos una cum aliis suffraganeis Turonensis provinciæ feceritis evocari in consecratione venerabilis viri & discreti magistri EVENI DE FORESTA, ecclesiæ Corisopitensis electi, & confirmati; & nos ante evocationem vestram pro quibusdam regni Franciæ arduis negotiis à Domino rege Franciæ fuerimus evocati, & adhuc necesse habeamus eidem Domino regi assistere pro eisdem; & idcirco dicta die consecrationi prædictæ non possimus personaliter interesse, Paternitatem vestram requirimus & rogamus, quatinus nostram absentiam habeatis hac vice vestri gratia excusatam. Valeat & vigeat vestra Paternitas per tempora longiora. Datum die Mercurii post dictum festum B. Clementis prædicti apud Argent. in Bitur. anno Domini M. CC. LXXXIII.

THEOBALDI EPISCOPI DOLENSIS EPISTOLA. Ad Capitulum ecclesiæ Turonensis.

Excusat se quod nequeat interesse consecrationi Alani Moreli electi Corisopitensis.

An. 1290. MAGNÆ circumspectionis viris venerabilibus & discretis Decano & Capitulo Turonensi TH. divina permissione Dolensis episcopus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Cum

Cum ad hanc diem Dominicam ante Purificationem B. Mariæ Virginis pro consecratione venerabilis viri dilecti & specialis amici nostri magistri Alani, dicti Morel, electi confirmati Corisopitensis, quæ, Sede Turonensi vacante, Turonis imminet facienda, pluribus & arduis nostris & ecclesiæ nostræ negotiis impediti, in quibus requiritur nostra præsentia, non possimus inibi interesse: discretionem vestram requirimus & rogamus, quatinus hac vice velitis habere nostram absentiam excusatam. Valete bene & diu in Domino Jesu Christo. Datum Dolis die Veneris ante festum SS. Fabiani & Sebastiani anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

TRECORENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Reginaldum archiepiscopum Turonensem.

Petit confirmationem & consecrationem Gaufridi Tornemine electi Trecorensis.

An. 1296.

Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino Reginaldo, divina providentia archiepiscopo Turonensi, seu ejus Vicariis, si eum abesse contigerit, Theobaldus Cantor & Capitulum Trecorense cum humili recommendatione, se ipsos paratos ad beneplacita & mandata cum subjectione, reverentia, & honore.

Noveritis quod nos dilectos concanonicos nostros, venerabiles viros, & discretos Mauritium archidiaconum de Pago Castelli in ecclesia Trecorensi, Gaufridum dictum *Penner*, Sacristam ecclesiæ Trecorensis prædictæ, & magistrum Gaufridum de Alta Fago, canonicum Briocensem, exhibitores præsentium constituimus & facimus procuratores nostros, & nuncios speciales quemlibet eorum in solidum: ita quod non sit melior conditio occupantis; sed quod unus incœperit, alter perficere valeat, ad petendum à vobis seu à Commissariis à vobis deputandis suppliciter & devote confirmationem electionis à nobis concorditer & canonice celebratæ, de persona idonea videlicet de Do-

mino GAUFRIDO TORNEMINE concanonico nostro, & ad præsentandum vobis decretum super dicta electione, & processu habito in eadem confectum, & ad petendum etiam munus consecrationis eidem impendi, & ad faciendum omnia quæ præmissa contingunt, & contingere possunt, vel occurrere facienda. Dantes eisdem procuratoribus & cuilibet eorum plenam & liberam potestatem agendi super prædictis & defendendi, si opus fuerit, præstandi in animas nostras cujuslibet generis sacramentum, & eludendi per idem juramentum alium vel alios procuratores loco suo substituendi, quandocumque opus fuerit, & sibi vel eorum alteri videbitur expedire, & ad omnia alia & singula facienda, quæ facere possemus si præsentes essemus: promittentes vobis & omnibus quorum interest, vel interesse potest, nos ratum & gratum habituros quicquid per dictos procuratores vel eorum alterum, vel substituendum ab ipsis, vel eorum altero actum fuerit in præmissis, & ea tangentibus, vel etiam procuratum: & nihilominus pro ipsis procuratoribus & eorum quolibet & substituendo ab ipsis vel eorum altero, si opus fuerit, sub rerum nostrarum judicatum solvi. In cujus rei testimonium præsentes litteras fecimus sigilli nostri Capituli impressione muniri. Datum die Jovis post festum B. Marci evangelistæ, anno Domini M. CC. XCVI.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA
Ad Reginaldum archiepiscopum Turonensem.

Significat mortem Theobaldi episcopi Dolensis.

An. 1301. REVERENDO in Christo Patri ac Domino Domino RAG. Dei gratia archiepiscopo Turonensi sui devoti humile Capitulum Dolense, salutem cum omni reverentia & honore.

Noverit vestra Paternitas Reverenda, quod nos dilectos ac fideles nostros magistros Rolandum archidiaconum, & Nicolaum Vicecomitis, concanonicos nostros Dolenses

fecimus, constituimus, & ordinamus procuratores nostros, ad denuntiandum vobis lamentabilem obitum felicis recordationis THEOBALDI, quondam episcopi ecclesiæ Dolensis, & ad petendum à Paternitate vestra licentiam futurum Episcopum eligendi. Quod vobis & omnibus quorum interest significamus per præsentes litteras sigillo nostri Capituli sigillatas. Datum die Lunæ post festum B. Michaelis in monte Gargano anno Domini millesimo trecentesimo primo.

INSTRUMENTUM NOTARII DE FACTA PETITIONE ELIGENDI EPISCOPI DOLENSIS.

An. 1301.

IN nomine Domini. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo primo, undecimo die Mensis Octobris intrantis, Indictione xv. Pontificatus Domini BONIFACII papæ VIII. anno septimo, in mei Notarii & testium subscriptorum ad hoc vocatorum & specialiter rogatorum præsentia, constituti venerabiles & discreti viri magistri R. archidiaconus & N. Vicecomitis canonicus Dolensis, procuratores venerabilium virorum Capituli Dolensis specialiter destinati cum litteris ad denunciandum Domino archiepiscopo Turonensi mortem felicis recordationis Domini TH. nuper Dolensis episcopi, & ad petendam licentiam ab eodem archiepiscopo futurum episcopum eligendi, mortem dicti Domini episcopi eidem archiepiscopo denunciaverunt, & licentiam episcopum eligendi petierunt. Datum & actum apud Sacegum manerium dicti archiepiscopi, die, indictione, & annis prædictis, præsentibus ad hoc venerabilibus & discretis viris magistris Stephano *de Bourgueil* archidiacono transligerano, Petro de Luppigniaco canonico Turonensi, Johanne de Luppiniaco canonico Ambasiæ, Johanne *de Comper* capellano in ecclesia Turonensi, testibus vocatis & rogatis.

Et ego Juliotus Guiberti clericus Dolensis sacri Romani imperii auctoritate publicus & curiæ Dolensis Juratus Notarius præmissis interfui, rogatus scribere scripsi; & in hanc publicam formam redegi, meoque signo signavi.

DOLENSIS CAPITULI EPISTOLA Ad Vicarios R. Turonensis archiepiscopi.

Significat mortem Theobaldi episcopi & petit facultatem alterius eligendi.

An. 1311. VIRIS venerabilibus & discretis Vicariis Reverendi in Christo Patris ac Domini Domini R. Dei gratia archiepiscopi Turonensis in remotis, ut dicitur; nunc agentis, humile Dolense Capitulum, salutem in Christo cum augmento gratiæ & honoris.

Dolentes & cum gravi cordis amaritudine discretioni vestræ notificamus & insinuamus, quod bonæ memoriæ THEOBALDUS nuper episcopus noster Dolensis in suo manerio de Ulmis Dolensis diocesis, die Veneris post festum B. Hilarii parum ante mediam noctem diem clausit extremum; quodque die Dominica sequenti corpus ejus fuit reverenter traditum in Dolensi ecclesia ecclesiasticæ sepulturæ: unde nos ad electionem futuri Dolensis episcopi intendimus procedere, annuente Domino, secundum canonicas sanctiones. Ad hoc autem vobis insinuandum & notificandum nostros facimus & constituimus procuratores, viros venerabiles & discretos, magistrum Radulfum de Villariis archidiaconum, & Petrum *de Talenhoct*, nostros concanonicos Dolenses; & eorum quemlibet in solidum; ita quod non sit melior conditio occupantis; & ad petendum licentiam à vobis super [illegible]c nobis dari, & ad omnia alia & singula facienda & procuranda, quæ circa præmissa & tangentia necessaria fuerint, seu etiam oportuna, etiamsi mandatum exigant speciale: Ratum & gratum habentes & habituri quicquid per ipsos, & eorum quemlibet in solidum, nostro nomine actum fuerit in præmissis. Datum die Lunæ post festum B. Hilarii anno Domini M. CCC. XI.

JOHANNIS DOLENSIS EPISCOPI EPISTOLA Ad Capitulum ecclesiæ Turonensis.

Excusat se quod nequeat interesse consecrationi Guidonis Briocensis electi.

An. 1335.

VIRIS venerabilibus & discretis Decano & Capitulo ecclesiæ Turonensis, archiepiscopali sede vacante, JOHANNES permissione divina episcopus Dolensis, salutem in Christo.

Vobis tenore præsentium intimamus, quod ad consecrationem & officium consecrationis Reverendi Patris Domini GUIDONIS, electi confirmati Briocensis, die Dominica post octabas Apostolorum Petri & Pauli proxime ventura, auctore Domino, solemniter celebrandæ interesse non possumus. Novit Deus cum nostri corporis debilitate quod multis nostris & ecclesiæ nostræ Dolensis arduis negotiis occupati (simus). In his tamen quæ in dicta consecratione fieri contigerit, Domino annuente, nostrum ex nunc quatenus nos tangit, & potest, ac debet tangere, præbemus assensum. Scriptum sub sigillo nostro die Jovis in dicto festo, anno Domini M. CCC. XXXV.

OFFICIALIS DOLENSIS EPISTOLA Ad Petrum archiepiscopum Turonensem.

Excusat episcopum Dolensem quod nequeat interesse consecrationi Richardi de Pira electi Trecorensis.

An. 1338.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino Domino P. divina permissione Turonensi archiepiscopo suus familiaris & clericus Officialis Dolensis, salutem cum omni reverentia & recommendatione solerte.

Reverendissime Pater & Domine, litteras vestras continentes quod Dominus Dolensis episcopus ad munus con-

ſecrationis canonice impendendum in veſtra eccleſia Turonenſi venerabili viro & diſcreto magiſtro RICHARDO DE PIRA electo & auctoritate veſtra confirmato, canonice in epiſcopum eccleſiæ Trecoricenſis & paſtorem, perſonaliter intereſſet, vel ſaltem propoſitum ſuper his vobis curaret intimare & conſenſum, ad diem Dominicam ante inſtans carnisprivium, per vos ad hoc ſtatutam & præfixam. In abſentia præfati Domini mei Domini Dolenſis epiſcopi, notorie in remotis tunc agentis, recepimus cum omni qua poſſumus & debemus reverentia & honore die Mercurii circa ſolis occaſum in feſto B. Hilarii in Villa Dolenſi *Memor.* Conſiderantes ex veris ſimilibus communicatur quæ vobis & aliis poſſunt eſſe notorie & aperte ad conſecrationem, diem, & locum prædictos non valeat perſonaliter intereſſe ad munus conſecrationis veſtræ prædictæ, ejus abſentia non obſtante, ſi Paternitati veſtræ placeat, nihilominus procedendum: cum hoc ſperemus firmiter ſibi hoc eſſe placitum atque gratum. Datum teſte de hoc ſigillo curiæ noſtræ Dolenſis die Mercurii prædicta, anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo octavo.

Locus corruptus.

PETRI ARCHIEPISCOPI TURONENSIS EPISTOLA.

Ad Capitulum eccleſiæ Dolenſis.

Concedit facultatem eligendi epiſcopi.

An.1340. PETRUS permiſſione divina archiepiſcopus Turonenſis, venerabilibus viris Capitulo eccleſiæ Dolenſis, noſtræ provinciæ Turonenſis, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

Cum vos nuper tum per veſtras patentes litteras, tum per venerabilem virum, magiſtrum Johannem de Sepibus, concanonicum veſtrum; procuratorem ac nuntium ſpecia-

lem, quo ad hoc ſpecialiter deputatum, prout in veſtris patentibus litteris nobis per eumdem concanonicum veſtrum ſuper hoc præſentatis, quarum tenor inferius eſt inſertus, quaſque penes nos & ex cauſa duximus retinendas, vidimus plenius contineri, mortem bonæ memoriæ JOHANNIS DE ANALGORIA, nuper epiſcopi Dolenſis, poſt ſepulturam ipſius duxeritis nunciandam, & à nobis humiliter petieritis & requiſieritis vobis dari licentiam eligendi canonice perſonam idoneam in dictæ eccleſiæ Dolenſis pontificem & paſtorem, taliter paſtore vacantis. Nos adtendentes quod diſpendioſa eſſet dictæ Dolenſi eccleſiæ ipſius diuturna vacatio, & animabus periculum poſſet afferre, ſupplicationem veſtram benigniter annuentes, prædictam à nobis petitam eligendi licentiam, & ad electionem hujuſmodi libere & canonice procedendi. Vobis per præſentes licentiam impertimur, vos affectuoſe rogantes & exhortantes in Domino, quatenus omni carnali affectione ſubmota, Deum præ oculis habentes, de tali perſona per viam canonicam dictæ eccleſiæ vacanti ſtudeatis unanimiter providere, quæ dictam eccleſiam in ſpiritualibus & temporalibus ſciat & valeat feliciter gubernare. Tenor vero dictarum veſtrarum talis eſt. Reverendo in Chriſto Patri ac Domino ſuo cariſſimo Domino P. Dei gratia archiepiſcopo Turonenſi ſui humiles & devoti Capitulum Dolenſis eccleſiæ reverentiam & devotam obedientiam in mandatis. Nuperrime die videlicet Lunæ octava menſis Maii eccleſia noſtra prædicta vacante per obitum recolendæ memoriæ Domini JOHANNIS DE ANALGORIA, nuper epiſcopi Dolenſis, quod non ſine cordis amaritudine referimus, condolentes: Noverit veſtra Reverenda Paternitas quod nos in noſtro Capitulo congregati, & Capitulum propter hoc facientes ſpecialiter & tenentes, diſcretum virum magiſtrum Johannem de Sepibus, concanonicum noſtrum, procuratorem noſtrum & ſpecialem nuncium facimus, conſtituimus, & etiam ordinamus ad comparendum nomine noſtro & pro nobis coram Reverenda paternitate veſtra; & eidem inſinuandum, notificandum, & denunciandum obitum Domini JOHANNIS epiſcopi

„ prædicti ; necnon & ad petendum & requirendum à Re-
„ verenda Paternitate vestra prædicta licentiam & assensum
„ eligendi canonice aliquem idoneum in dictæ nostræ Do-
„ lensis ecclesiæ pontificem & pastorem , providendique ei-
„ dem ecclesiæ sic vacanti , & pastoris solatio destitutæ , de
„ persona idonea , quæ in ea præesse valeat & prodesse : nec-
„ non & ad omnia alia quæ in præmissis necessaria fuerint,
„ aut etiam opportuna, de consuetudine vel de jure : ratum
„ & gratum habentes & firmiter habituri quicquid per di-
„ ctum procuratorem nostrum & nuncium specialem actum
„ gestum fuerit in præmissis , & præmissa tangentibus , aut
„ etiam procuratum : dantes eidem procuratori nostro &
„ nuncio speciali plenam , generalem , & liberalem potesta-
„ tem in præmissis. Datum & actum in Capitulo nostro teste
„ sigillo nostri Capituli in testimonium præmissorum , die
„ Dominica post festum B. Nicolai æstivale , anno Domini
„ millesimo trecentesimo quadragesimo. In quorum omnium
testimonium signum nostrum duximus apponendum. Datum in monasterio de Suilleyo nostræ diocesis , nobis visitantibus die Sabbati post Cantate anno ut supra.

J. Bastardus.

DOLENSIS CAPITULI LITTERÆ PROCURATORIÆ.

Ad offerendum HENRICO DE BOSCO electionem de eo factam in Dolensem episcopum.

An. 1340. OMnibus hæc visuris, humile Capitulum Dolensis ecclesiæ, salutem.

Noveritis quod nos assensu unanimi habito , quo super hoc in nostro Capitulo tractatu diligenti , facimus , constituimus , & ordinamus venerabiles ac discretos viros magistros, Matthæum Leopardi cantorem , Johannem de Sepibus , & Guillelmum de Brolio , concanonicos nostros , procuratores nostros generales & speciales , & eorum quemlibet

libet in solidum: ita quod non sit conditio melior occupantis; sed quod per unum incoeptum fuerit, per alium prosequi, mediari valeat, & finiri, quoad præsentandum venerabili & discreto viro magistro HENRICO DE Bosco archidiacono Dolensi electionem de ipso per nos canonice celebratam in nostrum & Dolensis ecclesiæ episcopum & pastorem; & ad petendum ab eodem suppliciter & instanter, ut ipse dictæ electioni suum assensum debeat impertiri; necnon quoad supplicandum Reverendo in Christo Patri ac Domino D. archiepiscopo Turonensi, quatenus prædictam electionem dignetur confirmare, munusque consecrationis præfato electo velit favorabiliter impertiri; & defectum, si quis fuerit, quod absit, sua auctoritate metropolitana supplere: dantes & concedentes dictis procuratoribus nostris, & duobus ex eis, potestatem plenam & liberam, dictam electionem præsentandi, dictum assensum petendi, agendi, faciendi, supplicandi, & cetera omnia & singula faciendi, quæ in talibus de jure aut consuetudine sunt quomodolibet facienda: ita tamen, quod duo ex ipsis præmissa eorum & singula valeant adimplere toties quoties fuerit necesse: Ratum & firmum habituri quicquid per dictos procuratores, & eorum quemlibet actum, gestum, petitum, & supplicatum fuerit in præmissis & quolibet præmissorum. Datum teste sigillo nostro die Veneris ante festum Pentecosten Domini. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo.

INSTRUMENTUM PUBLICUM.
De consensu præfati Henrici electioni de eo factæ in episcopum Dolensem.

IN nomine Dei, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo, die quinta mensis Junii intrantis; videlicet die Lunæ post festum Pentecosten ejusdem, hora tertiæ vel quasi, indictione octava, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini, Do- *An. 1340.*

mini B. divina providentia papæ duodecimi anno sexto, in nostrorum Notariorum & testium infrascriptorum præsentia, coram venerabili & discreto viro magistro Henrico de Bosco archidiacono Dolensi, venerabiles & discreti viri magistri Johannes de Sepibus & Guillelmus de Brolio canonici Dolensis ecclesiæ, procuratores venerabilis Capituli Dolensis ecclesiæ ejusdem personaliter constituti, habentes inter cetera plenam & liberam potestatem ac mandatum speciale præsentandi prædicto venerabili archidiacono electionem de ipso archidiacono canonice celebratam in episcopum Dolensem, petendique ab eo suppliciter & instanter, ut ipse dictæ electioni de se factæ suum assensum deberet impertiri, prout in quibusdam litteris sigillo dicti venerabilis Capituli, ut prima facie apparebat, sigillatis, in nostrûm & testium infra scriptorum præsentia perlectis vidimus contineri, sæpedicto venerabili archidiacono prædictam electionem in scriptis sigillo magno dicti venerabilis Capituli Dolensis, signisque ac subscriptionibus Johannis de Parisius clerici infra scripti, & magistrorum Hamonis *Lagogue*, Eveni Juliani, & Gaufridi Vereti Notariorum publicorum, ut prima facie apparebat, sigillatam & signatam præsentarunt, & suppliciter & instanter ab eodem petierunt, quatinus dictæ electioni suum præberet assensum; maxime cum periculum esset in mora, ne propter diuturnam vacationem præfata Dolensis ecclesia gravia in spiritualibus & temporalibus dispendia pateretur. Qui siquidem archidiaconus electus, deliberatione præhabita, post multas excusationes & persuasiones, prædictis procuratoribus, se signo crucis muniendo, respondit in hunc modum. Ego HENRICUS archidiaconus electus considerans, quod quæ Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, ipseque Spiritus ubi vult spirat; & providenter attendens, quod hujusmodi electio non ab hominibus, sed à Deo potius inspirata, nolens divinæ resistere voluntati, in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus, & B. Samsonis, in cujus honore Dolensis ecclesia est fundata, Amen. Electioni

de me factæ per viam inspirationis Spiritus-sancti per ve- «
nerabiles & discretos viros Cantorem & Capitulum Do- «
lense in episcopum Dolensem consentio, eamque per vos «
mihi oblatam accepto, tamquam divinitus inspiratam. «
Acta sunt hæc Andegavis in domo mansionis Maheti de «
Bello monte; præsentibus venerabilibus & discretis viris, «
magistris Guillelmo Matthæi canonico Macloviensi, Phi- «
lippo de Redonis rectore ecclesiæ *de Pleneventer* Leonen- «
sis diocesis, Matthæo *de Montarsil* presbytero, Eudone de «
Bosco, & quibusdam aliis testibus vocatis & rogatis ad «
præmissa. «

Ego Guillelmus de Parisius, clericus Macloviensis, publicus imperiali auctoritate Notarius, præmissis procuratorii lecturæ, electionis præsentationi, responsioni, & aliis suprascriptis, dum agerentur, pro ut superius est expressum, una cum Notario infra & testibus supra scriptis, præsens interfui, sub anno, die, mense, hora, loco, indictione, & pontificatu prædictis. Ideoque præsens publicum instrumentum manu mea scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito una cum signo & subscriptione Notarii infra scripti signavi, rogatus & requisitus in testimonium præmissorum.

Et ego Johannes de Parisius, clericus Macloviensis, publicus auctoritate imperiali Notarius, præmissis omnibus & singulis una cum Notario & testibus suprascriptis præsens fui; & ideo hic me subscripsi, signumque meum solitum apposui requisitus.

INSTRUMENTUM PUBLICUM NOMINE DOLENSIS CAPITULI.

Ad Petrum archiepiscopum Turonensem.

De electione Henrici *de Bosco in episcopum Dolensem, quam petit confirmari.*

An. 1340. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Amen. Reverendissimo in Christo Patri ac Domino Domino, Dei gratia .... archiepiscopo Turonensi; sui humiles & devoti Capitulum Dolensis ecclesiæ obedientiam & reverentiam tam debitam quam devotam. Cum propter vacationem diuturnam, ecclesiæ Pastoris solatio destitutæ gravia in temporalibus & spiritualibus dispendia patiantur: ideo conditores sacrorum canonum deliberatione provida decreverunt, ut diutius vacare non debeant ecclesiæ cathedrales. Nuper igitur, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo, die octava mensis Maii, videlicet die Lunæ ante festum B. Nicolai æstivale, bonæ memoriæ Domino JOHANNE, nuper Dolensi episcopo, diem universæ carnis ingresso, ipsius corpore reverenter tradito ecclesiasticæ sepulturæ; Vobis prædicti Domini morte denunciata, licentiaque & exhortatione eligendi à Vobis generose concessa, ne nostra Dolensis ecclesia viduitatis suæ incommoda deploraret; fuit à nobis canonicis, tunc in nostro Capitulo præsentibus ad hoc pulsata campana more & hora solitis congregatis, dies Lunæ post festum B. Germani Parisiorum episcopi & confessoris, videlicet dies trigesima ipsius mensis Maii tunc exeuntis, cum continuatione dierum sequentium concorditer assignata ad electionem Dolensis futuri pontificis celebrandam, citatis & vocatis ad hæc debite specialiter absentibus canonicis, qui citari & vocari debuerunt, & debent. Convenientibus igitur in termino supradicto ad

Capitulum nostrum Dolensis ecclesiæ, omnibus & singulis qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, videlicet venerabilibus & discretis magistris Matthæo Leopardi cantore, Johanne de Villaio scholastico, Thoma Galli, Radulfo Maleti, Johanne de Sepibus, Oliverio Vereti, Fulcone *Bardoul*, Hugone *de Foligne*, Guillelmo de Brolio, canonicis Dolensis ecclesiæ; deinde missa de Sancto-Spiritu in nostra ecclesia solemniter, ut moris est, celebrata, sermoneque in choro Dolensi præsentibus dictis canonicis clerique & populi multitudine copiosa facto, prout Dominus ministravit, altaque voce cantato hymno *Veni creator Spiritus*, ejusdemque Spiritus almi gratia invocata, exclusis popularibus, & aliis secundum consuetudinem excludendis, nobis una cum tabellionibus & testibus infrascriptis solis in nostro choro Dolensi remanentibus, ubi de consuetudine antiqua solitum est electiones nostræ Dolensis ecclesiæ celebrari; ibique pro hujusmodi electione facienda capitulantibus & capitulum facientibus, ut est moris: Statim nullo alio interveniente tractatu, subito & repente, de inspiratione Sancti Spiritus, ipsiusque gratia, ut firmiter credimus, inspirante: Nos omnes simul, nullo penitus discrepante, in magistrum HENRICUM DE BOSCO archidiaconum Dolensis ecclesiæ, ibidem præsentem nobiscum, virum utique providum & discretum, in utroque jure expertum, vita & moribus commendandum, in diaconatus ordine, ætateque legitima constitutum, ac de legitimo matrimonio procreatum, clero & populo gratum, in temporalibus & spiritualibus circumspectum, duxerimus unanimiter vota nostra, ipsumque una voce, unoque Spiritu in nostrum & Dolensis ecclesiæ concorditer elegimus episcopum & pastorem: *Te Deum laudamus* solemniter decantando, dictumque electum nostrum de choro præfato usque ad magnum altare Dolensis ecclesiæ deportavimus; Deoque & gloriosissimæ Virgini Mariæ matri ejus, in cujus honore prædicta nostra Dolensis ecclesia est fundata, obtulimus, & ipsum in episcopali cathedra inthronizavimus, juxta morem in Dolensi ecclesia hactenus observatum; & confestim prædictam

electionem nostram, modum & formam ipsius in pulpito dictæ ecclesiæ, ubi solet evangelium legi diebus solemnibus & festivis, per venerabilem & discretum virum ecclesiæ nostræ cantorem solenniter publicavimus, & publicari fecimus, prout decet, ibidem existente cleri & populi multitudine copiosa. Quibus actis Capitulum nostrum una cum electo nostro prædicto subintrantes, præsentibus Tabellionibus & testibus infrascriptis, & pluribus aliis fide dignis; & prædictam electionem, sic rite & sancte factam, singulariter unus post alium, & omnes generaliter ratam & gratam habentes, & perseverantes in ea, ipsum electum rogavimus cum instantia supplicando; quatenus præfatæ electioni de se factæ suum præberet assensum: qui electus humiliter & devote nobis respondit, quod super hoc deliberationem habere volebat, & deliberatione super hoc præhabita, nobis responderet, prout Dominus eidem ministraret. Postmodum autem electus noster prædictus, deliberatione præhabita cum peritis, multorum presbyterorum deintus instantia, licet onus hujusmodi tamquam grave recusare plurimum niteretur; ne vocationi de se factæ per inspirationem divinam, ut præmittitur, resistere videretur; electioni prædictæ suum præbuit assensum, prout de præmissis etiam constat & potest constare per publica documenta. Quapropter Reverendæ Paternitati Vestræ voto unanimi attentius supplicamus, quatenus electionem præfatam, sic à Deo, ut credimus, inspiratam, & canonice celebratam, ac ipsum electum dignemini confirmare, munusque consecrationis præfato electo nostro velitis favorabiliter impertiri; defectum si quis, quod absit, fuerit, vestra auctoritate metropolitana supplentes, taliter si placet agentes, ut post consecrationem hujusmodi, quam celerem totis conatibus & desiderio expectamus, Deo auctore, nobis & toti Dolensi ecclesiæ velut pastor idoneus præesse valeat utiliter & prodesse, ipsiusque subditi sub ejus regimine possint coram Deo salubriter & celebriter continuè militare. Ad præmissa autem omnia & singula vobis seriosius, in quantum necesse fuerit, narranda & explicanda, petenda, supplicanda, ac etiam requirenda, &

ad faciendum fidem de præmissis, quatenus opus erit, nos unanimi consensu nostro & dictæ ecclesiæ nostræ nomine facimus & constituimus, in nostro Capitulo existentes, venerabiles & discretos viros, cantorem, magistros Johannem de Sepibus, & Guillelmum de Brolio concanonicos nostros, procuratores nostros, & nuncios speciales, dantes & concedentes eisdem, & duobus ex eis potestatem plenam & liberam agendi, petendi, & faciendi præmissa, & quodlibet præmissorum, Vobisque supplicandi, & cetera faciendi, quæ in talibus de jure aut consuetudine sunt quomodolibet facienda; ita tamen quod duo ex ipsis præmissa & eorum singula valeant adimplere, & quod non sit melior conditio occupantis; sed id quod per unum vel alios ipsorum incœptum fuerit, per alium seu alios prosequi, mediari valeat, & finiri: dum tamen à viis nostris concordatis & divinitus inspiratis aliqualiter non recedant. Ceterum, ut Paternitas Vestra non hæsitet, sed cognoscat evidentius vota omnium nostrum in prædictis omnibus & singulis concordasse, ac in petitione hujusmodi existere unanimes & concordes, ipsius electionis nostræ decretum Paternitati vestræ secundum ecclesiæ nostræ morem transmittimus, sigillo Capituli nostri, quo unico in talibus uti consuevimus, muninine roboratum; & ad majorem cautelam & certitudinem præmissorum infrascriptorum notariorum publicorum signis & subscriptionibus subscriptum, & etiam publicatum. Acta fuerunt præmissa, quæ dicta die Lunæ superius facta fuisse narrantur, die Lunæ & anno prædictis, indictione octava, Pontificatus Sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini B. Papæ duodecimi anno sexto, præsentibus venerabilibus & discretis viris, magistro Gaufrido Roussellі Officiali Dolensi, Dominis Johanne *Plus que poay*, Johanne Raymundi, Nicolao *Dube*, Johanne *Gilles* presbyteris, & pluribus aliis in publicatione hujusmodi electionis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Consensus vero ab eodem electo fuit præstitus electioni prædictæ, die quinta mensis Junii sequentis, circa horam tertiam, in civitate Andegavensi, in domo habitationis Maheti de Bello-monte, præsentibus venerabilibus

& discretis viris magistro Guillelmo Matthæi canonico Macloviensi, Matthæo *de Montersil* rectore ecclesiæ de Viridi-gallo Rhedonensis diocesis, Petro *Tregor* presbyteris, testibus ad hæc specialiter vocatis & rogatis, prout in instrumento publico manu Guillelmi de Parisius publici auctoritate imperiali Notarii super hoc confecto plenius continetur. Protestamur etiam quod processibus nostris super hujusmodi negotio factis per præsentes non intendimus derogare, nec procuratores alias constitutos in aliquo revocare. Data vero præsentis decreti & constitutionis procuratorum, de qua supra fit mentio, sub sigillo nostro præsentibus apposito, in nostro Capitulo venerabilibus & discretis magistro Gaufrido Rousselli Officiali Dolensi, Guillelmo *Quostart* presbytero, & Oliverio *de Boterel* clerico, testibus ad hoc vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Johannes de Parisius, clericus Macloviensis, publicus imperiali auctoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis quæ die Lunæ post festum B. Germani facta, dicta, & acta, seu gesta superius fuisse narrantur, nec non præstationi consensus, de quo supra fit mentio, die quinta mensis Junii, ac omnibus & singulis, quæ hac die undecima mensis ejusdem, videlicet Dominica ante festum Eucharistiæ Domini, facta & dicta esse in superioribus describuntur, una cum prænominatis testibus, prout supra præsentes fuisse designantur, præsens interfui; præsentesque litteras seu præsens decretum propria manu scripsi, & hic me subscripsi, signumque meum solitum apposui requisitus & rogatus.

Et ego Gaufridus Vereti, clericus Macloviensis diocesis, publicus imperiali auctoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, quæ dicta die Lunæ post festum B. Germani facta, dicta, & acta, seu gesta superius fuisse narrantur; ac omnibus & singulis, quæ hac die undecima mensis ejusdem, videlicet Dominica ante festum Eucharistiæ Domini facta, & dicta esse, ut in superioribus describuntur una cum testibus & Notariis publicis superius & infrascriptis, præsens interfui: ideo hic me subscripsi, signoque meo solito primum signavi una cum signis Notariorum

publicorum

publicorum & subscript. eorumdem, ac sigillo venerabilium & discretorum virorum Capituli Dolensis præsentibus hic appenso, vocatus ad hoc specialiter & rogatus.

Et ego Evenus Julioti clericus Dolensis diocesis, publicus auctoritate imperiali Notarius, præmissis omnibus & singulis, quæ die Lunæ post festum B. Germani facta, dicta, & acta, seu gesta superius fuisse narrantur, una cum prænominatis Notariis & testibus, prout illa die designantur interfuisse, præsens fui, me subscripsi, hic signum meum solitum apposui una cum signis & subscriptionibus Notariorum & sigillo supradicto his appenso requisitus & rogatus.

PETRI ARCHIEPISCOPI TURONENSIS EPISTOLA.

Ad Vicarios ecclesiæ Dolensis.

De examinanda electione Henrici de Bosco in Dolensem episcopum.

PETRUS permissione divina archiepiscopus Turonensis dilectis nobis in Christo capellano curato ecclesiæ Dolensis, necnon Johanni *Brinou*, & Simoni *de Reignac*, presbyteris vicariis dictæ ecclesiæ Dolensis, nostræ provinciæ Turonensis, & omnibus aliis capellanis, & presbyteris curatis, & non curatis in civitate & diocesi Dolensi constitutis, ad quem vel ad quos præsens mandatum pervenerit, salutem in Domino. An. 1340.

Supplicaverunt nobis venerabiles viri, capitulum ecclesiæ Dolensis prædictæ, pastore vacantis ad præsens, tum per suas patentes litteras, tum per venerabiles viros magistros Johannem de Sepibus & Guillelmum de Brolio dictæ Dolensis ecclesiæ canonicos, procuratores quoad hoc ab eisdem specialiter deputatos, quod cum vacante dicta Dolensi ecclesia pastore per mortem bonæ memoriæ

JOHANNIS DE ANALGORIA, nuper episcopi Dolensis; morte ipsius nobis nunciata, & à nobis eligendi petita licentia & obtenta, vocatis qui fuerunt evocandi, præsentibusque qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt interesse commode; ipsi Capitulum venerabilem virum magistrum HENRICUM DE BOSCO archidiaconum dictæ Dolensis ecclesiæ concorditer & canonice per viam inspirationis divinæ in pastorem & episcopum dictæ ecclesiæ elegerunt, nos electionem & electum hujusmodi confirmare vellemus. Nos attendentes quod secundum apostolum cuiquam manus cito imponi non debet; & ideo volentes cum maturitate debita procedere in hac parte, vobis & vestrum cuilibet in solidum metropolitana auctoritate tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus vos aut alter vestrum ad dictam ecclesiam accedentes, hortetur & vocet peremptorie specialiter & nominatim, oppositores, si qui fuerint contra electionem & electum prædictos, & publice & in generali in ecclesia prædicta omnes & singulos, qui aliquid contra electionem & electum prædictos dicere seu opponere voluerunt, ut ipsi coram nobis seu commissariis à nobis in hac parte deputandis in ecclesia Sancti Martini de Canda nostræ diocesis Turonensis ad diem Martis post instans festum consecrationis Corporis Christi compareant, si sua crediderint interesse, dicturi & oppositurі quicumque dicere & opponere voluerint contra electionem & electum prædictos; & super hoc, prout justitia fuerit, processurus: quos diem & locum ad hoc ipsis & eorum cuilibet & omnibus, quorum interest, tenore præsentium, pro termino peremtorie præfigimus, & etiam assignamus, & vos etiam præfigatis. Interim eisdem & eorum cuilibet publice, & in generali, & alias, ut supra, quod nisi dictis die & loco comparuerunt & se opposuerunt ad prædicta. Nos ad confirmandum vel infirmandum electionem & electum prædictos, & alias in dicto negotio, ut jus erit, procedemus, eorum absentia non obstante, & ipsis ulterius non vocatis. Quo facto, reddi litteras sigillatas ei vestrum, per quem præmissa exequi contigerit, & quid inde feceritis nobis

nihilominus fideliter rescribatis. Datum teste sigillo nostro die Mercurii post festum Pentecostes Domini, anno ejusdem M. CCC. XL.

Prædictis litteris sequens affigitur schedula.

Omnibus hæc visuris Officialis curiæ Dolensis, sede vacante, salutem. Noveritis quod sigillum appensum in secunda cauda præsentium litterarum, quibus præsentes litteræ nostræ sunt annexæ, est sigillum seu sigilli impressio venerabils viri Simonis de Regneaco, vicarii perpetui in ecclesia Dolensi presbyteri, qui mandatum in dictis litteris contentum secundum sui tenorem die Dominica ante festum Eucharistiæ Domini in choro Dolensis ecclesiæ hora magnæ missæ executioni debitæ demandavit, prout tam per relationem dicti vicarii, quam alias fuimus & sumus sufficienter informati. Datum, teste sigillo curiæ nostræ, die Dominica prædicta, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo.

VICARIORUM ECCLESIÆ DOLENSIS EPISTOLA

Ad Petrum archiepiscopum Turonensem.

Quod mandatum ejus executioni demandarunt.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino nostro Domino ..... archiepiscopo Turonensi devoti sui capellani Simon de Regneiaco, Johannes *Bonnob*, perpetui vicarii in ecclesia Dolensi, & Rollandus *de Hirel*, capellanus deserviens capellæ Crucifixi, curatus in ecclesia Dolensi memorata, cum sui humili recommendatione devotam obedientiam ac reverentiam debitam, tamquam Patri.

An. 1340.

Notum sit vestræ Reverendæ Paternitati, nos litteras vestras formam & tenorem infrascriptos continentem, die Dominica post festum Pentecostes Domini, videlicet undecima die mensis Junii intrantis nobis præsentatas humiliter recepisse, & hora magnæ missæ inter primam orationem & epistolam ipsius, in choro præfatæ Dolensis eccle-

siæ, præsentibus quam plurimis ejusdem ecclesiæ canonicis, capellanis & clericis, ac populi propter divinum officium ibidem audiendi copiosa multitudine congregata, easdem de verbo ad verbum per Johannem *Cohu* clericum Notarium publicum infrascriptum legi fecisse, & postmodum per venerabilem & discretum virum Cantorem dictæ Dolensis ecclesiæ lingua materna exposuisse, & publicasse, & ad notitiam omnium ibidem assistentium, prout melius fieri potuimus, deduxisse; & juxta formam & tenorem earumdem contenta in eisdem litteris executioni debitæ demandasse. Tenor vero dictarum litterarum vestrarum sequitur in hunc modum. Petrus permissione divina archiepiscopus Turonensis dilectis nobis in Christo capellano curato, *&c. ut supra*. Et hæc Paternitati vestræ venerandi significamus per præsentes litteras, sigillis sigillatas nostris, una cum signo & subscriptionibus Notariorum publicorum signatas. Acta fuerunt hæc die Dominica prædicta, anno ejusdem M. CCC. XL. indictione octava, pontificatus Sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini B. divina providentia papæ duodecimi anno sexto. Præsentibus magistris Matthæo *Lebart* cantore, Johanne de Villari scholastico, Radulfo Malleti, Johanne de Sepibus, Hugone *de Foligne*, Ernando nepote, Th. Galli, Henrico de Turribus, canonicis Dolensis ecclesiæ Johanne Remundi, Johanne *Gilles*, Elia Michaelis presbyteris, magistris Alano de Valle, Richardo de Ripperia curatis Dolensibus advocatis, Martino de Valle clericis, Johanne Boncerrona, Michaele *Thedé*, Hamone de Merra, & pluribus aliis testibus ad hoc specialiter rogatis & vocatis.

Et ego Johannes *Cohu* clericus Macloviensis diocesis oriundus Notarius auctoritate imperiali publicus, die Dominica præsentationi litterarum, hora, loco, lecturæ per me factæ, linguæ maternæ expositioni, publicæ executioni dictarum litterarum, mense, indictione, pontificatu, una cum testibus suprascriptis, & Notario specialiter vocatis & rogatis, præsens fui, & manu propria in ea hæc scripsi, & in publicam formam redegi, meoque signo solito signavi, requisitus & rogatus. Constat de interlinea in verbo

dic quod approbo & volo omni nota suspicionis carere.

Et ego Evenus Julioti, clericus Dolensis, publicus imperiali auctoritate Notarius, die, hora, loco, præsentationi litterarum, lecturæ factæ per Notarium supra scriptum, linguæ maternæ expositioni per cantorem supra scriptum, & publicæ exsecutioni, mense, indictione, pontificatu una cum Notariis & testibus supra scriptis me subcripsi, signo meo solito hoc publicum instrumentum signavi, & illud apposui rogatus.

BENEDICTI PAPÆ XII, Ad Petrum archiepiscopum Turonensem.

Resignatum episcopatum Dolensem Henrico de Bosco iterum consignat.

BENEDICTUS episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri ...... archiepiscopo Turonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

An. 1340.

Ad cumulum tuæ cedit salutis & famæ, si personas ecclesiasticas, præsertim pontificali dignitate præditas, divinæ propitiationis intuitu, opportuni præsidii & favoris gratia prosequaris. Nuper siquidem ecclesia Dolensis per obitum bonæ memoriæ JOHANNIS episcopi Dolensis, qui in illis partibus diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ejusdem ecclesiæ venerabilem fratrem nostrum HENRICUM episcopum Dolensem, tunc archidiaconum ipsius ecclesiæ, in diaconatus ordine constitutum, in Dolensem episcopum quasi per inspirationem divinam concorditer elegerunt, ipseque ad instantiam dictorum Capituli hujusmodi electioni consensit. Subsequenter autem Nos hujusmodi vacatione ipsius ecclesiæ Dolensis fide dignis relatibus intellecta, cupientes ipsi ecclesiæ nostræ operationis ministerio personam secundum cor nostrum idoneam præsidere, provisionem ipsius ecclesiæ Dolensis, ea vice ordinationi & dispositioni nostræ duximus reservandum. Decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctorita-

te, scienter & ignoranter contingeret attentari, ipseque episcopus postmodum hujusmodi reservationis & decreti forsan inscius, obtinuit electionem hujusmodi à te loci & metropolitano hujusmodi reservationis & decreti forsitan similiter inscio, auctoritate metropolica confirmari, ac ipsum HENRICUM subsequenter, alias tamen rite in Dolensem episcopum per te reservationis & decreti prædictorum tunc etiam forsitan inscium consecrari; & post confirmationem hujusmodi administrationi spiritualium & temporalium dictæ ecclesiæ Dolensis ingessit, & deinde de reservatione & decreto prædictis certus effectus ab administratione hujusmodi destitit, & ad Apostolicam Sedem personaliter se conferens, fecit proponi hujusmodi electionis, confirmationis, & consecrationis negotium in consistorio coram Nobis; & tandem, omne jus, si quod eidem HENRICO episcopo ex electione hujusmodi competebat, in nostra & fratrum nostrorum præsentia, ex certis causis sponte & libere resignavit. Nos igitur hujusmodi resignatione recepta, ad provisionem ipsius ecclesiæ celerem & felicem paternis studiis illico intendentes; ac considerantes, tam concordem dictorum ipsum HENRICUM eligentium voluntatem, quam fide digna testimonia, quæ sibi de litterarum scientia, honestate morum & vitæ conversatione laudabili, maturitate consilii, prudentia, spiritualium & temporalium providentia, & aliis multiplicium virtutum meritis prohibentur; post deliberationem, quam super his cum eisdem fratribus habuimus diligentem, de persona dicti HENRICI episcopi nobis & dictis fratribus ob exigentiam hujusmodi suorum meritorum accepta præfatæ Dolensi ecclesiæ, de dictorum fratrum consilio, auctoritate apostolica, providimus; ipsumque Henricum illi præfecimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius ecclesiæ sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committentes, ac munus dicto Henrico consecrationis post hujusmodi reservationem & decretum impensum ratificantes expresse, in illo qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod præfata Dolensis ecclesia per ipsius Henrici episcopi industriæ & cir-

circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter, & prospere, dirigetur, ac in eisdem spiritualibus & temporalibus, auctore Domino, grata suscipiet incrementa. Cum itaque, ut idem episcopus in commissa sibi ecclesiæ prædicta cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eumdem episcopum, & commissam sibi ecclesiam habens pro nostra & ejusdem sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis & conservandis juribus suis, sic eum tui favoris præsidio prosequaris; quod ipse per tuæ auxilium gratiæ se possit in commisso sibi ejusdem ecclesiæ regimine utilius exercere; tuque divinam misericordiam ac sedis ejusdem benevolentiam exinde valeas celerius promereri. Datum Avinione viij. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Hactenus acta varia in causa Dolensis episcopatus, quibus ad illustrandam ecclesiæ antiquam in electione episcoporum suffraganeorum, sede metropolitana vacante, disciplinam, subjicere visum est bullam Lucii Papæ III. & epistolam ecclesiæ Remensis ad Capitulum ecclesiæ Rotomagensis.

BULLA LUCII PAPÆ III.
Ad Capitulum ecclesiæ Rotomagensis.

LUCIUS episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis R. decano & capitulo Rotom. Salutem & apostolicam benedictionem.

Significantibus dilectis filiis nostris Capitulo Constantiensis ecclesiæ intelleximus quod cum dilectum filium nostrum VV. decanum quemdam Bajocensem canonice & concorditer elegisset in episcopum, à bonæ memoriæ R. Archiepiscopo vestro, electio fuit solemniter confirmata, & consecrationi terminus assignatus. Sed interim archiepiscopus, sicut Domino placuit diem clausit extremum, & ita sub occasum ista non sine gravi dispendio, consecratio hactenus est dilata, cum sex annis & amplius jam dicta eccle-

sia pastorali manserit providentia destituta. Unde quoniam mora trahit ad se periculum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus si res ita se habet, suffraganeis episcopis ad vestram ecclesiam convocatis, præfato electo, sine difficultate, dilatione & appellatione remota, munus faciatis consecrationis impendi: Ita quod plenitudinem officii pontificalis adeptus, commisso sibi gregi, sacramenta possit salubria ministrare, & tam in ordinatione clericorum quam in dedicatione ecclesiarum, & aliis quos ad episcopum solum respiciunt, sicut fuerit necessarium, providere. Datum Verul. 8. Kal. Maii.

EPISTOLA ECCLESIÆ REMENSIS Ad Rotomagensem.

Viris venerabilibus & amicis in Christo charissimis R. Decano, totique Rotomagensis ecclesiæ Capitulo M. Præpositus, B. Decanus, F. Cantor, ceterique Remensis ecclesiæ fratres salutem, & promptum in sincera dilectione obsequium.

Recurrentibus litteris vestris ad nos patentibus consultationi vestræ nobis porrectæ quantum ad nos spectat absolutam adhibemus responsionem: Scilicet quod si, vacante sede nostra metropolitana, aliqua episcopalis ecclesia provinciæ Remensis suo viduata pastore ab eadem ecclesia electum nobis præsentaverit, ex approbata consuetudine & ab antiquis temporibus obtenta, confirmamus, & episcopos suffraganeos ad consecrationem ejus celebrandam convocamus. Quod in electione & consecratione R. Patris G. Cathalaunensis nunc episcopi fecimus, cujus consecratio cum ad tempus esset prorogata, propter quosdam hæsitantes an sede nostra vacante celebrari deberet, & quid esset faciendum super eo consuluissent Sedem Apostolicam. Dominus Papa dubitationem eorum frivolam & quasi nullam reputans, rescripto suo nobis mandavit, quod convocatis suffraganeis episcopis ad munus consecrationis pro dicto Domino episcopo impendendum, non obstante eo quod ecclesia nostra tunc pastorem non haberet, procederemus.

CONCILIA

CONCILIA VARIA.

CONCILIUM APUD BONOILUM VILLAM celebratum in gratiam monachorum Anisolensium adversus episcopum Cenomanensem.

INCIPIT PRIVILEGIUM SANCTORUM PRÆSULUM APUD BONOILUM VILLAM CONCILIUM CELEBRANTIUM.

IN nomine summæ & incomparabilis clementiæ, adorandæ scilicet & incomparabilis Trinitatis. Cum sacrosancti conventus fraterna societas venerabilium præsulum Bonoilum unanimem sui exhiberet præsentiam, vocatione magni atque orthodoxi regis serenissimi KAROLI, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLV. indictione prima, regni etiam memorati Augusti XVI. inter cetera variarum rerum sanctæ matris ecclesiæ sinu erumpentia discrimina, quæ sacrorum præsentium antistitum ibidem sanxerat dignatio conferenda, & auctoritate sibi conlata in pristinum & necessarium ordinem relevanda; obtulit sese eorum paternæ & piissimæ conlationi ordinis monastici cultus, ac status ejusdem professionis ipsorum quidem regimini pastorali solatio subvehenda ac confovenda religio, quæ quondam in Patribus virtute divina promulgata refloruit; sed jam nunc emergentium tempestatum procellis attrita, vada sui portus inexplebili naufragio subigens, optati littoris quietem adire non patitur. Hujus igitur institutionis utilitates, & convenientes pro tempore necessitudines, cum efficacius pertractare, & eas solerti cura Christi freti juvamine ad effectum usque idem sacer conventus optaret efferre: RAINALDUM religionis cultu & vitæ merito venerabilem, eidem sacro concilio cum quibusdam aliis sanctitatis firma reverendis abba-

E e

tibus residentem, accidit commissi sibi cœnobii pii patris & pretiosi confessoris Charilefi inconvenientias, & fratrum in ea consistentium oppressiones, & calamitatum anxietudines, studio gregis contraditi lacrymabili sermone prosequi, breviterque suæ sermocinationis alloquia. Protulit [a] præceptiones regum catholicorum orthodoxorum supra fato monasterio conlatas pro Dei omnipotentis amore, & sanctorum veneratione, ibique consistentium monachorum remota & inconcussa quiete; qualiter identidem monasterium per successiones temporum illustrium regum immunitatum titulos & securitates perceperit; quibus felici successu, divina id providente clementia, salubri & efficaci tramite hactenus deguerit. Ipsis etiam eisdem præceptionibus adnexum juste & rationabiliter inerat, ut monachi jam dictæ congregationis regularis propositi studio contenti, sub norma Beati BENEDICTI Patris cœnobitice viventes, ex propria congregatione sibi eligendi abbatem jus habeant, licentiam & facultatem: nempe ut quibus cor unum & anima una necessario est habenda, patri spiritali tam corda quam corpora subdentes, jugo etiam Christi suavi & oneri levissimo colla summittentes, obedientiæ fræno devincti, discant patris spiritalis se suaque committere. Præterea harum præceptionum irruptiones, & violentissimas quorumdam instinctu ipsius infectiones, asserentium subdole jure possessionis propriæ idem monasterium debere subjici urbi Cinomanicæ, prænominatus vir venerabilis Rainaldus abba evidentissimis intimavit: cum nihil horum acta & præceptorum confirmationes præscriptæ contineant; sed potius hæc interdicant, amputent, & inhibeant. Quapropter prædictorum beatorum antistitum unanimitas pari assensu, communi quoque voto retractans, & regularis auctoritatis & regiæ collationis ac corroborationis gesta concordi æquitatis vigore libramine acta .... se prædicta piissimorum regum sanctæ religionis patrata intuitu de reliquo intemerata manere percensuit. Ne vero ab aliquo eorumdem patrum sacrosancta in-

[a] Tres exhibemus infra in Miscellaneis epistolarum & diplomatum, scilicet Dagoberti, Ludovici Pii & Caroli Calvi.

stitutio ausu temerario aggredi præsumatur, neque quis id nefario conamine pertentet irrumpere quod propriæ auctoritatis tenore cuique ipsorum libuerit confirmare, necessario placuit adnotare. Statuimus ergo, optamus, & communi æquitatis auctoritate determinamus, ut sæpedictum monasterium Beatissimi Charilesi confessoris omni libertate manasticæ religionis, adepta pace, & quiete per Christi gratiam potita, ordine libero & inconcusso, per succedentia quietum valeat degere tempora: ita ut non episcopus, nulla extera persona laicalis seu clericalis, ad hoc inquietandum, perturbandum, ac sollicitandum, aut invadendum, vel possidendum monasterium aspiret; nec etiam præmemoratæ urbi Cinnomannicæ proprietate rerum suarum subjaceat: cum liberum sit dono antiquorum regum præter communem canonum auctoritatem à propriis pontificibus ipsi & universis monasteriis conservandam, sed liceat eidem loco de proprio grege, juxta regularis vitæ auctoritatem, proprium habere pastorem. Si quis autem his nostris constitutionibus refragari nisus fuerit, & multipliciter præscriptam principum bonitatem & indulgentiam, simul etiam nostræ auctoritatis instituta, per quamcumque calliditatem seu cupiditatem infringere, & aliquo modo pervertere præsumserit; anathematis ultione se plectendum noverit, justo Dei omnipotentis, quem sacrilege irritavit, una cum nostræ auctoritatis judicio. Postremo tenorem hujusce firmitatis, potestate nobis à Domino cœlitus contributa, dicente: quæcumque ligaveris super terram erunt ligata & in cœlo, eo sermone ligamus, ut quicunque hæc irrumpere, vel aliter quam à nobis sunt statuta ligata solvere, aut solvenda ligare percensuerit; nequaquam se in cœlesti regione solvendum; sed clauso æterni regni aditu, in tenebras exteriores ligandum esse cognoscat, nisi digna satisfactione correxerit quod arroganti impietate præsumsit. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem manibus sacrorum præsentium pontificum subtus notatam, absentium quoque consacerdotum nec minus idoneis astipulationibus per Christum & in Christo fulciri postulamus.

AMALRICUS gratia Dei Turonicæ metropolis ecclesiæ humilis episcopus, sub signo sanctæ Crucis volui, consensi, & subscripsi.

VVENILO munere divino Sennonensis ecclesiæ episcopus huic privilegio assensum præbui, & subscripsi.

INCMARUS sanctæ metropolis ecclesiæ Remorum episcopus.

PAULUS sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus.

HERIBALDUS Autissiodorensis ecclesiæ episcopus.

ERCENRADUS Parisiacensis ecclesiæ episcopus.

ROTHADUS Suessionensis ecclesiæ episcopus.

TEUTBOLDUS Lingonicæ ecclesiæ episcopus.

HIRMINFRIDUS gratia Dei Belloacensis ecclesiæ episcopus.

BALFRIDUS Bajocensis ecclesiæ episcopus.

HERLUINUS Constantinensis ecclesiæ episcopus.

HERPUINUS Silvanectensis ecclesiæ episcopus.

GUNTBERTUS Ebrocensis ecclesiæ episcopus.

JONAS Eduorum humilis episcopus.

HARIARDUS Lixoviensis ecclesiæ.

HILDEBRANNUS Sagensis ecclesiæ episcopus.

HILDEGARIUS Meldensis ecclesiæ episcopus.

IMO episcopus Noviomensis hoc privilegium subscripsi.

AGIUS episcopus humilis Aurelianensis ecclesiæ.

FROTBOLDUS Carnotensis ecclesiæ episcopus.

PARDULUS Laudunensium ecclesiæ episcopus.

ELMERADUS Amianensium ecclesiæ episcopus.

REMEDIUS Abrincatensis ecclesiæ episcopus.

GOTELSADUS episcopus.

BRAIDINGUS Matiscensium sedis episcopus.

PRUDENTIUS sanctæ Trecasinæ ecclesiæ episcopus.

DODO Andecavensis ecclesiæ indignus episcopus.

ACTARDUS Namnetensis indignus episcopus huic privilegio subscripsi.

LUDOVICUS abba in Dei nomine.

ADALARDUS abba in Dei nomine.

Ego LUPUS abba in Dei nomine.

HEMBARDUS abba.

FRODINUS abba indignus.

ODO abba monasterii Corbéiensis.

HUNFREDUS abba monasterii Dervensis.

BERNARDUS abba huic privilegio subscripsi.

GAUSLENUS abba.

ABBO abba.

ARCAMBOLDUS abba.

GEORGIUS abba.

Item ABBO abba.

Data VIII. Kal. Septembris anno XVI. regnante KAROLO glorioso rege indictione I.

Actum Bonoilo Villa in Dei nomine feliciter. Amen.

EJUSDEM PRIVILEGII CONFIRMATIO IN CONCILIO PISTENSI.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCLXII. indictione X. regni gloriosi regis KAROLI XXIV. in Synodo habita in loco, qui dicitur pistis, quibusdam huic privilegio renitentibus, inspectis rursum auctoritatibus priorum & recentium regum, approbatum & confirmatum est ab omnibus, & decretum, ut absentes, & eorum qui obierant successores, idipsum subscriptionibus propriis roborarent. *l.* DCCCLXIV.

HIERARDUS pietate divina Turonicæ metropolis episcopus huic privilegio ordine successorio subscripsi.

HINCMARUS Laudunensis ecclesiæ episcopus huic privilegio prædecessoris mei vices restitui & vires.

ENEAS Parisii episcopus.

FOLCHRICUS AugustiTricorum indignus episcopus hoc privilegium denuo relectum, & à sanctis Patribus corroboratum, vices prædecessoris mei adimplevi.

ERCHENRAUS indignus episcopus similiter.

GISLEBERTUS humilis Carnotensium episcopus hoc privilegium denuo à sanctis præsulibus relectum ac roboratum, gerens vices prædecessoris mei Frotbaldi firmare curavi,

ODO Belloacensis ecclesiæ episcopus consensum patris mei Hirminfridi confirmans, subscripsi.

ERCAMBERTUS sanctæ Bajoacensis ecclesiæ episcopus consensum prædecessoris mei huic privilegio & vires reddidi, & subscripsi.

RAINELMUS Noviomagensis ecclesiæ episcopus relectum à sanctis patribus privilegium judicio prædecessoris mei subscripsi.

CHRISTIANUS Autissiodorensis sedis episcopus huic privilegio subscripsi & vices prædecessoris mei confirmavi.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

Quam miserunt sancti Præsules, concilium in loco, qui dicitur Pistis, celebrantes, Rotberto Cenomannensium episcopo pro confirmatione ejusdem privilegii, & de concordia abbatis Ingilgarii fratrumque Anisolensis cœnobii.

UNanime concilium habitum in loco, qui appellatur Pistis, carissimo fratri & coepiscopo ROTBERTO Cennomannicæ urbis, perpetuam salutem.

Expectata diu fraudati vestra præsentia, metropolitano vestro dilectissimo nobis Herardo Turonorum præsuli litteras, vobis tradendas commisimus, quibus significamus quæ libentius viva, ut aiunt, voce indicaremus. Causam monachorum sancti Charilefi, quæ principis voluntate, nobis suadentibus, dilata est donec cum vestris auctoritatibus rediretis, postquam vos venturos desperavimus, diligenter examinare curavimus, priscorum regum & recentium edictis sollicite consideratis: comperimus privilegium indulgentia ejusdem gloriosi Domini nostri regis CAROLI concessum, juste rationabiliterque dudum nostra auctoritate firmatum, quod etiam decernentibus nobis, fratres nostri qui fuerant absentes, vel qui migrantibus ad Dominum successerant, subscriptionibus propriis roborarunt. Quamobrem hortamur sanctitatem vestram, ut in stabiliendo vestra subscriptione eidem privilegio, quamquam decessor vester Hal-

dricus id facere declinaverit, nequaquam vos difficiles præbeatis. Veritas enim & justitia absque rubore & dolore sequenda sunt: maxime his qui prædicationem suam aliter solidare non possunt; recipiatisque venerabilem Ingilgarium abbatem, & fratres ejus monachos, vestra pace & concordia sine dubio perfrui optantes, hoc vos sine cunctatione ac dilatione agere desideramus. Sin autem id, quod Deus avertat, non obtinuerimus; in societate caritatis, quam nobis vicissim debemus, nequaquam valebimus permanere: cum ab observatione æquitatis nequaquam audeamus recedere. Hæc respectu vestri honoris taliter temperavimus, ne si totum rei gestæ ordinem texeremus, indecorum aliquid scriberetur.

CONCILIUM INCERTI LOCI
Anno DCCCLXXXVI. celebratum.

An. 886.

UTilitas ecclesiasticæ doctrinæ, licet fluctuoso procellarum turbine feriatur, tamen strenua pontificum sollertia optabile salutis percipit remedium, sicque pacis nutritur incrementum & justitiæ decus florescit. Ideoque anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXVI. anno siquidem piissimi imperatoris CAROLI in Italia V. in Francia IV. in Gallia II. cum unanimiter sacrosanctum concilium Pontificum ageretur, ex imperio magni & orthodoxi Imperatoris Caroli, inter aliqua canonici profectus commoda, spirituali aptissima lucro, contigit GAUTERIUM alumnum almi cœnobii S. Martini, & venerabilem sanctæ Aurelianensis ecclesiæ episcopum, interventu quidem clarissimi ALALALDI Turonicæ sedis archiepiscopi, causas necessitudinis fratrum in monasterio ejusdem beatissimi & preciosissimi confessoris Christi Martini sancte viventium pandere, qualiter prædictus locus lamentabile devastationis insolitæ malum à perfida gente Normannorum pertulerit, & quomodo metu classici exercitus periculosa pessimi decursus damna perpessus fuerit, & qualiter ODO insignis abbas ejusdem congregationis ob tanti discriminis immania

damna, quasdam villas, Solarium scilicet, & Vallem Caumoniam, cum omnibus earum appendiciis fratribus prædicti loci reddidit, ad eorum scilicet confugium pariterque necessitatem supplendam. Manifestavit etiam sicut prius alumnus prædictus pontifex Gualterius interventu ADALALDI prædictæ ecclesiæ præsulis, solitam clementiæ magnitudinem imperatoriæ dignitatis: qualiter concesserit magnus & augustus imperator Carolus eisdem fratribus prædictas villas Solarium scilicet, & Vallem Caumoniam, cum omnibus earum appenditiis, & quomodo prædictus abbas præfati monasterii eisdem fratribus reddiderit, ad quas confugium faciant, & ex quibus eorum inopia quantulumcumque sublevetur: qui etiam nunc idcirco, quia necessarium duxit idem episcopus prænominatus, scilicet Gavalterius, vice Adalaldi ejusdem ecclesiæ episcopi, nobis intimare imperatoriæ Clementiæ opus, concessionem scilicet suprádictarum villarum, ne fortè causa varii perfugii sanctitatis culmine pollens, fratrum ovile à tramite rectæ operationis deviaret. Placuit nostræ auctoritatis inviolabili privilegio imperatoriæ munificentiæ largitatem (confirmare.) Statuimus igitur una cum consultu Odonis ejusdem monasterii præstantissimi abbatis, censuræ nostræ edicto, communi rationis consilio, atque decreto, ut villæ prænominatæ stipendiis & necessitatibus fratrum jam dicti monasterii S. Martini cum universitate appenditiorum suorum integerrima perpetuo deserviant; ita ut nullus potestatis vir easdem villas de earum dominatione auferat: quibus misericordiæ suæ beneficium in hoc munere imperatoria potestas, simulque consensus Odonis abbatis, fratribus in eodem cœnobio commorantibus largiri voluit. Qui autem hoc edictum à sanctis Patribus institutum irrumpere aut qualibet præsumptione vel occasione conatus fuerit evertere, æternæ damnationis malum, cum prævaricatoribus legis sanctæ perferat. Potestatem autem nobis à Domino ligandi & solvendi cælitus contributam, dicente *quæcumque ligaveritis*, &c. hac virtutis confidentia nitentem cæligenæ salvationis aditum claudimus, obice malitiæ suæ objecto sub anathematis vinculo, qui huic beneficio necessario in

substractione

subtractione prædictarum villarum consentiens aut operator extiterit. Harum itaque censurarum statuta inconvulsa, & inviolabiliter à nobis facta, in cælo & in terra confirmata manuum subscriptione censuimus corroborare; absentium quoque confratrum voluntatem simul & consensus disponimus vigere libramine.

CONCILIUM TURONENSE
Anno DCCCCXXV. celebratum.

NOtitia manifestatæ rei, qualiter veniens quidam presbyter nomine Rainaldus ad invocationem filii sui Ramonis ante Domnum ROBBERTUM Turonicæ sedis venerabilem archiepiscopum, in conventu synodico anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXXV. episcopatus ejusdem Domni episcopi anno IX. proclamans quasdam decimas in pago Turonico, idest de Faia ex omnibus Alodis sive de villa Fraxino ecclesiæ in honorem egregii martyris Christi B. Saturnini in villa Pasiniaco fundatæ, & filii sui jam dicti, qui inibi visus est debitas deservire, quas quidam sacerdos, Gaufridus nomine, ab ipsa ecclesia alienare, & injuste possidere volebat. Cujus rei veritatem præfatus præsul sollicite perquirens, interrogavit ipsum Gaufridum qualiter ipsam decimam possidebat. At ille professus est, quod ex ipsa decima semper medietas ad ecclesiam S. Vincentii in villa Antoniaco, quam ipse tenebat, suis & prædecessorum suorum temporibus, absque alicujus hominis contrarietate deveniret; alteraque medietas ad præfatum S. Saturnini locum remearet, & si aliud quispiam diceret; ad omnem legem examinandam quamcumque ei synodus indicasset, semper garnitus adesset. Exinde interrogante Domno archiepiscopo antenatos sacerdotes, qui ipsam altercationem definire possent, ut quod melius scirent inter eos synodale judicium decernerent. Postea inventum & dijudicatum est ab omnibus, ut præscriptus Gauffridus presbyter unum hominem ad Dei judicium mitteret, & siquidem illæsus evaderet, medietatem ipsarum decima-

rum suæ ecclesiæ & sibi perpetuo vindicaret. Sin autem omnis decima ad ecclesiam S. Saturnini in villa Pasiniaco cum integritate rediret; quod judicium sæpedictus presbyter Gauffridus, sicuti ei judicatum fuit, vidente Raynerio archidiacono, Badilone venerabili sanctæ matris ecclesiæ diacono atque æditu, Otberto abbate sive diacono, Halmaro presbytero, Anskerio presbytero, aliisque hominibus, in Nogastro castro fecit, suusque homo exustus apparuit; & sic ex ipsis decimis sese recredidit, atque per festucam guerpivit. Hac autem querela ita definita necesse extitit eidem Rainaldo & filio suo Rainoni in synodali conventu talem notitiam accipere, quo neque suo, neque successorum suorum tempore aliqua contentio pro ipsis decimis posset oriri; sed omnibus diebus, prout inibi definitum fuit, stabilitum, & firmum permanere, sicuti fecit, prout præsens habet scriptura pontificali auctoritate jam fati Domni Roberti venerabilis archiepiscopi roborata, suorumque fidelium ac ceterorum bonorum hominum manibus consignata. Data mense Maio in synodo Turonensi anno iij. regnante Rodulfo rege.

CONCILII VIENNENSIS Anno M. LX. celebrati fragmentum.

AB Incarnatione Domini nostri Jesu Christi anno M. LX. indictione XIII. pridie Calendas Februarii, Luna XXIV. secunda feria. Præsidente STEPHANO catholicæ urbis Romæ cardinali presbytero, Apostolicæ Sedis Vicario in basilica Resurrectionis Dominicæ & SS. Machabæorum, sancta Synodus, quæ ex præcepto Domini nostri beatissimi summi Pontificis & universalis papæ NICOLAI, Viennæ, quæ est metropolis Galliæ, convenit. Propositis sacrosanctis evangeliis, & præmissis ad Deum intentissime precibus, diligenti consideratione retractatis his, in quibus ecclesiarum status in toto pene orbe, & maxime in Galliis, vacillare & pessumdari videbatur, quæ breviter infra placuit annecti, condigna sollicitudine definivit.

CAP. I.

Sancti Spiritus auctoritate, ut credimus, in Calchedonensi synodo sententia de Simoniacis prolata ab omnibus observetur, quatenus quicumque deinceps pecunia, aut aliqua interveniente conventione sæculari, aut quolibet modo, contra canonicam censuram episcopatum, abbatiam, aut archidiaconatum, seu archipresbyteratum, aut aliquam dignitatem ecclesiasticam, sive aliquem gradum, vel ministerium, vel beneficium, quod non nisi clericis habere Sanctorum Patrum sancivit auctoritas, dare vel accipere quolibet modo canonibus contrario tentaverit: & dans à proprio decidat gradu & dignitate; & accipiens ministerium seu beneficium male usurpatum numquam recuperaturus amittat.

CAP. II.

Si quis episcopus aut prælatus quilibet contra præfixam regulam aliquod ecclesiasticum ministerium seu beneficium, vel etiam ipsam præbendam, quæ canonica dicitur, ordinare aut dare voluerit; libere liceat clericis contradicere, & vicinorum episcoporum judicium, vel si necesse fuerit, ipsam quoque Sedem Apostolicam appellare.

CAP. III.

Item ut nullus episcoporum vel prælatorum aliquod novum beneficium de rebus ad jus ecclesiæ pertinentibus ulterius præsumat contra canones alicui vendere aut dare. Quicumque vero aliquid ad jus ecclesiæ pertinens sub nomine beneficii, sive quolibet modo ab ecclesia alienare hactenus præsumsit; si adhuc superest, aut restituat ecclesiæ quod male subtraxit, aut canonica multet sententia.

CAP. IV.

Nullus ecclesiam magnam vel parvam.

Reliqua desiderantur.

NORMANNORUM ANTIQUÆ CONSUETUDINES ET JUSTITIÆ,

In concilio apud Lillebonam anno MLXXX. celebrato confirmatæ.

I.

HÆc est justitia quam rex VVILLELMUS, qui regnum Angliæ acquisivit, habuit in Normannia, & hic scripta est, sicut ROBERTUS comes Normanniæ & VVILLELMUS rex Angliæ, filii ejus & hæredes prædicti regis fecerunt recordari, & scribi per episcopos & barones suos eadem die xv. calendas Augusti. Et hæc est justitia Domini Normanniæ quod in curia sua, vel eundo ad curiam, vel redeundo de curia nullus homo gardam habuit de inimico suo : & si aliquis de inimico suo in via curiæ vel in curia forisfecerit; ita quod ipse sciret quod ille cui malum fecit ad curiam iret vel inde rediret : Si probatus inde fuerit; & Dominus Normanniæ habuit suam pecuniam & corpus ejus ad suam justitiam faciendam, & terram suam perdidit; ita quod nec ipse nec aliquis de parentibus suis eam clamare potuit. Et si defendere potuerit quod scienter hoc non fecisset per pecuniam, fuit in misericordia Domini Normanniæ sine perditione terræ.

II.

Et in via exercitus, & in exercitu, & octo diebus ante motum determinati exercitus, & octo diebus post exercitum, si aliquis forisfecerit : habuit inde Dominus Normanniæ eamdem justitiam, quam de forisfacto curiæ suæ; nec infra præscriptos terminos exercitus alicui licuit rammum capere : & si cæpit, per pecuniam emendabit in misericordia Domini Normanniæ. Et si in exercitu, vel in

curia, vel in via curiæ vel exercitus, mislata evenerit, quæ pro præcedenti ira facta non fuerit; & in ea vulneratus, vel occisus fuerit aliquis: Ille cujus culpa hoc factum est, secundum mensuram forisfacti emendabit.

III.

Nulli licuit in Normannia fossatum facere in planam terram, nisi tale quod de fundo potuisset terram jactare superius sine scabello. Et ibi nulli licuit facere palicium, nisi in una regula: & id sine propugnaculis & alatoriis. Et in rupe & in insula nulli licuit facere fortitudinem, & nulli licuit in Normannia castellum facere.

IV.

Et nulli licuit in Normannia pro calumnia terræ domum vel molendinum ardere, vel aliquam vastationem facere, vel prædam capere.

V.

Nulli licuit in Normannia fortitudinem castelli sui vetare Domino Normanniæ. Et si ipse eam in manum suam voluerit habere. Et si Dominus Normanniæ filium, vel fratrem, vel nepotem baronis sui, qui non esset miles, voluit habere obsidem de portanda fide: nullus sibi contradicere potuit.

VI.

Nulli licuit in Normannia in forestis ipsius Domini hominem assalire, vel insidias ponere.

VII.

Nulli licuit inimicum quærendo, vel Vammum capiendo, vexillum vel loricam portare, vel cornu sonare, neque cembellum mittere postquam insidiæ remanerent, neque hominem damnare de membris suis sine judicio, nisi in tali actu & forisfacto inventus est, pro quo membrum perdere debuisset, & ibidem perdidisset, & nisi per judicium curiæ Domini Normanniæ de hoc quod ad eum pertinet; vel judicio curiæ baronum de hoc quod ad barones pertinet.

VIII.

Nulli liceat in Normannia Hausare facere, vel incendium, vel raptum mulieris, vel vammum capere, quia

fieret inde clamor apud eum, qui clamorem inde habere debuit. Et si hæc facta fuerint; Dominus Normanniæ habuit inde quod habere debuit in illis locis, in quibus habere debuit; & barones inde habuerunt quod ad eos pertinuit in illis locis, in quibus habere debuerant.

IX.

Nulli licuit in Normannia mercatorem disturbare pro aliquo anteriori forisfacto. Et si aliquis fecit, de corpore suo fuit in misericordia Domini Normanniæ.

X.

Nulli licuit in Normannia monetam facere extra monetarias domos Rothomagenses & Bajocenses: & illam mediam argenti & ad justum pensum, scilicet VIII. solidorum in helmarc. Et si aliquis alibi fecerit monetam, vel ibi fecerit monetam falsam; de corpore suo fuit in misericordia Domini Normanniæ. Et si aliquis extra prædictas domos facere monetam, vel in prædictis domibus fecit facere falsam; terram suam & pecuniam forisfecit.

XI.

Hæc autem quæ superius scripta sunt, quia magis necessaria sunt. Remanet autem multum extra hoc scriptum de justitia monetæ & reliquis justitiis Normanniæ; sed propter hoc quod non scribitur, ut prædictus comes Robertus & VVillelmus de justitia, quam pater eorum habuit, neque barones de hoc quod habuerunt tempore regis VVillelmi. Nulli licuit pro guerra hominem capere vel redimere, nec de bello vel conflictu pecuniam portare, vel arma, vel equum ducere.

DE JUDICIO FACTO In concilio Pictaviensi de ecclesia Chahanniarum.

An. 1106. SCiendum, posterorumque memoriæ transmittendum, quod ex dono GERVASII tunc episcopi Cenomannensis habuit ecclesia S. Guingualoei ecclesiam Chahanniarum, totaque vita ejus & post usque ad tempus, quo ipsam adepti sunt fratres Majoris-monasterii, qui & eamdem

Chahanniarum ecclesiam tenuerunt libere VII. annis, quod tempus insimul computatum invenitur amplius quadraginta annis. GAUFFREDUS autem de Meduana violenter eam nobis aufferens cuidam servo suo eam dedit. Cumque super hac re multotiens episcopo Cenomannensi quererentur monachi, nihil inde redditum est eis. Tandem episcopi HILDEBERTI tempore conquerentibus monachis, ad hoc usque res perducta est, ut clerici Cenomannenses dicerent de causa hac & placitum & judicium factum esse tempore prædecessoris sui; absente tamen abbate Majoris-monasterii, & contradicente Ebrardo tunc priore S. Guingualoei. Cumque nec clerici vellent judicium ipsum dicere, nec episcopus eum retractari vellet; tandem clamore ad papam facto, jussit episcopo per litteras, ut aut de ecclesia ipsa revestiri monachos faceret, aut in præsentia Carnotensis episcopi IVONIS judicium illud retractaret, & si esset justum, perseveraret. Quod indigne ferens episcopus respondit se in coepiscopi sui præsentiam non iturum, sed de ecclesia illa nos revestiri facturum. Quod cum segnius quam deberet ageretur, accidit ad partes occiduas agendi concilii gratia legatum ecclesiæ Romanæ BRUNONEM scilicet episcopum Signinum advenire, & super hac dilatione monachos ei quæstos esse; cum autem apud Majus-monasterium episcopus Cenomanensis ei occurrisset, ostendit ei querelam illam, & jussit ut eadem controversia utrisque, monachorum scilicet atque ipsis adversantium partibus advocatis, in præsentia sua ageretur, quando ipse veniret Cenomannis. Tandem cum Cenomannis esset, præsentavit se abbas Majoris-monasterii cum monachis suis; sed & adversarius eorum Haimericus nomine adfuit cum fautoribus suis. Cum autem legatus diceret, ut quo jure teneret illam ecclesiam ostenderet; respondit se numquam inde placiturum, eo quod illam teneret per judicium in præsentia episcopi HOELLI inde factum. Legatus itaque re diligentius inquisita intellexit nullum, ut ille injustus ecclesiæ pervasor asserebat, jam dictum episcopum Hoellum super hac re definisse judicium. Diu igitur utrisque partibus inter se super hoc alter-

cantibus, tandem jussit legatus, ut monachi de illa ecclesia, qua fuerant injuste spoliati, revestirentur. Ille vero ad concilium infra quadraginta dies Pictavis futurum veniret, atque plenarium inde judicium audiret. Quorum duorum cum ille neutrum vellet facere; indignatus inobedientiæ ejus legatus judicavit, episcopo Hildeberto præsente & assentiente, nec aliquo clericorum contradicente, & judicium justum esse confirmavit: Haimericum tandem in ecclesia illa nihil habere juris: Sed ecclesiæ S. Guingualoei eam debere reddi; quæ illam ex dono Gervasii tunc episcopi Cenomanensis tamdiu, & in vita ejus, & post mortem tenuerat, ut secundum canones inde nullatenus debuisset spoliari, contestatus insuper eum contra canones & contra salutem animæ suæ fecisse quicumque inde aliud judicasset. Quæ omnia cum ille se nequaquam facturum diceret; sed cum fautoribus suis contra monachos minis ageret: respondit legatus quod eum in concilio excommunicaret, si aliter quam fuerat judicatum ageret. episcopo etiam ipsi præsentialiter imperavit, uti eum excommunicaret, si judicium illud non teneret. Insuper etiam ELIÆ comiti Cenomannensi præcepit auctoritate B. Petri, atque ab episcopo ipso fecit præcipi, ut si ille deinceps ecclesiam illam monachis violenter aufferret, comes ei per potentiam sæcularem omnimodis obviaret. Sciendum etiam quod jam dictus Bruno Romanæ Sedis Legatus sententiam suam & judicium de prædicta ecclesia in Pictavensi factum concilio confirmavit, & insuper viva voce & litteris suis sigillatis postea retromissis præfato Cenomannensium episcopo Hildeberto, ut quod de ecclesia Chahanniarum judicatum fuerat & teneret, & teneri faceret imperavit: & si ille Haimericus contra monachos pro ipsa ecclesia ulterius præsumeret; ipse eum S. Petri gladio percussum à totius Christianitatis consortio prohiberet.

JUDICIUM

JUDICIUM IN CONCILIO REMENSI SUB INNOCENTIO PAPA II. REDDITUM.

In gratiam Majoris-monasterii adversus monachos S. Jacuti.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego DONOALDUS Dei gratia Aletensis episcopus præsenti scripto notificare curavi, qualiter Majoris-monasterii monachi de consuetudine piscium quam Dominus GAUFREDUS de Dinanno eis dederat, & monachi S. Jacuti invaserant in præsentia nostra necnon & venerabilium cardinalium VVILLELMI Prænestini episcopi, JOHANNIS Cremonensis cardinalis presbyteri, GUIDONIS diaconi itidem cardinalis, ULGERII Andegavensis, HAMELINI Redonensis episcoporum, abbatum etiam ODONIS Majoris-monasterii, MAINONIS S. Jacuti, GAUFREDI Vindocinensis, PETRI S. Sergii, GUALTERII Trecensis, egerint, & ab eisdem personis ex præcepto Domini papæ INNOCENTII adjudicatum fuerit. Jussione siquidem Domini papæ cum reverentia nominandi Honorii inter præfatos monachos de ecclesiis de Dinanno concordia facta fuerat, de qua utrique parti Apostolicæ litteræ factæ & datæ sunt, quam tamen monachi S. Jacuti non tenebant. Lectis itaque concordiæ litteris, à præfatis venerabilibus cardinalibus & episcopis, Ulgerio videlicet Andegavensi, qui Romæ concordiæ factæ interfuerat, & Hamelino Redonensi adjudicatum est, ut monachi Majoris-monasterii consuetudinem piscium & omnia quæ ante concordiam habebant in perpetuum quiete possiderent, exceptis dumtaxat his quæ in concordiæ litteris monachis S. Jacuti nominatim concessa sunt, ecclesia videlicet S. Salvatoris cum cimiterio & juribus parochialibus ad eam pertinentibus in parte tantum, quæ cedit Alano. Huic definitioni & judicio, exceptis præfatis personis, interfuerunt de clericis

Gg

Alureus Turonensis archidiaconus, Hugo de Lavarzino Cenomanensis archidiaconus, Buamundus Andegavensis archidiaconus, David Aletensis archidiaconus, Rivallonius archidiaconus, Tiso Namnetensis archidiaconus, Gobio & Herveus, S. Mauricii Turonensis canonici, Johannes Lugdunensis, Richardus nepos Aletensis episcopi. De monachis Majonis-monasterii Tetbaldus de Columbis, Hugo Hospitalarius, Rainaldus de Castro-Gunterii prior Carnoti, Laurentius bajulus, Guarnerius Armarius, Bernerius Sparnonensis prior. De aliis Fromundus prior Vindocinensis, Rogerius ejusdem monasterii monachus. De laicis Paganus Camerarius, Johannes Haduise & alii plures utriusque ordinis, quos præ multitudine enumerare perlongum est. Hoc etiam nobis à Domino papa & à cardinalibus injunctum est, ut si monachi S. Jacuti contra præfinitum judicium piscium consuetudinem invadere præsumerent, de invasoribus plenariam justitiam faceremus.

Actum Remis in palatio archiepiscopi sexta feria concilii celebrati sub eximio ac reverentia digno papa Innocentio.

CONCILII REMENSIS Sub Eugenio Papa III. celebrati canones in editis prætermissi.

I.

SAnctorum Patrum vestigiis inhærentes, novis morbis nova remedia procuramus. Statuimus igitur si quis possessiones ecclesiasticas invaserit, diripuerit, vel depopulatus fuerit, vel quoquo modo distraxerit, anathema sit.

II.

Clericus qui alienis ecclesiis dominorum vel parentum suorum violentia, vel qualibet aviditate episcopi, ejusdem loci redditus acceperit; pariter ipsi & fautores sui tamdiu anathemati subjaceant, donec ecclesias & omnia quæ inde perceperint integre spoliatis restituant. Sacerdotes vero,

qui interim per ipsos in eisdem ecclesiis ministraverint, memorata pœna feriantur, & insuper degradentur.

III.

Prohibemus & modis omnibus interdicimus exactiones, & indebitas castellorum operationes fieri.

IV.

Si quis pro clericorum redemtione sciens aliquid perceperit, vel obsides eorum tenuerit vel ipsos, anathema sit. Interdicimus etiam ne sacerdotes, diaconi, subdiaconi, actores vel præpositi laicorum existant: quod si præsumserint; anathematis gladio percellantur, & deinceps à beneficio ecclesiastico cadant.

V.

Si quis clerico vel aliis ecclesiasticis personis manum injecerit, vel in carcerem, vel in vincula miserit; anathema sit, nec absolutionem mereatur, nisi mortis articulo interveniente, priusquam à Domino papa absolvatur. Locus vero in quo clericus vel ecclesiastica persona attempta fuerit, & omnia castella, & jura civitatis & villæ, quæ capientis vel tenentis fuerint; à divino officio cessent, & cum lugente lugeant.

VI.

Clerici qui excommunicatorum consiliis vel negotiis communicant, vel in domibus, vel in familia eorum conversantur; quantumlibet nobiles fuerint, tam ordinis sui quam ecclesiasticorum beneficiorum periculo subjaceant, nisi à Summo Pontifice veniam mereantur.

VII.

Prohibemus nihilominus ne divinum officium celebretur, sed nec campana pulsetur in urbe vel in castro, vel in curte ubi aliquis excommunicatus præsens fuerit.

VIII.

Qui sciens communicaverit cum excommunicato, tamquam ex nomine excommunicatus habeatur. Si vero rex communicaverit & quicumque secum venerit, præsente excommunicato, nec divinum officium celebretur, nec campana pulsetur. Quod si capellani curiæ vel sacerdotes loci celebrare præsumserint; illico ab episcopo ejusdem

loci excommunicati, & ab ordine cadentes, ecclesiasticis beneficiis careant.

IX.

Qui vero ob rapinam vel ecclesiasticarum rerum invasionem excommunicatus ad satisfactionem venerit, nec damnum resarcire poterit, antequam absolvi mereatur, sacramento astringatur, se annuatim, sicut ei injunctum fuerit, soluturum donec totum persolverit.

X.

Prohibemus omnes presbyteros ne capellariam potentium suscipiant, vel in curiis eorum amministrent, nisi per manus episcopi ejusdem dioecesis ad hoc ingrediantur, sacramento adstricti, quod episcopalibus mandatis atque præceptis per omnia obediant, excommunicatos à Domino non admittant: qui vero contra fecerit, pariter ordine & ecclesiasticis beneficiis careat.

XI.

Decrevimus ut sacerdotes, qui divina officia inhibiti nihilominus celebraverint, & ob id anathemate vincti sunt, degradentur, & bonis ecclesiasticis priventur, nisi à Domino papa veniam consequantur. Qui vero eamdem sententiam nondum passi sunt; nisi intra quadraginta dies resipuerint, eadem pœna plectentur.

XII.

Si quis episcoporum vel sacerdotum aliquem vinculo excommunicationis innodaverit; & ille metu mortis vel imminentis periculi, vel fraudendi, satisfactionem intra certum terminum promiserit; & ob hoc absolutionem meruerit: nisi intra terminum promissum solvat quod promisit; morte præventus, maneat insepultus. Si vero sine termino hoc ipsum promiserit, & intra tres menses non solverit; simili pœna tenebitur.

XIII.

Præcipimus ut quoties aliquis episcoporum confratri & coepiscopo denunciaverit, se canonicam justitiam in possessionem vel in personam alicujus exercuisse; postulans ut ille coepiscopus eamdem justitiam denunciet: aut ille illi-

co sine dilatione obtemperet, aut ordinis sui periculum incurrat.

XIV.

Interdicimus sacerdotibus capellanis ne divinum officium in munitionibus & turribus celebrare (præsumant,) postquam in aliqua ecclesia ejusdem loci prohibitum fuerit. Quod si præsumserint ab ordine & ecclesiasticis beneficiis priventur.

XV.

Prohibemus ne sacrum chrisma vel oleum contemtoribus vel excommunicatis detur. Tradatur autem cum hac observatione archidiaconis, ut episcopi de ipsis securi sint, & archidiaconi de presbyteris, quod ipsi prælatorum mandatis parituri sint.

XVI.

Statuimus etiam ut excommunicatorum corpora insepulta maneant. Qui vero in cimiterio, vel in ligno, vel in lapide, vel extra, vel infra, vel in domibus clericorum posuerit: à sacerdote illius loci excommunicetur; nec nisi ab episcopo illius provinciæ solvatur, unius anni pœnitentia corrigendus. Si vero corpora nominatim excommunicatorum in cimiteriis sepulta fuerint; inde extrahantur: quod universi episcopi provideant, ut hæc maxime effectui mancipentur, ne alia pro aliis asportentur.

XVII.

Qui ab episcopis anathematis sententia, &c. *ut in editis, demptis quinto, nono, duodecimo & decimo tertio canonibus, qui in hoc nostro codice desiderantur in cujus fine additur iste*

Officium simoniacorum & in fornicatione jacentium scienter nullo modo recipiatis, & in quantum poteritis à sacris ministeriis prohibeatis.

CONCILII TURONENSIS Sub Alexandro Papa III. celebrati canones in editis prætermissi.

I.

DEcrevimus, ut laici ecclesiastica terminare negotia non præsumant. Episcopi, abbates & alii ecclesiasticorum prælati de negotiis, quæ spiritualia esse noscuntur, aliquorum laicorum judicio non disponant, nec propter eorum prohibitionem ecclesiasticam dimittant exercere justitiam.

II.

Hoc autem sanctorum Patrum consona definitione scimus, ut in eos qui ad cimiterium vel ecclesiam confugiunt, nullus audeat manus mittere. Quod si quis fecerit, anathema sit.

III.

Præcipimus, ut si qui clerici ecclesiarum vestrarum fratribus Hospitalibus cum licentia sui prælati, sponte ac gratis per annum vel per biennium servire decreverint; nequaquam impediantur; & interim sua beneficia ecclesiastica & redditus, si quos habuerint, non amittant.

IV.

Si quis sacerdos vel clericus ecclesiam vel ecclesiasticum habens officium, publice fornicariam habeat: si semel, secundo, & tertio commonitus eam non dimiserit, & à se prorsus non expulerit; sed potius in immunditia duxerit persistendum: officio omni & ecclesiastico privetur beneficio.

V.

Secundum statuta prædecessorum nostrorum decernimus, ne monachi vel clerici causa lucri negociationem inhonestam exerceant; & ne monachi à clericis vel à laicis firmam teneant, neque ecclesiam laici vel ecclesiastica beneficia ad firmam teneant.

VI.

Illud etiam in vicariis, qui personis fide & sacramento sunt obligati, duximus statuendum, quod si fidei & sacramenti religione contemta, personarum sibi falso assumentes, contra personas se erexerint, & super hoc in jure convicti fuerint: de cetero in eo episcopatu ad officii sui executionem non admittantur.

VII.

Ut nemo presbyterorum exenium vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spirituale à quocumque publice peccante vel incœstuoso accipiat, ut episcopo vel ministris ejus peccatum illud retineat. Nec pro respectu cujuscumque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc episcopo innotescere detractet, nec à quoquam pœnitente aut gratia aut favore munus suscipere præsumat, vel minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei reconciliationis testimonium ferat; vel quocumque livore alium quemlibet digne pœnitentem à reconciliatione removeat. Hoc enim simoniacum à Deo & hominibus cognitum est.

VIII.

Innovamus autem, ut presbyteri, clerici, monachi, conversi, peregrini, mercatores, rustici euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia quibus arant, & quæ semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur, nec quisquam alicui novas pedagiorum exactiones sine auctoritate & consensu regum aut principum statuere aut statutas de novo tenere aut veteres attemptare aliquo modo præsumant. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non destiterit; donec satisfecerit communione careat.

Concil. Later. can. 22.

IX.

Quod à prædecessore nostro felicis memoriæ Innocentio papa factum est, innovantes; Ordinationes ab Octaviano & Guidone hæresiarchis & Johanne Strumensi, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus. Adjicientes etiam, ut qui dignitates ecclesiasticas seu beneficia per prædictos schismaticos receperint, careant impetratis. Alienationes seu invasiones quæ per

Concil. Later. can. 2.

eosdem schismaticos sive per laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad ecclesiam sine omni onere revertantur. Si quis autem contraire præsumserit; excommunicationi se noverit subjacere. Illos autem qui sponte juramentum de tenendo schismate præstiterint sacris Ordinibus & dignitatibus decrevimus manere suspensos.

CONCILIUM ROTHOMAGENSE
Anno M. CC. XXIII. celebratum.

ANno M. CC. XXIII. residente gloriosissimo papa (Honorio) regnante invictissimo rege Francorum Philippo, VI. Calendas Aprilis celebratum est concilium provinciale, in sede Rothomagensi residente venerabili Patre Th. Rothomagensi archiepiscopo, præsentibus omnibus suffraganeis suis, præterquam Domino Constanciensi, legitime excusato, & abbatibus quam plurimis & multis aliis bonis viris discretis, in quo statuta sunt capitula subscripta & coram omnibus recitata.

I.

Desiderantes invenire per singulas diœceses quod commendare debeamus, non quod teneamur emendare, auctoritate sacri concilii Lateranensis & hujus sedis Rothomagensis, à suffraganeis nostris, sicut à nobis, hæc potissimum volumus observari quæ in ipso concilio constituta noscuntur, & eorum contingunt officia, & à nobis sub quadam brevitate sunt collecta., ne ipsorum, quod absit, negligentiam seu defectus, licet invitos, opporteat nos supplere. Videlicet ut per singulas diœceses idoneæ statuantur personæ, quæ simplici & de plano investigent, quæ correctione vel reformatione digna sunt, & ea referant in concilio subsequenti.

II.

Singuli episcopi viros idoneos ad officium prædicationis assumant, quatenus per totos episcopatus sanctæ prædicationis rota discurrat.

III.

III.

Singuli episcopi excessus canonicorum ecclesiæ cathedralis corrigant, si eadem capitulum debuerit, & monitum neglexerit emendare.

IV.

Singuli suffraganei nostri subjecta sibi monasteria studeant reformare, & per censuram ecclesiasticam advocatos, patronos, milites, seu quoslibet alios compescant, ne in personis aut rebus offendant monasteria; & si forsitan offenderint, ad satisfactionem compellere.

V.

Districtius inhibemus ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere permittatur: nec unus abbas pluribus monasteriis præsidere.

VI.

Clerici qui deprehensi fuerint vitio incontinentiæ laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur. Et si quis hac de causa suspensus divina celebrare præsumserit, ab ecclesiasticis beneficiis suspendatur, & perpetuo deponatur.

VII.

Constitutiones quoque contra crapulam, & ebrietatem, & negotiatores clericos, & inordinate se habentes in divinis officiis editæ, nec non & constitutio de honestate & ornatu ipsorum firmiter observentur: ita quod si Decani & Capitula, monitione præmissa, eam non fecerint à singulis de Capitulo observari; ipsi episcopi singulos ad observationem eorum compellere non postponant.

VIII.

Adhuc observari mandamus, ut honestas ecclesiarum in ornamentis, & vasis, & custodia chrismatis & eucharistiæ diligenter per ipsos observari mandetur. Et de sacerdotibus qui negligens fuerit, puniatur.

IX.

De confessione vero facienda proprio sacerdoti vel alicui alii de ipsius licentia, & de pœna subditorum, qui hæc neglexerint adimplere, de celanda confessione, & de pœna

illius, qui sigillum confessionis infregerit, sicut statutum est, executioni diligenter mandetur.

X.

Tam in cathedralibus quam in conventualibus ecclesiis viri idonei ordinentur, quos episcopi possint habere coadjutores & cooperatores in prædicationibus, & audiendis confessionibus, & in ceteris quæ ad salutem pertinent animarum.

XI.

Episcopi quoque tales ad sacros Ordines promoveant; qui commissum sibi officium digne valeant adimplere; quoniam si ignaros & rudes ordinare præsumserint; & ordinatores & ordinati graviter puniri jubentur.

XII.

Ad ecclesiastica quoque beneficia, prætermissis indignis, assumantur idonei, qui Deo & ecclesiæ velint & valeant gratum impendere famulatum, nec aliquis in hoc inveniatur culpabilis, ne per provinciale concilium à conferendis beneficiis suspendatur.

XIII.

Item filii canonicorum & maxime spurii non canonicentur in ecclesiis sæcularibus, in quibus instituti sunt patres eorum. Ne qui hoc fecerit, à suis beneficiis suspendatur.

XIV.

Laici qui de mortuariis & aliis, quæ juri spirituali sunt annexa, se præsumunt intromittere, per censuram ecclesiasticam compescantur.

XV.

Illam etiam constitutionem cum omni diligentia observari volumus & mandamus, quæ sub pœna definita prohibet, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam promulgare præsumat, nisi præsentibus personis idoneis, monitionem præmiserit competentem: nec causa cupiditatis aliquis audeat vinculo innodare, vel innodatum absolvere.

XVI.

Pœnam quoque constitutam infligi præcipimus facienti-

bus clandeſtina conjugia, nec non presbytero parrochiali, qui tales conjunctiones prohibere contemſerit, aut eiſdem præſumſerit intereſſe.

XVII.

Decimæ quoque per diſtrictionem eccleſiaſticam ſolvantur, quæ debentur lege divina, vel loci conſuetudine approbata, & ſolutionem campartorum præcedat ſolutio decimarum, vel ſaltem qui camparta percipiunt, ea decimare cogantur.

XVIII.

Omnes cujuſcumque Ordinis regulares de terris alienis & de acquiſitis poſt Lateranenſe concilium, illis eccleſiis ſolvere compellantur, quibus antea ratione prædiorum ſolvebantur, niſi cum ipſis eccleſiis aliter compoſuerint.

XIX.

Si quis religioſus abſque abbatis vel majori parte capituli licentia pro aliquo fide jubeat, vel mutuum faciat ultra ſummam præfinitam; non ſolvantur à conventu, niſi in utilitatem domus conſtiterit redundaſſe.

CONCILIUM PROVINCIALE
Celebratum Rothomagi anno gratiæ M. CC. XXXI. ſub Mauritio Archiepiſcopo & ejus ſuffraganeis.

I.

STatuimus ut prior non conventualis ultra ſummam LX. ſolidorum ab aliquo ſine licentia ſui abbatis, vel epiſcopi ſui, ſi remotus fuerit abbas, mutuo pecuniam, accipiat, quod ſi forte fecerit abjiciatur à prioratu, nec denuo prioratum valeat adipiſci, quouſque per provinciale concilium fuerit reſtitutus, niſi forte prioratus ita abundet in redditibus, quod priori ultra dictam ſummam accipere mutuo ſit neceſſe; & tunc ultra ſummam centum ſolidorum etiam accipere non præſumat. Eidem pœnæ ſubjaceat prior, qui quantamcumque ſummam pecuniæ mutuo recepit à Judæis. Abbas autem qui ſine licentia epiſcopi ſui à Judæo pecu-

niam receperit mutuo; suspendatur, nec nisi per provinciale concilium relaxetur.

II.

Statuimus etiam ut abbates, & priores, & alii obedientiarii, de singulis proventibus, & redditibus, & expensis, singulis annis diligenter computent in capitulo quater in anno ad minus, & status tam abbatiarum quam prioratuum à claustralibus cognoscatur, & compotus redigatur in scriptis, ita quod conventus penes se retineat unum scriptum & abbas aliud.

III.

Nullus abbas mutuo recipiat pecuniam sine capituli sui vel majoris & sanioris partis capituli licentia, ultra summam ab episcopo suo taxandam secundum monasterii sui facultates; qui contra fecerit, per episcopum suum puniatur.

IV.

Propter scandala quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris ne aliquod depositum recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, maxime arcas clericorum vel etiam laicorum causa custodiæ apud se minime deponi permittant. Pueri & puellæ qui ibi solent nutriri & instrui penitus repellantur. Omnes communiter comedant in refectorio, & in dormitorio dormiant solitarie. Cameræ monialium omnes destruantur nisi aliqua per inspectionem episcopi intra retineatur ad infirmariam faciendam, vel alia de causa quæ episcopo necessaria videatur.

V.

Item moniales nullatenus exire permittantur vel extra pernoctare, nisi forte ex magna causa & raro: Et abbatissis injungatur ne aliter egredi permittant moniales. Et si aliquando abbatissa ex justa causa alicui permittat: eidem injungatur quod sine mora revertatur, & det ei sociam, non ad voluntatem suam, sed quam viderit expedire.

VI.

Ostia suspecta & superflua obstruantur. Circa hoc au-

tem episcopi diligentiam adhibeant & curam per se & per ministros suos ; & vitas & conversationes earum taliter restringant, quod per eorum diligentiam scandala quæ de earum vita in præsenti proveniunt sopiantur.

VII.

Statuimus, ut omnes judices tam ordinarii quam ab ordinario delegati temperent se & refrænent à generalibus excommunicationibus ; nec in generali participantes excommunicent ubi communicaverunt in crimine relinquenti.

VIII.

Statuimus, ut in locis sive prioratibus, ubi congregatio conventualis solet esse, si facultates ecclesiæ suppetant illius ; conventus restauretur ibidem.

IX.

Monemus abbates & priores conventuales, quod tot factores in abbatiis & prioratibus suis instituant, si ad hoc facultates eorum sufficiant, quot ibi solent deservire, & ne pensionem nec censum ab eis exigant, quem non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex juxta causa à suo episcopo permittatur.

X.

Statuimus, quod clerici ribaudi, maxime qui dicuntur de familia Asoliæ, per episcopos, archidiaconos, officiales, rectores Christianitatis tonderi præcipiantur, vel etiam radi ; ita quod eis tonsura non remaneat clericalis ; ita tamen quod sine scandalo & periculo ista fiant.

XI.

Statuimus, ut ille ad quem unius vel plurium judicum mandatum dirigitur, sive de citatione facienda, sive de aliquo alio faciendo, non faciat quod mandant, nisi in ipso mandato contineatur expresse, & designentur nomina judicum, locorum, diœcesis, & personarum, & nisi exhibeatur auctenticum, vel cujus auctoritate procedit auctenticum, vel auctentici transcriptum sub sigillis auctenticis & notis : & ne citatores à judicibus contra prædictam formam mandatum eorum exequi compellantur, ad Sedem Apostolicam appellent.

XII.

Prohibemus, ne aliquis clericus ab aliquo, quam à suo episcopo se faciat ordinari, nisi super hoc diocesani sui litteras habuerit speciales vel licentiam.

XIII.

Præcipimus, ut concubinæ presbyterorum, quæ super hoc de cetero confessæ fuerint, vel convictæ, vel diffamatæ, super hoc non poterunt se purgare, publice in ecclesia die Dominico vel alio solemni die coram populo tondeantur, aliam pœnitentiam competentem pro peccato hujusmodi suscepturæ: & si quæ fuerint inventæ rebelles; per excommunicationis sententiam ad hoc, si necesse fuerit, compellantur.

XIV.

Nullus audeat missam bis in die celebrare aut cum duplici Introitu, nisi in humana necessitate, scilicet humano corpore præsente, in die Dominico, vel alio solemni, in die Natalis Domini, in die Paschæ, & hoc ubi non est nisi unus sacerdos. Celebraturus quoque missam secundam vinum perfusionis non sumat, sed ministro habenti bonam conscientiam conferat.

XV.

Prohibemus, ne aliquis archidiaconus, seu rector ruralis, sive monachus, vel quicumque alius, cognoscat de causis matrimonialibus, nisi super hoc privilegium Sedis Apostolicæ habeat, vel ab antiquo sic fuerit consuetum; sed cum in eorum auditorio talis quæstio devenerit eam episcopo loci; vel ejus officiali, sine moræ dispendio studeant nuntiare, partes ad ipsorum examen competenti termino remittentes.

XVI.

Prohibeant sacerdotes sub pœna excommunicationis choreas duci in cimiterio vel in ecclesiis: moneant etiam ne alibi fiant.

XVII.

Prohibeant similiter, ne vigiliæ fiant in ecclesiis, nisi in festo illius ecclesiæ sancti.

XVIII.

Nullus laicus de novo ædificare in cimiterio permittatur, nec domus aliqua, si destructa fuerit, per annum & diem durante ruina reædificetur ibidem; nec fimus vel immunditiæ aliquæ in cimiterio adunentur.

XIX.

Clerici beneficiati, seu in sacris Ordinibus constituti, non sint advocati pro precio seu in fraude precii in curia laicali, nec loco laicorum curiam teneant, nec ballistris eorum seu aliorum illicitis præficiantur.

XX.

Nullus autem sacerdos curam animarum habens ecclesiam ad firmam recipiat, nec etiam sacerdos curam animarum habens, nisi habeat perpetuum vicarium, in quo casu non recipiat nisi de episcopi sui licentia speciali.

XXI.

Statuimus quod condonati cujuslibet domus religiosæ aliquod signum portent ad arbitrium episcopi, & religioni congruentia indumenta; ut per hoc distinguantur ab aliis, & sicut religiosi ab ecclesia deffendantur, & ad faciendum per suos presbyteros compellantur.

XXII.

Districte præcipitur ne sacerdotes magnos cultellos cum cuspide, enses, gladios, vel lanceas portent, nec clerici sacerdotum, vel alii in sacris Ordinibus constituti, nisi justa causa timoris.

XXIII.

Præcipimus ne laici testamenta sua ordinent per manum laicalem, & ipsis prohibeant frequenter sacerdotes, ne testamenta sua faciant, nisi necessitate, sine præsentia sacerdotis; maxime cum in Normannia talis consuetudo existat.

XXIV.

Jurabunt officiales, & qui demandatam ab episcopis vel Officialibus jurisdictionem suscipiunt, quod munus & donum non recipiant, nisi exenia tam modica, propter quæ præsumi non debeant, quod judicum animus à tramite ju-

ſtitiæ debeat deviare, nec exenia hujuſmodi frequenter recipiant ab eodem.

XXV.

Inhibemus ne monachi vel aliæ perſonæ eccleſiaſticæ quod cauſis, quæ tantum conſueverunt tractari in foro eccleſiæ, deponant querimoniam coram judice ſeculari, niſi ab epiſcopo ſuo ſupra licentiam habuerint ſpecialem.

XXVI.

Statuimus ut decanatus ab epiſcopis vel archidiaconis non vendantur, ſeu ad firmam tradantur, ſed gratis de cetero concedantur: ita quod de emendis ſuperioribus jurati fideliter reſpondebunt, deductis propriis expenſis, quas ipſi decani neceſſario facient propter officium decanatus.

XXVII.

Item firmiter inhibemus, quod ſi partes litigantes coram epiſcopis, ſeu archidiaconis, vel decanis ruralibus tranſigant, vel componant; neutra pars prætextu alicujus conſuetudinis, eundem judicem propter hoc minime perſolvere teneatur.

XXVIII.

Item præcipimus quod cauſæ eccleſiaſticæ coram decanis ruralibus & coram quocumque judice eccleſiaſtico ſecundum jura eccleſiaſtica tractentur, & non per modum curiæ ſecularis.

XXIX.

Qui cruce ſignati ſunt, ultra annum & diem ab eccleſia nullatenus deffendantur, niſi pro ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ vel legati paſſagium interdicatur, vel in diem prorogetur, vel ex alia juſta cauſa & evidenti eos oporteat remanere. Hoc idem & de cruce ſignandis ſtatuimus obſervandum.

XXX.

Volumus & præcipimus quod judices ſeculares, qui clericos in aliquo facinore deprehenſos, carceri mancipatos, ſi ab eccleſiaſtico judice requiſiti eos reddere contradicant, extunc excommunicati à ſummo judice promulgentur, nec in ipſis capiendis amplius violentia capientium extendatur, quam defenſio vel rebellio exegerit clericorum: & cum

& cum captos eos tenuerint, ecclesiastico judici scilicet episcopo vel officiali seu archidiacono, vel diacono loci sine moræ dispendio denuntiare procurent.

XXXI.

Præcipimus ut clerici, qui habent perpetuos vicarios in ecclesiis suis, si sint docibiles, studeant principaliter in Theologia, nisi justa & rationabili causa episcopus suus cum eis aliter duxerit dispensandum, & nisi sint in sacris Ordinibus constituti, ad sacros Ordines promoveantur. Illi autem de quibus merito præsumendum sit, quod in studio proficere non debeant, ordinentur & in suis ecclesiis deserviant in ordine sacerdotali, si de eorum & vicariorum extiterit voluntate, vel alibi in eodem ordine Domino studeant deservire.

XXXII.

Statuimus quod vicario perpetuo cedente vel decedente, vicariam accrescat personatui, & ex tunc persona illius ecclesiæ non per vicarium, sed per scriptum illi ecclesiæ in ordine quam ipsius ecclesiæ cura requirit.

XXXIII.

Statuimus etiam quod quando ecclesia vacaverit; si talis sit ecclesia, quod officiari possit per unum sacerdotem & clericum, ille qui tempore vacationis deserviet illi ecclesiæ, habeat xv. libras Turonenses ad minus per annum; si vero talis sit, quod duorum indigeat officio sacerdotum, xxij. libras Turonenses & dimidiam habeant per annum de proventibus ejusdem ecclesiæ.

XXXIV.

Statuimus etiam quod illud idem in ecclesiis non vacantibus observetur, cum forte personæ earumdem absentes fuerint de episcoporum suorum licentia speciali: hoc idem intelligimus de omnibus ecclesiis, ubi vicarius fuerit institutus.

XXXV.

Præcipimus quod personæ ecclesiarum parrochialium, qui habent redditus abundantes, domos in solo ecclesiastico ædificare studeant competentes. Vicarii vero perpetui, quibus ad hoc omnino non suppetunt facultates, pro

posse suo ad hoc laborent, ut à personis suis juventur secundum portionem, quam in eisdem percipiunt annuatim. Si vero terram non habeant, ubi vicarius sine persona ædificare possit commode, patronus clericus qui in eadem ecclesia aliquam partem percipiet decimarum seu proventuum aliorum, si ad hoc faciendum terram habeat congruentem, ad ædificium construendum dare quantum opus fuerit compellatur.

XXXVI.

Nullus diaconus eucharistiam det infirmis, vel confessiones audiat, vel baptiset, nisi cum sacerdos absens fuerit: ita quod ejus adventus commode expectari non possit, vel idem presbyter gravi infirmitate vel alio incurabili impedimento fuerit impeditus.

XXXVII.

Prohibemus districte ne presbyteri, seu priores forenses, mulieres aliquas habeant in suis domibus residentes, nisi matrem, vel aliam, quæ tantæ sit ætatis, quod mala suspicio de ea non possit suboriri.

XXXVIII.

Prohibemus etiam ne sacerdotes in generali excommunicent, nisi pro furtis, & de perditis in eadem parrochia; & tunc trina vocatione præmissa.

XXXIX.

Omnes monachi, qui solitarie vivunt in aliquibus locis, ad claustrum à suis abbatibus revocentur, nisi prioratus sic abundet, quod sufficiat ad duos monachos sustentandos, & in hoc casu abbates duos monachos ibidem ponere compellantur.

XL.

Statutum ab abbatibus nigri Ordinis & in eorum concilio super esu carnium & jejuniis promulgatum confirmamus, & præcipimus observari.

XLI.

Monachi vestes non deferant sumptuosas, sed viles, secundum quod in eorum Regula continetur; & hoc episcopi præcipiant abbatibus in sua diœcesi constitutis, ut

monachos suos ad id faciendum compellant, & in se studeant observare.

XLII.

Episcopi ut moniales vivant sine proprio curam adhibeant diligenter, ne se possint excusare pretextu alicujus paupertatis.

XLIII.

Statuimus ne aliquis monachus det aliquid abbati suo pro prioratu habendo, & abbas propter hoc recipere non præsumat.

XLIV.

Monachos ad institutionem aliquam prioratum non habentes, nec aliquid aliud ad firmam ab abbate recipere, vel à quolibet alio prohibemus.

XLV.

Nullus abbas nigri ordinis monachum recipiat Cisterciensis ordinis qui possessionem fecerit in ordine memorato.

XLVI.

Statuimus ut antiquæ pensiones quæ à prioratibus monasteriis solvebantur, quatenus per abbatem vel monasterium à XL. annis & infra fuerint augmentatæ, vel de novo impositæ penitus revocentur, & eas augmentari de cetero prohibemus.

XLVII.

Auctoritate hujus provincialis concilii prohibemus ne clerici beneficiati, seu presbyteri, vel aliqui religionis aliquam exerceant negotiationem: si quis autem tale præsumserit; secundum qualitatem delicti puniatur.

XLVIII.

Jurabit autem unusquisque advocatus, se fideliter facturum officium suum; & quod injustas causas seu desperatas contra conscientiam suam non sustinebit, nec instrumenta partis adversæ subtrahet vel subtrahi faciet, nec exceptionibus falsis, quod sciat, seu per malitiam excogitatis utetur, nec procurabit quod falsitates vel subortiari, seu falsa instrumenta in causa sua producantur; & quod causam clientuli sui quantum credet, quod faciat ad utilitatem

ipsius clientuli, non prorogabit: & quod de eis quæ in curia facta fuerint, de quibus à judicibus requisitus fuerit, veritatem secundum credulitatem suam non tacebit: quod si se crediderit insufficientem deffensioni causæ suæ, cum peritioribus concilium habebit: & quod libellum & acta in causis susceptis fideliter pro posse suo conficiet manu propria, vel ea si scribere nesciverit vel noluerit scribi faciet.

XLIX.

Nullus monachus seu canonicus regularis jus patronatus vel decimam recipiat à laico, seu pensionem alicujus ecclesiæ auctoritate propria intrare præsumat: nec canonicum ibi ponat, ubi consuevit esse presbyter sæcularis, nisi de diœcesani sui licentia speciali.

L.

Cum contingat interdum quasdam excommunicationes generales ab abbatibus in suo monacho promulgari; sicut evenit aliquando, quod abbas excommunicat omnes illos, qui in claustro alio fuerint allocuti, vel qui sine licentia monasterium exierit, vel consilia fecerit in quibus monachi facile transgressores existunt; propter quod etiam frequenter accidit quod multi monachi in excommunicationem excidunt, nec non aliquotiens irregularitates incurrunt: statuimus ut nullus abbas de cetero inconsulto diœcesano suo tales excommunicationes generales promulgare præsumat.

LI.

Aliqua necessaria causa moti infra XVIII. annum aliquem in monachum recipi prohibemus.

LII.

Præcipimus ut juxta statuta generalis concilii Judæi omni qualitate habitus à Christianis disjungantur, & signa deferre manifesta in pectore compellantur: Christiani vero sive Christianæ eisdem non serviant: Ad hoc per censuram ecclesiasticam compellantur.

EXPLICIT CONCILIUM.

STATUTA SYNODALIA

ECCLESIÆ CONSTATIENSIS IN NORMANNIA, circa tempora concilii Lateranensis edita.

CAPUT I.

QUONIAM propter indevotiones, ut non dicamus derisiones, quorumdam ad synodum venientium, novimus in populo retro actis sæpe temporibus scandala suborta fuisse, ut propter casus consimiles ministerium nostrum; qui quasi signum ad sagittam sumus positi, inter laicos non vilescat; jubemus ut sacerdotes & alii clerici eundo & redeundo, cum devotione & humilitate, in gestu, & habitu exhibeant se modestos. Jejuni statim post pulsationem campanæ grossæ intrent synodum, & superliciis cum stolis presbyteri & superliciis beneficiati, ceteri singuli juxta suum ordinem tonsuram congruam deferentes.

CAPUT II.

De Peregrinationibus.

PRæcipimus districte ne aliqui recedant à diœcesi causa morandi vel peregrinandi sine nostra licentia, sive sint abbates, sive priores, sive alii. Et si majores eos vocaverint ad se, non recedant, nisi autoritate nostra: alioquin revertentes non admittemus.

CAPUT III.

De Prioribus.

QUoniam vero quidam prioratibus deputati, non eis quæ Dei sunt intendentes, nec bona prioratuum, prout debuerant expendentes; sed avaritiæ & cupiditati intendentes; præcipimus districte sub pœna excommunicationis, ut bona prioratibus collata in ipsis prioratibus expendant, hospitalitatem, prout locorum facultates potuerint, facientes, & in pias causas erogantes, ut devotio populorum erga domos religiosas augeatur, alioquin ipsos administrationibus sibi collatis spoliabimus.

CAPUT IV.

De Vicariis.

VIcarias sufficientes jam dudum præcepimus assignari, videlicet quindecim Libras Turonenses. Licet autem perpetui vicarii non constituantur post concilium, sed pro tempore constituantur, videlicet quia eis damus licentiam in scholis manendi vel peregrinandi, vel quia inpotentes sunt ad deserviendum; volumus tamen ut eis vicariis quindecim Librarum (reditus) assignetur, & hoc authoritate nostra, ne ecclesiæ fiant: ita quod si reversus de scholis vel de peregrinatione sua voluerit in propria persona deservire, pro tempore substituto satisfaciat competenter.

CAPUT V.

De Vicariis à nobis assignatis.

VIcarias vero à nobis assignatas nullus autoritate sua studeat diminuere; & qui sine autoritate nostra eas diminuerit, vel institutos à nobis in fraudem assignationis

nostræ, vel constitutionis consilii, autoritate quarumcumque litterarum eos molestaverit; illos excommunicabimus, etiam occasione pensionis antiquitus ibi perceptæ.

CAPUT VI.

Ne ecclesiæ vel capellæ sine servitio remaneant.

QUia vero obtentu liberalitatis à nobis & ab ecclesia nostra abbatiis & locis religiosis factæ, non debent esse capellæ, vel ecclesiæ sine servitio remanere; præcipimus ut absque molestia & contradictione ecclesiis & capellis presbyteros secundum formam prætaxatam assignent, nec nos & ipsos permittant auctoritate Domini papæ, vel alterius molestari; alioquin propter ingratitudinem bonis suis collatis, meritis suis exigentibus, eos privabimus, non obstante si dicant quod omnes reditus ad ecclesias sibi pertinentes vel capellas ab antiquo sunt eis appropriati.

CAPUT VII.

Quod abbates & personæ non exigant juramentum ab illis quos præsentant.

DIstricte præcipimus ne abbates & personæ juramentum exigant à clericis antequam eos præsentent, nec de augmentandis pensionibus nec quod contenti erunt eo ad quod præsentant eos. Similiter ne clerici eis faciant juramentum ante præsentationem sub anathemate prohibemus.

CAPUT VIII.

De Monachis.

STatutum de monachis, ut non minus tribus alicubi ponantur, ad Regulares canonicos extendi declaramus, ubi facultates sufficiunt.

CAPUT IX.

De Eleemoynis ecclesiarum.

SImiliter prohibemus ne aliqui eleemosynas ecclesiarum auctoritate propria occupent, nec eas ad laicos feodent, & ne ecclesiæ, quæ dicuntur ad unum usum collatæ, videlicet ad luminare sive presbyteratum sive auctoritate nostra audeant ad alium usum convertere. Si quis autem presbyter cupiditate ductus, scilicet pro pecunia, vel pro filiis, vel nepotibus, ut inde feodent, hoc vel istud facere visus fuerit, beneficio se noverit cariturum.

CAPUT X.

De domibus leprosorum, & infirmis.

ITem præcipimus ut quælibet abbatia domum habeat juxta muros ad leprosum ponendum, ubi si forte contigerit, ita non extra, nisi in loco religioso, quia & domus inde vilescit, & per hoc mutua fraternitas erga ipsum amittitur. Præterea circa curam infirmantium & debilium operam adhibeant diligentem, ita quod si vacat secundum loci facultatem juxta cujuscumque debilitatem vel infirmitatem omnia eis necessaria provideantur. Quoniam vero omne quod non est ex fide peccatum est, & tempus non minuit peccatum, sed auget; excommunicamus omnes religiosos, qui scienter sine auctoritate hujus ecclesiæ pensiones in ecclesiis percipiunt.

CAPUT XI.

Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

ITem districte præcipimus, ne presbyteri, vel clerici, sive monachi, placita laicorum pertractent, & firmas eorum teneant, nec in rebus eorum procuratores existant,

& ne

& ne assisias sectentur, nisi propter domorum suarum emergentes, & suas necessitates. Sacris enim Dei sacerdotes debent vacare assidue. Quod si contra fecerint, & propter hoc molestiam perpessi fuerint sive de patrimonio, sive de rebus suis; eis ab ecclesia non subvenietur, cum sit indignum eis ab ecclesia subveniri, per quos constat in ecclesia scandalum generari.

CAPUT XII.

De decimis trahendis ad firmam.

ITem districte præcipimus, ne abbates, vel monachi, vel canonici regulares accipiant ad firmam decimas, quarum sunt patroni, sive ad unum, sive ad duos annos, sive ad vitam illius qui decimas habet. Prohibemus etiam sub pœna excommunicationis, ne decimæ laicis personis vel alicui de familia eorum tradantur, vel illis, qui inde in posterum possent ecclesiam molestare occasione hujusmodi. Similiter ne præpositis ipsorum aut aliquibus extra jurisdictionem nostram commorantibus. Similiter nec laicis maxime balliviam habentibus.

CAPUT XIII.

De oneribus ecclesiarum.

ITem statuimus ut religiosi & alii qui in ecclesiis aliquid percipiunt, onera episcopalia & archidiaconalia sustineant, & ad reædificationem ecclesiarum secundum ordinationem nostram, & archidiaconorum subministrent, non obstante si dicant, quod numquam ad hoc aliquid posuerunt.

CAPUT XIV.

De computationibus faciendis abbatiis.

QUia vero utilitatibus domorum religiosarum providere cupimus, ut debemus, & ne bona ipsarum prodigere, & in usus pravos expendantur, & murmurationes de claustris removeri; statuimus ut in qualibet abbatia abbas & baillivus quater in anno reddant compotum de redditibus & expensis coram conventu terminis assignatis: ita quod scriptum redituum & expensarum in scriptis redigatur, & in quolibet termino scriptum de expensis anni habeat tam abbas quam conventus, sigillo abbatis & sigillo conventus sigillatum, & nobis in fine anni vel attornatis à nobis tam de expensis, quam de reditibus respondeant.

CAPUT XV.

Item de prioribus.

IDem dicimus de prioribus, quod de reditibus sibi deputatis, & de expensis quater in anno coram fratribus, si ibi fuerint, & coram attornato à nobis computent, & in fine anni coram nobis respondeant.

CAPUT XVI.

Ne numerus monachorum diminuatur.

ITem cum temporibus nostris cultus divinus non debeat diminui sed potius augeri; præcipimus ne in prioratibus numerus monachorum, qui ibi debent servire, diminuatur vel annulletur; cum facultates ecclesiæ non sint diminutæ,

alioquin bona prioratuum in manu nostra detinemus. Similiter præcipimus quod abbates prioribus suis socios dent competentes, qui sint bonæ vitæ & conversationis honestæ, per quos divinum servitium possit celebrari. Item præcipimus ut abbates & priores à nobis constituti nobis confiteantur, vel de licentia nostra sibi providum & discretum eligant confessorem. Ita enim Dominus papa constituit [a]. Similiter presbyter confessoribus à nobis attornatis saltem semel in anno confiteantur.

[a] Occasione hujus pontificiæ constitutionis abbates & alii exempti obtinuerunt postea licentiam seu permissionem eligendi sibi confessorem, ne ab episcopis hac in re vexarentur, aut ab eis pendere viderentur. Hujusmodi licentiam habemus pro abbate Vindocinensi & pro canonicis S. Martini Turonensis.

CAPUT XVII.

Quid presbyteri debent facere quando ad synodum veniunt, & quo debent uti.

QUando autem vos presbyteri ad synodum venire debetis, die Dominica præcedente publice inquiratis in parrochia, si qui sint infirmi, & eos ea die vel sequenti feria, vel antequam iter arripiatis, & non requisiti visitetis eos; & quodcumque fuerit necessarium ad salutem animarum faciatis; dummodo prius confessi fuerint: non tamen omittentes provisionem, quam per vicinos sacerdotes facere consuevistis in vicinis parrochiis remanentes: Et hoc dicimus de illis qui secum non habent presbyteros: Quia vero nullus alicui potest committere curam animarum, nisi episcopus, vel qui fungitur vice ejus; unde nec potest absolvere, nec pœnitentiam injungere; concedimus & damus potestatem presbyteris illis, qui sunt cum aliis, qui curam animarum habent, dummodo sint bonæ opinionis & honestæ conversationis, & notum sit de ordinatione ipsorum, quod loco ipsorum, cum necessarium fuerit, parrochianos absolvant, & eis pœnitentiam injungant, ne possit dici de illis: *curabant contritionem populi mei dicentes pax, pax, pax, & non erat pax*; & ne inde possint

culpabiles inveniri. Præterea præcipimus ut eos omnes confessare procurent loco & tempore competenti.

CAPUT XVIII.

De habitu presbyterorum.

ITem præcipimus vobis, ut eundo, morando, parrochias vestras circumeundo, habitum honestum, tam in tonsura, quam in veste habeatis, ne status vester vertatur in opprobrium populo, prout concilio Lateranensi de vestimentorum habitu determinatur: videlicet ut clausa habeatis desuper indumenta, nimia brevitate vel nimia longitudine non notanda: Unde reprehendimus presbyteros, qui per parrochias vadunt in supertunicalibus apertis, nimia brevitate notandis, & in sigaudis, & etiam in habitu tali coram nobis venire non formidant; in quo habitu potius videntur albalestrii, vel pugiles, quam clerici vel presbyteri. Si tamen oporteat eos equitare, possunt super tunicalia sub clausa capa habere aperta; sed in aperto clausa deferant. Qui autem de cetero transgressor hujus constitutionis extiterit; vestis aperta portata in publico pauperibus erogetur; Et hoc præcipimus executioni mandari.

CAPUT XIX.

Ut leprosi clausas capas desuper ferant.

ITem præcipimus de leprosis, scilicet quod capas clausas desuper ferant, ut à sanis possint discerni, ne misceant se communicationi sanorum.

CAPUT XX.

De Tabernis.

ITem præcipimus ut abstineatis à tabernis, & omnes quibus in taberna injuria facta fuerit, eos super hoc non audiemus.

CAPUT XXI.

De reverentia sacramentorum ecclesiasticorum exhibenda.

ITem vobis præcipimus, ut in virtute Dei & obedientiæ debitam reverentiam singulis sacramentis sanctæ ecclesiæ exhibeatis, ut laici ad exhibendam similiter ex devotione vestra excitentur: quæ sunt septem, videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, matrimonium, ordo, extrema-unctio.

CAPUT XXII.

De baptismo.

BAptismus cum omni reverentia & honore celebretur, & cum magna cautela, maxime ad distinctionem verborum & prolationem, in quibus tota virtus sacramenti consistit, scilicet *Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* Et sub hac forma doceant laicos debere frequenter baptizare parvos; patrem etiam & matrem in summa necessitate. Cum autem puer in necessitate baptizatus fuerit à laico, & cum inveneritis discreto & debito modo baptizasse, si supervixerit puer, afferatur ad ecclesiam, & quod deest suppleatur, non quantum ad salutem, sed quoad augmentum virtutum, scilicet ad fores ecclesiæ pabulum salis, quod est primum donum in baptismo, aurium & narium de sputo linitio, quod est secundum, sed exorcismi non dicantur, & omnia fiant ad fontes sine immersionibus, videlicet crucis signatio in pectore, & inter scapulas, olei sacri in prædictis unctio, in vertice chrismatis inunctio: Et quia tota virtus baptismi in distinctione & prolatione verborum consistit, ab eo qui baptizat integre, ordinate, sine intermissione aliqua proferantur: sub qua forma si baptizatus fuerit puer à laico, tunc sacerdos omnia

faciat, & similiter de parvis, qui inveniuntur expositi, de quibus dubium est utrum sint baptizati: & immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.*

Ad elevandum pueros non recipiatur nisi unus, nisi fuerit vir & uxor, qui pro uno reputantur, vel nisi fuerint de proxima cognatione ipsorum, quod cavetur in concilio Lateranensi.

Præcipimus quod propter sortilegia fontes sint firmati, & oleum, & chrisma, & eucharistia sub custodia reponantur, ne manus temeraria ad ea possit extendi, qui vero ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, & si per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit, gravius puniatur. Item præcipimus ut fontes mundos custodiant, & ne aquam ibi diutius remanere patiantur.

CAPUT XXIII.

De confirmatione.

SAcerdotes frequenter moneant populum ad confirmationem, quæ ab episcopo tantum est facienda. Post baptismum enim debet suscipi sacramentum confirmationis quod sacramentum præstat augmentum ad gratiam, per quod Spiritus-sanctus infunditur baptizato, quo sacramento armatur Christianus, & instruitur ad agones hujus mundi, & contra diabolum. Quod si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, & postea confirmetur: & jejuni veniant ad confirmationem, qui sunt perfectæ ætatis.

CAPUT XXIV.

De officio divino.

PRæcipimus, sicut præceptum est in concilio Lateranensi, ut sacerdotes officium tam diurnum, quam nocturnum distincte, & aperte, non syncopando, quantum

Deus dederit, celebrent & devote; & hoc in ecclesiis ad hoc deputatis, nisi propter necessitatem. Nullus etiam audeat aliquo casu celebrare, donec canonicas matutinas & primam cantaverit: & qualibet die horas canonicas dicent.

Corporalia munda custodiant, & sacerdos ea sæpe abluat, sive diaconus superlicio indutus, in vase ad hoc specialiter deputato; & ablutiones in piscina ponantur. Similiter linteamina altaris, & indumenta sacerdotalia, quando opus fuerit, ab honesta persona sine appositione aliorum pannorum, ita ut munda & nitida conserventur: quia nimis est absurdum sordes negligere in sacris, quæ dedecerent etiam in profanis.

CAPUT XXV.

De cœmeteriis.

UT cœmeteria munda custodiant, nec in eis fimos vel immunditias poni permittant, & quæ potuerint claudi, claudantur propter reverentiam fidelium ibidem jacentium: & ne choreas in cœmeteriis duci permittant. Inhibemus etiam ne sinant venditiones ibidem fieri, donec missa celebratur. Nullus in cœmeterio sine nostra licentia ædificare præsumat; & si quis ædificaverit, juris ecclesiæ censemus ædificium, quod in cœmeterio illius ecclesiæ constructum est. Nec abbates, nec alii, qui ibi ædificaverint, in illis audeant aliquid reclamare.

In concilio firmiter inhibetur, ne supellectilia sacerdotis propria seu aliena in ecclesia admittantur, nisi propter incursus hostiles, aut incendia repentina, aut alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium. Sed tamen necessitate cessante, ad loca pristina reportentur.

Sacerdotes die octavo semper renovent, ut Eucharistiam, fontem benedictum, ne sua vetustate aliqui, ad indevotionem moveri valeant aut errorem.

Præcipimus districte, ut non recipiant presbyteros in ecclesiis suis ad celebrandum, nisi notum sit de ordinatione eorum.

Librum, qui dicitur Manualis, habeant finguli presbyteri parrochiales, ubi continetur ordo extremæ-unctionis, catechismi, baptismi, & hujusmodi.

CAPUT XXVI.

De reditibus ecclesiæ.

PRæcipimus districte sacerdotibus, ut omnes reditus ecclesiæ & possessiones scribant in missalibus suis; & prohibetur penitus presbyteris & parrochianis, ne de his quæ sunt ecclesiæ, ipsi aut alii presbyteri alienent ab ecclesia, nisi per concilium episcopi vel archidiaconi. Si quis autem contra hoc fecerit, præcipimus ut emendet, & irritum decernimus.

Item præcipimus ut personæ & vicarii, qui grangias vel alias domos in eleemosynis suis constructas, easdem vel devastari permiserint, vel ab eleemosynis abstulerint, eas reædificent, & dictis eleemosynis reponant, & super hoc archidiaconi curam diligenter adhibeant. Nec aliquis audeat alicui excommunicato communicare, nec pro absoluto habere, donec litteras communicatorias acceperit, vel de ejus absolutione constiterit evidenter.

Item præcipimus quod nullus presbyter excommunicatum à nobis, vel archidiacono, vel decano pro absoluto habeat, vel in ecclesia recipiat, etiamsi de se conquerenti satisfecerit, & ei constiterit, donec à nobis vel ejus excommunicatore de ejus absolutione constiterit. Similiter inhibemus ne aliqui pro debito coram eis recognito excommunicare audeant, nec pro debitis suis, nisi in generali pro jure suo, vel nisi parrochianus presbytero publice confiteatur. Licet autem sacerdoti de malefactore vel raptore constiterit per confessionem, & conquerens justitiam ecclesiasticam postulet exhiberi, presbyter indubitanter justitiam exerceat, licet in conspectu suo enim videat & certus sit de ejus reatu, quia quod per confessionem novit, non scit ut homo, sed ut Deus.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De antiquis reliquiis.

ITem præcipimus sicut constitutum est in concilio Lateranensi, quod antiquæ reliquiæ amodo extra cassam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ.

CAPUT XXVIII.

Ne laici reliquias tractent.

SImiliter præcipimus ne laici reliquias tractent, nec de ecclesiis auctoritate sua aufferant, nec altaria vel similitudinem altarium occasione reliquiarum suarum erigant, ecclesiis ...... oblationes recipiant ad opus ecclesiæ suæ. Qui contra fecerit excommunicetur.

CAPUT XXIX.

Ne sacerdotes secum habeant filios suos.

ITem præcipimus & prohibemus etiam, ne sacerdotes filios suos secum habeant illegitime natos propter scandalum, & ne eis ministrent in altari, cum sit indecorum, ut in altaris officio illegitimus filius in publico patri ministret, in quo unigenitus filius pro salute humani generis inclinatur.

CAPUT XXX.

De quæstoribus eleemosynarum.

ITem præcipimus, ut nullus in ecclesia recipiatur ad quærendas eleemosynas sine litteris nostris, nisi sit parrochianus ecclesiæ, vel vicinus notus. Similiter nec ad prædicandum, nisi fuerit persona à nobis destinata. Quæstores quoque eleemosynarum tantum ea dicant populo, quæ in litteris Domini papæ & nostris continentur.

CAPUT XXXI.

Ne clerici negotiatores existant.

INhonestas vero negotiationes, sive suo nomine, sive alieno, non exerceant. Negotiationem autem inhonestam clericis dicimus, si emant ultra victum, vinum, bladum, vel carnes, ut carius vendant; vel si in æstate minus justo pretio emant ea quæ debent sequenti Septembri recipere, vel si tardant usque ad nundinas Montis Martini, vel blada, vel res suas, & extunc exigant majus pretium quam valuerunt ante terminum.

Nullus legat epistolam sine superlicio vel cappa clausa.

CAPUT XXXII.

De altari.

PRæcipimus quod si in altari mota tabula fuerit, vel enormiter fracta, sacerdos non celebret donec altare consolidetur, & iterum consecretur. Et ne super lapidem sine capsa celebretur. Et ampullæ scilicet vini & aquæ etiam in ministerio altaris sint mundæ, integræ, vitreæ, sive stanneæ ad ablutionem grandius vas deputetur.

CAPUT XXXIII.

De Eucharistia.

SAcerdotes ministrantes diligenter attendant quod hostia sit integra, alba, de frumento cum manu electo, & integrum habeat circulum, & quod vinum non sit acetosum, & quod aquam non obmittant.

Item præcipimus ut nullus audeat bis in die celebrare missam, nec præsumat, aut cum duplici introitu, nisi in humana necessitate, scilicet humano corpore præsente. Nullus in die sollemni vel excellenti, quando non potest divinum servitium obmitti, & in die paschæ celebraturus quoad missam secundam vinum profusionis sumat, sed ministro habenti bonam conscientiam conferat.

CAPUT XXXIV.

De præfationibus.

QUia in pluribus libris plures præfationes inveniuntur, quæ sunt superfluæ; tamen decem invenimus in sacro catalogo esse recitatas, unam in pascha, quæ sic incipit *Te quidem omni tempore.* Secundam in ascensione, *Qui post resurrectionem.* Tertiam in pentecoste, *Qui ascendens.* Quartam de Trinitate, *Qui cum unigenito.* Quintam de B. Maria, *Et te in veneratione.* Sextam in festo sanctæ Crucis, *Qui salutem.* Septimam de apostolis, *Te Domine suppliciter.* Octavam de Nativitate Domini, *Quia per Incarnati Verbi.* Nonam de Epiphania, *Qui cum unigenitus.* Decimam in quadragesima, *Qui corporali.*

CAPUT XXXV.

Quod quilibet sacerdos habeat suam piscinam juxta altare.

PRæcipimus quod sacerdotes habeant piscinas juxta altaria decentes, mundas, ablutionibus liberum cursum exhibentes, nec sine opertorio reliquantur. Juxta altare ad minus tria manutergia habeantur; unum ad primam ablutionem, secundum post evangelium, tertium post susceptionem sacramenti. Aliud sit pendens circa missale ad tergendum os & nares sacerdotis, si opus fuerit.

Districte præcipimus quod ornamenta ecclesiæ non pignori obligentur, nisi pro necessitate ecclesiæ cum consilio parrochianorum.

Item præcipimus omnibus clericis, ecclesias habentibus, ut ad singula tempora ordinum se offerant ad ordinandos; & qui ordinati sunt in ecclesiis suis residеant, nisi eis aliter de licentia nostra facere permittatur.

Si quid de sanguine, id est de sacramento sanguinis cecidit super corporalia; sugenda est pars intincta, & ipsum corporale, vel aliquo panno mundissimo involutum pro reliquiis servandum: vel si sacerdos illud tribus vicibus abluat, illud calice subterposito, & aqua ablutionis ab ipso sacerdote sumatur, vel saltem duæ primæ ablutiones, & tertia in sacrario reponatur. Si autem super pallam altaris vel aliquod sacrum indumentum ceciderit; similiter sacerdos faciat. Si super commune vestimentum ceciderit; intincta pars sugatur, & pars scindatur, & comburatur, & cinis in sacrario reponatur. Si autem super lapidem, terram, lignum ceciderit; lingendus, tergendus, radendus est locus iste, & pulvis in sacrario reponendus. Si per negligentiam sacerdotis istud evenerit; ad episcopum debet mitti.

Calix post missam mundissimo panno involvatur, ut ministri eo calicem intus tergant; sed alio ad hoc deputato, qui dum non decens satisfecerit, vel vetustate attritus in sacrario comburatur.

Corporalia vetuſtate attrita, vel non ſatis decentia in ſacrario comburantur, ne manus laica ad ea poſſit extendi, & de illis poteſt ſumi pannus, quo calix intus ſtergatur: prohibentes ne laici ad illum manus extendant, ſed tantum à ſacerdote contrectetur.

Imagines vetuſtate deformatæ & linteamina ſacra vetuſtate attrita, ſacris uſibus inutilia comburantur in loco mundo juxta parietem eccleſiæ: pulvis in ſacrario reponatur, quia poſſent intuentes inducere in errorem.

Singuli ſacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicentur infirmi, nec permittant diaconos deferre infirmis ſanctum corpus, niſi in neceſſitate ſacerdos abſens fuerit; ſed ſemper cum magna reverentia & maturitate illud deferat in pyxide idonea bene clauſa propter caſum: & in eundo ad infirmum & redeundo, ſi longa fuerit via, pſalmos pœnitentiales dicat cum letania.

CAPUT XXXVI.

Quomodo ſacerdos circa infirmum ſe debeat habere.

CUm autem ſacerdos ad infirmum venerit, & ei Chriſti Corpus dederit; ſi quid de Corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit, vel exinde exierit, quod ab eo recipi non poſſit, aliquam formam habens; ab ipſo ſacerdote debet ſumi convenienter, vel comminutum in calice cum modico vino vel aqua benedicta alicui habenti bonam conſcientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit arctatus, quod ſub magna forma Corpus Domini recipere non poſſit; ſub minima forma detur ei in calice comminutum; & cum modico vino ſive aqua benedicta in ore infirmi ſtilletur, & maxime ſi ſine ſcandalo aliter fieri non poſſit, ne infirmus ſine viatico obire videatur.

CAPUT XXXVII.

De pœnitentia, & confessione.

AB infirmis in periculo mortis constitutis pura est inquirenda peccatorum confessio, non pœnitentia injungenda; sed tamen est eis intimandum ut conterantur, & doleant de peccatis suis universis & singulis, non tam timore pœnæ, quam pro peccato meruerunt; sed quia Deum Patrem & Creatorem, & Redemptorem suum offendere præsumpserunt; acerbitates ægritudinis quasi flagella patris, quandiu ei placuerit, cum gaudio sustinentes.

Si autem convaluerint; statim ad sacerdotem accedere debent, & tunc eis pœnitentia competens injungatur. Potest autem sacerdos absolvere in articulo mortis quemlibet excommunicatum à quolibet, etiam à Domino papa, juramento prius ab eo recepto, si inciderit in canonem latæ sententiæ, quod sanitate recuperata, & opportunitate recepta, Romanam ecclesiam visitabit, vel eum adibit qui super hoc à Sede Apostolica habeat potestatem. Si autem pro re judicata fuerit excommunicatus; prius satisfaciat, si super habuerit facultatem, & sic eum absolvat recepto prius juramento, quod quamcito poterit excommunicatoris sui præsentiam adibit, mandato ipsius pariturus. Idem faciat si pro offensa fuerit excommunicatus infirmus, videlicet quod prius emendet; si autem emendandi vel solvendi non habuerit facultatem, juret quod posse suum faciet, cum ad fortunam pervenerit pinguiorem. Si autem in tali articulo decesserit; hæres suus ad hoc faciendum pro ipso tenetur: & hoc debet sacerdos eis intimare, non tamen per ipsum compellendus est.

CAPUT XXXVIII.

De concilio Lateranensi.

CUm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanaverat, *vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: præsenti statuto statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit; ipsos ante omnia, id est antequam ægrum sumant in curam, moneant & inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo, de spirituali salute provisum ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus.

Concil. Lat. cap. 22.

Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam lecto ægritudinis jacentes, cum eis à medicis suadetur, postquam eos in curam sumpserint, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt: unde facilius in mortis periculum incidunt. Credunt enim ægri quod medicus de eorum salute desperet. Ceterum cum anima multo pretiosior sit corpore sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ convertatur.

CAPUT XXXIX.

Quomodo sacerdotes in confessione de pœnitentia injungenda se debent habere erga sanos ex concilio Lateranensi.

DOceatur à sacerdotibus maxime ante quadragesimam quod omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua peccata fideliter confiteantur saltem semel in anno proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeant pro viribus adimplere,

Concil. Lat. cap. 21.

suscipientes reverenter ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum, nisi de consilio proprii saeerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerint abstinendum: alioquin & viventes ab ingressu ecclesiæ arceantur, & morientes careant sepultura christiana. Unde hoc salutare constitutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorationis cœcitate ansam inde excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio sacerdote; cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens à peccatore circonstantias & peccata, per quas prudenter intelligat quale ille debet præstare consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Caveant autem omnes ne verbo, vel signo, aut quovis alio modo prodant aliquatenus peccatorem; sed si quis prudentiori indiguerit consilio, illud absque ulla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum pœnitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, non solum à sacerdotis officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum.

Ad audiendas confessiones eminentem locum sibi indicant sacerdotes, ut communiter possint videri, & in locis abditis extra ecclesiam nullus recipiat confessionem, nisi in necessitate.

In confessione habeat sacerdos humilem vultum, & oculos in terram, nec indiscrete & frequenter faciem respiciat confitenti, maxime mulieri. Patienter audiat quæ dixerit, ut confiteatur in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo pluribus modis persuadeat, ut confiteatur integre, nude, vere; alias dicat non valere: falsa enim pœnitentia est, cum spretis principalibus terminis de uno solo agitur pœnitentia, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio: Unde scriptum est, *qui totam legem observaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus*, scilicet quantum ad vitam

æternam,

æternam, id est nullum meritorie adimplet. Quid enim prodest si tota civitas custodiatur, & unum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur: qui enim opera medicantis expectat, oportet quod membrum ægrum detegat. Similiter falsa est pœnitentia, cum pœnitens forte verecundia ductus apud se dividit confessionem, videlicet ut quædam crimina uni presbytero dicat, & ei alia celet, & alii sacerdoti revelet: quod est semper venia carere.

CAPUT XL.

De effectu confessionis peccatori declarando.

DEbet etiam sacerdos peccatori, cum accedit ad confessionem, effectum confessionis declarare, videlicet quia sine ea non est salus. In confessione omnia mundantur, & per confessionem peccator Deo reconciliatur, & ad Deum deducitur, ut Deus in ipso habitet, & de possessione diaboli in possessionem Domini convertatur. Et confessio hominem sanctificat, sicut scriptum est *In exitu Israel de Ægipto*, id est de peccato, *Facta est Judaa*, id est confessio, *sanctificatio ejus*. Et Deus nullum approbat, nisi illum confessio custodiat, & magnam partem pœnæ tollit erubescentia habita in confessione. Vult enim Deus, ut habeat justam causam ignoscendi, vel quod * quoniam scriptum est *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in se misericors est*: non dicit quoniam justus. In quantum enim bonus absolvit peccatorem, in quantum justus condemnat.

* *Hic deest aliquid.*

CAPUT XLI.

De circumstantiis peccatorum à sacerdote inquirendis.

IN confessione caveat sacerdos, ne inquirat nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes, sed circircumstantias secundum quantitatem criminis. Primo inquirat videlicet de loco, de tempore, de perseverantia, de varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, &

de vitii ipsius multiplici executione, & modo operis, ut in fornicatione vel adulterio potest perpendi. Debet inquirere sacerdos à fornicante, si sit laicus vel clericus; & si sit laicus, utrum solutus vel conjugatus, quando turpitudinem suam peregit. Similiter cum qua, videlicet utrum cum conjugata vel cum soluta; & si cum soluta, utrum cum meretrice publica, vel cum alia: si cum virgine, cum sanctimoniali, vel voto astricta, si cum affini vel consanguinea, si cum filia Domini sui vel cum ancilla, cujus ætatis & sapientiæ fuerit. Si clericus, utrum in sacris Ordinibus constitutus, & in quibus, & qualiter turpitudinem suam peregit: utrum ordinarie, vel extraordinarie. Verumtamen si quærat pœnitens quomodo extraordinarie, respondeat sacerdos, si in loco sacro, aut in loco cui debuit reverentiam, ut sunt domus Dominorum & aliorum multorum, si in tempore orationi constituto, ut sunt festivitates sanctorum, & tempora jejuniorum. Inquirat autem quantum perseveraverit, nam perseverantia auget delictum; & quam tentationem sustinuit. Sunt autem quidam, qui non expectant tentationem, sed præveniunt, & peccato se offerunt. Inquirat autem de multiplici executione vitii. Hæc enim omnia tenetur confitens & pœnitens confiteri, quæ præsumuntur, & indicant peccatum majus vel minus, ratione harum circumstantiarum. Inquirat etiam utrum peccaverit publice, & si exemplum mali extiterit aliis, vel occulte, similiter circa alia vitia capitalia debet sacerdos inquirere.

CAPUT XLII.

De septem principalibus vitiis.

SUnt autem septem vitia principalia, quorum duo sunt carnalia, videlicet gulositas & luxuria; & quinque spiritualia, scilicet avaritia, tristitia sive acedia, ira sive odium, invidia, inanis gloria sive superbia. Consistit autem vitium gulositatis in crapula & ebrietate, id est in excessu circa

cibum & potum. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant: Unde sibi vinum temperent, & se vino, nec ad bibendum quispiam excitetur, cum ebrietas & mentis inducat exsilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi commonitus à superiore satisfecerit competenter, & ab officio & beneficio suspendatur. Circa hoc vitium inquiratur utrum pœnitens alias ebrius fuerit. Si autem laicus per ebrietatem vomitum fecerit; tres dies pœnitere debet sine carne & vino, sicut dicit Beda. Si autem sine vomitu ebrius fuerit, pro singulis ebrietatibus, quæ turbant mentis statum; sacerdos pœnitentiam quam etiam judicaverit imponat, majorem vel minorem, secundum quod assiduus fuerit in ebrietate vel crapula. Inquiratur etiam cum debuit jejunare, utrum ad horam pervenerit, utrum nimio ardore comedendi cibum sumserit, utrum immoderate, & alia quæ notantur his versibus:

Quinque gulæ vitio rumpunt jejunia, puta
Hora, libido, modus, pretiosa cibaria, cura.

Si quis vero ea die qua eucharistiam sumserit per voracitatem & ebrietatem vomuerit; graviter est puniendus.

CAPUT XLIII.

Qualiter pœnitentia sit injungenda.

QUia defectus nostri temporis tantam censuram [illegible] nere non patitur, quantum canones præcipiunt, in injungendis pœnitentiis sibi caveant sacerdotes. Secundum enim quantitatem culpæ & possibilitatem pœnitentis, debet esse quantitas pœnitentiæ. In arbitrio enim sacerdotum est pœnitentiam debitam temperare, in orationibus, eleemosynis, & aliis satisfactionibus, prout noverit expedire, & maxime circa peccatum luxuriæ, & secundum quod sæpius & negligentius pœnitens commisit tale peccatum, & tempus addatur & modus in pœnitentia. In hoc debet sacerdos esset sollicitus, ut pœnitenti pondus importabile

non imponat, licet recipere sit paratus; sed sic pœnitentiam temperet injungendam, ut à studio non cogatur cessare scholaris, faber vel agricola, vel alius laboriosus, ut domi suæ providere non possit, vel Dominum cursor sequi suum non possit, & ne pro peccato occulto pœnitentiam publicam injungat. Provideat autem diligenter, ut peccantes publice faciat in aliquo publice pœnitere. Si quis autem ad prostrantes accesserit, maxime ignotas; quasi pro adulterio ei pœnitentiam injungat.

CAPUT XLIV.

De adulterio.

SI quis conjugatus solutam cognovit; quinque annos secundum rigorem canonum pœnitere debet, videlicet secunda, quarta & sexta feria in pane & aqua: quia fœdus conjugii violavit: & illa quinque secunda, quarta & sexta feria jejunando; sed secundum quod sacerdos viderit expedire, poterit pœnitentiam temperare.

CAPUT XLV.

Qui mittendi sunt ad episcopum.

DEfloratores virginum, incestuosi, qui cum sanctimonialibus peccaverunt, vel cum voto adstrictis, qui contra naturam. Qui autem in sollemnitatibus præcipuis fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, honestum videtur ut in vigiliis festorum, quia violavit, in pane & aqua jejunet & competenter redimeret.

CAPUT XLVI.

De peccatis carnalibus.

Contra peccata omnia carnis, solent sic muniri pœnitentes, vitando malam societatem & opportunitatem peccandi, quod est evitare loca & personas cum quibus vel per quas peccare possumus & solemus.

CAPUT XLVII.

De nocturna pollutione.

Inquiratur utrum dormiendo aliquando ei contigit pollutio: quæ sit ex ebrietate, vel ex præcedenti cogitatione illata huic evenerit, magis est timenda. Quæratur etiam utrum contigerit ei aliter quam dormiendo. Si dicat quod sic, quæratur quomodo. Quæratur utrum munditiem intus servaverit castitatis; quia *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam*, *&c.* & utrum mulierem alienam sollicitaverit, lascive aspexerit, concupierit, & eam fuerit osculatus: quia licet non ad actum pervenerit, tamen forsitan illa consensu, & ille nihilominus mortaliter peccavit, dummodo curiositatem & operam, quam potuerit, exhibuerit, & in animo suo affectum retinuerit. Similiter inquiratur de illis qui consilia & auxilia pro talibus criminibus perpetrandis curam ponunt & impendunt. Audita confessione semper sacerdos interroget confitentem, si velit à peccatis abstinere: Si enim dixerit se non posse abstinere, & tamen ei declaret quam pœnitentiam deberet sustinere, & eum admoneat ad pœnitentiam. In dubiis autem semper consulat episcopum, aut sapientes viros, quorum consilio certificatus, solvat securius & liget.

CAPUT XLVIII.

De cupiditate & avaritia.

QUæratur utrum confitens habuerit rem alienam injuste, ſcilicet per fraudem, uſuram, furtum. In furto, uſura, rapina, valde caveant ſacerdotes, ne alias pœnitentias injungant, ſcilicet miſſarum, eleemoſynarum, & aliarum hujuſmodi, priuſquam reddiderint. Non enim dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Non ſufficit tamen ſola reſtitutio; ſed cum reſtitutione debet condigna injungi pœnitentia pro peccato.

CAPUT XLIX.

Cui eſt reſtitutio facienda.

ESt autem reſtitutio damni facienda ei à quo habuit; ſi poteſt invenire. Illo vero mortuo vel non invento, reſtituendum eſt proximioribus perſonis, ut uxori ejus quod juſtum fuerit pro parte ſua. Si autem ignotum eſt à quo habuit, vel non poſſit ille inveniri; tunc ad conſilium eccleſiæ debet fieri reſtitutio pauperibus. Injungendum læſori ut ei quem læſit, vel à quo rem alienam habuerit injuſte, ſi poteſt, ſatisfaciat immediate, ſi velit & audeat revelare. Sin autem, mediante ſacerdote vel alio bono viro, nemine nominato; vel compenſet læſor per ſervitia quæ poterit animo reſtituendi. Si vero grave ſit damnum, & læſor non poſſit ſolvere, debet petere veniam perſonaliter à damnificato, ſi audeat revelare; alioquin hoc faciat aliquo bono viro mediante, nemine nominato, & ipſe ſatisfaciat jejuniis, & orationibus, & corporalibus diſciplinis, habens in propoſito quod omnia reſtituet, ſi ad fortunam pervenerit meliorem. Quæratur utrum aliquando pro cupiditate rei alienæ procuraverit vel fidem

violaverit, vel ecclesiam, vel cœmeterium; & tales debent ad episcopum mitti. Sacerdotes in confessionibus majora reservent, & mittant ad episcopum homicidas, perjuros, injectores manuum in parentes, in clericos, in quoscumque religiosos, incendiarios, simoniacos, falsarios, hæreticos, schismaticos, sortilegos, qui de sacris ecclesiæ sortilegium commiserunt, vel ad hoc auxilium præstiterunt, & qui abortum facere præsumserunt, & qui ad hoc auxilium & consilium impenderunt. Item clerici qui furtum commiserunt, & qui irregulares facti sunt quocumque modo, & qui bis permittunt baptizari, & qui sine prima tonsura aliquem ordinem receperunt, & qui in susceptis ordinibus saltum fecerit, qui per se vel per alium homicidium perpetraverit, vel judicio sanguinis interfuit. Item qui auctoritatem, consilium, sive auxilium, vel consensum in aliquo impendit unde mors hominis vel mutilatio membrorum est secuta, vel si causa fuerit vel occasio, vel si litteras dictaverit, vel scripserit, vel legerit, vel aliquod adminiculum ad hujusmodi præstiterit, ut aliquis mutiletur, vel occidatur, & qui in suspensione vel excommunicatione promoti sunt, vel divina celebrant, ad episcopum sunt mittendi.

CAPUT L.

Quomodo mercator accedit ad pœnitentiam.

Diligenter attendat sacerdos cujus officii sit confitens. Nam si mercator, vendens, vel emens ad mensuram, prohibendus est ne habeat pondus falsum & falsam mensuram. Et si habuerit falsam mensuram, & falso mensuraverit; tenetur restituere, si sciat quibus: Si autem nesciat quibus, satisfaciat ecclesiæ vel ecclesiis, quorum illos credit parrochianos, vel pauperibus; tamen ad consilium ecclesiæ. Item quæratur utrum causa stupri aliquid habuerit à conjugata: Si sic, marito suo reddat. Similiter si à persona religiosa, ecclesiæ suæ reddat. Si à servo, vel

ab ancilla de rebus Domini sui, ipsi Domino est reddendum.

CAPUT LI.

De his qui consenserunt damnis alienis.

QUæratur utrum quis alieno damno consensit; quod si fecerit, manifestandum est ei. Quod si consenserit de simplicitate vel negligentia non impedierit læsuram cum posset, vel lædendum non præveniens, non videtur teneri ad restitutionem damni; sed ad satisfactionem pœnitentiæ pro negligentia. Si vero præbuit consilium, auxilium, vel favorem in damnum alterius, vel partem habuit damni; tenetur in solidum, nisi quantum ab aliis noverit esse solutum. Injungendum est etiam hæredibus raptorum, fœneratorum, læsorum, quod debent reddere damnificatis, prout possunt, damna illis à parentibus suis illata, vel ab illis quorum habent hæreditates etiam de proprio suo, in quantum ad eos pervenerit hæreditas.

CAPUT LII.

De ira & odio.

ITem quæratur utrum pœnitens ex ira alicui convitiatus fuerit, vel enormiter Deum & sancta juraverit, vel aliquem occiderit, vel causam damni alicui fecerit, vel in tristitia mentis inciderit, quæ mortem operatur æternam, vel aliquem odio habuerit. Quod si fuerit; moneat eum diligenter, ut deponat rancorem & odium omnino; sed emendam non tenetur remittere, sed potest pacato animo coram judice petere.

CAPUT LIII.

De invidia.

ITem quæratur utrum per invidiam *, vel doluerit de utilitate proximi, vel de ejus infortunio lætatus fuerit. Item utrum per invidiam alicui detraxerit, & maxime ei qui præest: de quo Basilius: *Si quis detraxerit illi qui præest; septem dies pœnitere debet.* Est enim invidia dolor ex alicujus felicitate nascens, animum torquens. Invidus enim dicitur, qui alterius felicitate torquetur; & inde provenit detractio, quod est alicujus bonum denigrare. Detractores Deo sunt odibiles, & inde provenit susurratio, ex qua discordia inter comites seminatur; & inde privatio, quod est bona alterius creaturæ vel mala memorari. Exinde etiam provenit ingratitudo, quod est pro bonis perceptis gratias non referre; & inde compressio boni, quod est alterius bonum tacere, & inventio mali, quod est ei cui invidetur, novum genus peccati imponere.

* *Deest aliquid.*

CAPUT LIV.

De acedia.

ITem quæratur utrum acediosus fuerit in his quæ pertinent ad salutem, id est negligens & indevotus, & talis timeat, quia maledictus homo, qui opera Dei facit negligenter. Est autem acedia torpor animi, quo quis inchoanda negligit inchoare, aut inchoata fastidit perficere, ex qua surgit desidia, pusillanimitas, negligentia, & alia multa.

CAPUT LV.

De superbia.

QUæratur utrum per superbiam super alios mente & opere se levaverit, cum dicat evangelium, *qui major est vestrum, fiat sicut minor; & quanto major es, humilia te in omnibus.* Ei qui super alios mente & corpore se elevat, injungatur quod frequenter in ecclesia vel alias genua sua multoties flectat, pectus sæpius tundendo, & orationem Dominicam dicat: pauperes suscipiat, manus pauperum abluat, pedes lavet. Injungatur ei ne malum de proximo dicat, ne bonum alterius diminuat; sed si scit bonum in altero, pro posse extollat. Si superbus fuerit in vestibus, pauperibus elargiatur. Si superbus quod multos ad sui gratiam ad prandia vocabat, multos pauperes suscipiat, vel in largitione eleemosynarum sit largus. Ei qui in superbiæ vitium inciderit, quod se credit aliquod bonum habere in se, à se quod habet vel meritis suis accepisse; injungenda est pœnitentia in mactatione carnis suæ, & discat quod omnis caro fœnum, & sicut flos agri decidet. Ei vero qui super alios per superbiam se extulerit; injungatur ut alios pro posse suo promovere procuret, ut in bono promoveantur, si super hoc posse habuerit; & consilium & auxilium impendant ad alterius bonum provehendum; nihilominus tamen doleat de eo, quod superbe egit, & pœnitentiam agat.

CAPUT LVI.

De recompensatione jejunii.

SCiendum est quod omnibus, qui ex justa causa videntur non posse sine magno gravamine frequenter cum arcta dieta jejunare, possunt redemtiones & recompensa-

tiones adhiberi, ſcilicet per orationes, per eleemoſynas, per diſciplinas, per abſtinentiam à carnibus vel piſcibus, vel hujuſmodi, ſecundum ſtatum perſonarum, vel à vino, in quadrageſimalibus cibis. Propter viam peregrinationis facilius, quam propter aliud relaxatio indulgenda vel commutatio. Similiter & propter ſocietatem non quamlibet, ſed ſi accedat ad menſam alienam, vel alius ad ſuam, cui ſe debeat conformare, & hoc ſi ſine gravi damno vel ſcandalo nequiverit evitare, vel etiam pro ſollemnitate, ſi tunc interfuerit Dominus.

CAPUT LVII.

De jejuniis.

SAcerdotes præcipiant omnibus ætatem habentibus adultam inſtituta jejunia obſervare, ut jejunium quadrageſimale, quatuor temporum, vigiliarum videlicet Natalis Domini, Aſſumtionis B. Mariæ, S. Johannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, B. Matthæi, Simonis & Judæ, B. Andreæ, Laurentii martyris, Omnium Sanctorum, jejunium in feſto S. Marci evangeliſtæ quando letania major cantatur, & in tribus Rogationum diebus. Si qua de vigiliis prætaxatis die Dominica evenerit, indicendum eſt jejunium, & jejunandum die ſabbati præcedenti.

CAPUT LVIII.

De feriis.

INtimandum eſt laicis, ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt per omnes Dominicas à veſpera uſque in veſperam. Feriandi vero per annum iſti ſunt dies, Natale Domini, S. Stephani, Inventionis ejus, S. Johannis evangeliſtæ, Innocentium, S. Thomæ martyris, S. Silveſtri, octava Domini, Epiphania, Nativitas Mariæ, Aſſumtio,

Annunciatio, Purificatio, Conceptio B. Mariæ, sanctum Pascha cum tribus diebus sequentibus ad minus, Ascensio Domini, Inventio & Exaltatio S. Crucis, Sancti dies Pentecostes, Nativitas & Decollatio S. Johannis Baptistæ, duodecim Apostolorum & maxime Petri & Pauli, quoniam sua prædicatione mundum illuminaverunt, S. Marci & S. Lucæ evangelistarum, SS. Laurentii, Clementis, Vincentii, Dionysii martyrum, S. Michaelis archangeli, & Dedicatio cujuslibet Oratorii, & Omnium Sanctorum, & S. Martini, & S. Mariæ Magdalenæ, & illæ festivitates, quas singuli presbyteri in suis parrochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum commorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Festum vero Reliquiarum matricis ecclesiæ Constantiensis omnibus celebretur. In æstivo S. Michaelis in Monte Gargano, reliquas vero festivitates per annum monendi sunt, ut juxta morem antiquum observent.

CAPUT LIX.

De matrimonio contrahendo.

INtiment frequenter laicis sacerdotes, ut ne dent sibi mutuo fidem de matrimonio contrahendo, nisi coram sacerdote, vel coram pluribus fide dignis & non suspectis, per quos fides data possit probari: alioquin eos super fide data, nisi rem voluerint coram nobis confiteri, non audiemus. Sunt autem personæ suspectæ, pater & mater, soror & frater, quia tales videntur diligere & affectare incrementum filii vel filiæ, fratris sive sororis.

CAPUT LX.

De Sponsalibus.

NOn fiant sponsalia sive fidentialia cum repentalitiis; quia libera debent esse matrimonia, nec metu pœnæ adstringi. Fiant autem sponsalia per verba de futuro; ita

quod unus dicat alteri: *Ego accipiam te in meam*; & illa illi: *Ego accipiam te in meum, si ita ecclesia poterit se sustinere.* Et post potest juramentum apponi, vel fides ex utraque parte præstari. Inhibeatur eis etiam ne se carnaliter cognoscant, donec matrimonium inter eos celebretur: quod si inde convicti fuerint, graviter punientur.

CAPUT LXI.

De denunciationibus tribus faciendis.

ANtequam celebretur matrimonium per tres dies Dominicos fiant denunciationes in ecclesia, in qua perquirat presbyter à populo sub pœna excommunicationis de legalitate sponsi & sponsæ, qui debent conjungi, utrum videlicet impedimentum obsistat, scilicet utrum inter eos sit consanguinitas, vel affinitas non accedit, utrum consanguineus ejus quem vult accipere in tertio vel quarto gradu desponsaret puer verba de futuro. Sponsam ejus nullus consanguineorum sibi aliquando matrimonio copulare potest, & hoc propter honestatem ecclesiæ, sive publicæ honestatis justitiam, quod idem est: quia ista quamprimum desponsavit, conjux ipsius fuisse dicitur. Utrum sint ætate legitima, utrum alter eorum sit voto adstrictus, vel ordo impediat, utrum sit inter eos cognatio spiritualis sive compaternitas, quæ contrahitur per susceptionem alicujus de baptismo vel sacro fonte: ex qua susceptione triplex surgit spiritualitas, una quæ est inter eum qui suscipit puerum & matrem pueri vel patrem carnalem pueri, quia compatres sunt, & hoc impedit matrimonium contrahendum inter compatrem & commatrem, & dirimit contractum. Alia surgit spiritualitas inter eum, qui suscipit, & illum qui suscipitur, scilicet filiolum vel filiolam, & similiter impedit matrimonium inter illos: quia patrinus numquam potest habere filiolam suam in uxorem. Tertia surgit spiritualitas inter susceptum ab aliquo de sacro fonte & filium ejus carnalem; & hoc similiter matrimonium impedit inter illos,

quia filius meus carnalis, nullo modo copulari potest matrimonialiter cum illa quam de sacro fonte levavit. Filii autem duorum compatrum, sive ante compaternitatem sint geniti, sive post, legitime possunt copulari, excepta illa persona qua mediante contracta est compaternitas. Inter alias personas non impedit spiritualis cognatio sive compaternitas : unde pater alicujus licite potest accipere in uxorem filiam sui compatris vel commatris, dummodo per illam non sit contracta compaternitas. Item nullus sacerdos audeat casu dubio matrimonium celebrare, nec decani purgationes recipiant super matrimoniis, nec de causis matrimonialibus cognoscant; sed omnes matrimonii dubitationes ad nos referantur.

CAPUT LXII.

De sortilegiis.

SEmper in nuptiis prohibeantur sortilegia fieri. Celebretur autem matrimonium cum reverentia & honore, & in facie ecclesiæ, non cum risu aut contemptu. Si autem mulier quæ desponsatur, alium virum habuit; super eam non debet dici benedictio vel oratio *Propitiare*, quæ debet dici super eas, quæ non habuerunt viros antequam pax detur; & hoc est quod dicitur, quod secundæ nuptiæ non debent benedici; & hoc ad exhortationem continentiæ.

CAPUT LXIII.

De Extrema-Unctione.

AD sacramentum Extremæ-unctionis moneant sæpe sacerdotes populum, non tantum divites, sed etiam pauperes, maxime à quatuordecim annis & extra, ut omnes communiter, cum fuerit necesse, exhibeant se paratos & modestos, sanctum oleum cum magna reverentia & ho-

more deferentes. Doceant sæpe sacerdotes hoc sacramentum licite posse iterari, & sæpe recipi in qualibet & magna infirmitate unde mortis est metus: quia per eum, sicut dicit beatus Jacobus, venialia dimittuntur, & quandoque alleviantur infirmi, quandoque ad veram contritionem & æterni gaudii considerationem per eam incitantur.

Pro prædictis autem sacramentis conferendis, videlicet pro baptismo, pro benedictionibus nubentium, pro exequiis defunctorum, & aliis sacramentis, nihil exigatur: sed gratis ecclesiastica sacramenta conferantur: Unde nullus ante collationem sacramentorum pecuniam extorquere præsumat, aut plegium exigat, aut propter impedimentum fictitium fraudulenter opponat: Sic est statutum in concilio Lateranensi. Debent autem à parrochianis, quibus impensa sunt sacramenta, piæ consuetudines observari, & sunt per episcopum compescendi, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare, & ideo inhibemus ne sacerdos aliquis in hujusmodi casibus sibi audeat jus dicere, sed apud superiorem querelam deponat.

CAPUT LXIV.

[*De Ordine.*]

QUia vero sacerdotes ex susceptione ordinis potestatem confitendi, ligandi atque solvendi, & administrandi suscipiunt; restat videre quomodo in susceptione ordinis executionem suscipiunt, & quomodo ordinem susceptum debent observare, & quando post executionem ordinis susceptam eam amittunt. In primis ergo clerici vel presbyteri ne irregulariter ordinentur, & antequâm ordinentur confiteantur discretis pœnitentiariis. Sunt autem irregulares, qui non debent ad sacros ordines promoveri, bigami, saltem viduarum mariti vel corruptarum, qui castitatem vovit & qui eam promissam violavit matrimonialiter contrahendo, qui duas uxores simul in diversis temporibus habuit, qui cognovit uxorem suam postquam scivit

eam adulteram, qui unam duxit de jure, aliam habuit de facto, quæ in veritate uxor non fuit. Item homicida, qui facto, aut præcepto, aut consilio, aut auxilio, aut adminiculum præstando, homicidii conscius fuerit, etiam qui se deffendendo homicidium fecerit. Si tales ordinentur, executionem ordinis non recipiunt, neque cum talibus dispensatur. Item excommunicati, vel suspensi irregulariter ordinantur: & tales cum ordinantur, vel sciunt se excommunicatos; & sic in perpetuum debent absque aliqua dispensatione deponi: vel non recolunt factum pro quo sunt excommunicati; vel factum sciunt, sed juris ignari nec credunt se excommunicatos propter tale factum; & isti rariter ordinantur, nec cum talibus, si sint excommunicati, qui inciderint in canonem latæ sententiæ, vel alio modo, non potest dispensari cum illis, nisi de mandato Sedis Apostolicæ speciali. Item qui contra prohibitionem sub excommunicatione factam ad ordinem se ingerit, irregulariter ordinatur; nec cum eo, nisi per Sedem Apostolicam poterit dispensari. Item qui furtive suscipit ordinem, etiam sine prohibitione, executionem ordinis non recipit; quia tenetur renunciare ordini, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, quia fur semper est in mora reddendi. Item illegitime nati sine dispensatione Domini papæ irregulariter ordinantur, & qui indignus, quantum ad ordinem reputatur, vel quantum ad beneficium ecclesiasticum, indignus debet judicari: unde beneficia quæ suspensi vel excommunicati sunt adepti, non possunt aliquatenus detinere. Item qui saltum in promotione fecerit, suspensus est quantum ad executionem ordinis, quem suscepit, donec ordinem, quem prætermisit, fuerit assecutus. Item qui sunt in enormibus peccatis sive peccata illa sint occulta, sive manifesta, ad ordines non debent accedere, nec in susceptis ordinibus ministrare; ut peccantes contra naturam, incestuosi, perjuri, fures & consimiles. Item qui sortilegia de sacris ecclesiæ fecerit; irregulariter ordinatur; quia in eo debet quis puniri, in quo peccavit. Item qui simoniace ordinatur, irregulariter ordinatur: quorum tripartita est distinctio; alii enim sunt

simoniaci

simoniace à simoniacis ordinati, & isti in perpetuum debent deponi: Alii simoniace ordinantur, sed non à simoniacis, ut illi qui collateralibus episcoporum dant munera pro ordinibus habendis, vel aliis quos credunt pro se posse intercedere; & isti executionem non habent, sed debent deponi: alii simoniace ordinantur, sed ipsis ignorantibus, ut illi quorum parentes dant munera episcopis aut collateralibus episcoporum pro ordinibus filiis suis habendis, ipsis ignorantibus. Isti autem in suis ordinibus ex dispensatione possunt remanere, quia simoniaci non sunt, & cum talibus videtur quod episcopus possit dispensare, ut executionem suorum ordinum habeant; & qui per talem simoniam, de qua non fuerint conscii, beneficium obtinent, ex episcopi dispensatione possunt illud retinere. Item qui promissionem vel juramentum faciunt ordinatoribus vel præsentatoribus eorum antequam ordinentur, quod eos super provisione sua non inquietabunt, irregulares sunt & suspensi, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam meruerint obtinere. Versus.

Ultra posse meum non me lex ulla coegit,
Nec reor esse reum, qui totum posse peregit.

Item clerici beneficiati vel in sacris ordinibus constituti, si post sententiam [a] Galonis & admonitionem eis factam, sive concubinas in domibus suis tenuerint, vel alias unde scandalum ortum habuerit, sententiam excommunicationis incurrunt; & tales sunt excommunicati, nec debent ordinari, nec executionem ordinis recipiunt, nisi prius fuerint absoluti; & hi si ordinibus ante susceptis in hoc casu ministraverint, antequam ad superiores promoveantur, oportet quod cum eis super irregularitate sit dispensatum; quod est observandum in presbyteris jam promotis, videlicet quod non debent celebrare, nisi prius fuerint absoluti. Si autem celebraverint, irregularitatem incurrunt, nec possunt dispensationem habere, nisi à Domino papa: sed ab

[a] Galo Legatus Sedis Apostolicæ quasdam edidit constitutiones, quæ anno 1208. in synodo Sagiensi sub Silvestro episcopo promulgatæ sunt ex ms. codice Majoris-monasterii; quarum hic caput 1. attingitur.

episcopo non potest absolvi, nisi ipse speciale privilegium habuerit. Tales enim qui in fornicationem prolapsi sunt, suspensi sunt quo ad se & quo ad alios, dummodo peccatum eorum notorium fuerit per sententiam, vel per confessionem in jure factam, vel evidentiam rei, quæ nulla possit tergiversatione celari; unde nec talium est officium audiendum, cum sit statutum sub excommunicatione, ut nullus audiat missam sacerdotis, quem sciat concubinam indubitanter habere.

Restat videre qualiter ordinem susceptum debeant observare, & qualiter ratione beneficii, quod adepti sunt, se debeant custodire & alios. Item ordinamus ut mundi sint & sancti, quia scriptum est, *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Et *mundamini qui fertis vasa Domini*, ut videlicet servet castitatem coram Deo in corde, & coram hominibus in corpore. Nihil enim valet incorruptio corporis, ubi non est integritas mentis. Nihil enim valet mundum esse corpore, qui pollutus est in mente: maxime autem sacerdotes à parrochianis suis & eis quæ peccata sua confessæ fuerint, vel quas baptizaverint, vel de sacro fonte levaverunt abstineant. Dicit enim canon: *Si quis sacerdos cum filia sua spirituali fornicatus fuerit; sciat se grave adulterium commisisse: & quod malum exemplum dedit omnibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando quindecim annis pœniteat. Præterea vero ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vita sua Deo serviat.*

Item ut ratione ordinis præbeant se exemplum fidelibus conversatione sancta, ut sobrietatem in seipsis custodiant, Deo pietatem, & proximo justitiam exhibeant, & exemplum præbeant fidelibus in sermone, ut sermo eorum non sit fatuus, sed cum sale conditus, ut attendant quid dicant, & quando, & cui, & qualiter.

Item in caritate, ut Deum tota mente diligant; hoc est enim quod dicit Apostolus ad Timotheum: *Exemplum esto fidelis in verbo, & conversatione, in fide, & caritate, & castitate.* Et ad Titum: *In omnibus præbe exemplum bonorum operum in doctrina recta*, scilicet integritate vitæ, sed & corporis integritate; nec levis sit, sed rectam vitam custodiat apud Deum & homines.

Item ut officium tam diurnum quam nocturnum Deo sine intermissione persolvant, licet non habeant curam animarum. Ratione autem beneficii cui est cura animarum annexa, attendant quid susceperint: quia curam subditorum suorum, cujus rationem reddituri sunt Deo in die judicii, timentes ne de damnatione ipsorum, si negligentes & incuriosi extiterint in cura, possint per eos accusari, & inde condemnari. Et attendant quia pastores sunt eorum: unde eos debent pascere, sicut dicit Apostolus in Actibus Apostolorum: *Attendite vobis, & universo gregi vobis commisso, in quo posuit vos Christus regere ecclesiam suam, quam acquisivit sanguine suo.* Et Petrus: *Pascite, pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, ut dominantes in clero, sed formantes facti gregis ex animo, ut scilicet per vos grex invitetur ad humilitatem: memores ejus quod scriptum est: Rectorem posuerunt te, esto in illis quasi unus ex illis.* Quod autem dicit, *non turpis lucri gratia*, quia non debet primo & principaliter officium exequi propter pecuniam, vel lucrum temporale; sed principaliter propter æternum: si tamen postea & secundario pro sustentatione sua aliquid expetat, non peccat: quia dignus est operarius mercede sua, & qui altari servit, vivat de altario. Caveant autem omnes, qui divina celebrant, vel qui psalteria legunt propter pecuniam, ne finem suum in spe pecuniæ habendæ ponant. Sed spe tantum æternorum hoc faciant. Secundario tamen ad sustentationem sui aliquod lucrum temporale possunt expectare, & de jure accipere.

CAPUT LXV.

[*De Testamentis.*]

MOneant & doceant parrochianos suos presbyteri ne testamenta sua faciant sine præsentia ipsorum, dum tamen commode potuerint interesse: quia voluntates defunctorum debent executioni demandari per ecclesiam:

unde præcipimus, ut presbyteri se exhibeant ad hoc pro parrochianis, & ne fraudulenter se subtrahant vel absentent, quando parrochiani sui debent condere testamenta, nec ea occasione quasi non interfuerint, dicant testamenta non valere, nec occasione hujusmodi præsumant pecuniam extorquere.

Similiter prohibemus ne propter cupiditatem testamenta audeant impedire, dicentes, non bene ordinavit, illi dedit nimium, parum sibi sumsit, & hujusmodi ficta impedimenta opponentes, quousque eorum cupiditati fuerit satisfactum. Item prohibemus ne executores testamentorum sive laici, sive clerici, sive religiosi, sive regulares, pecuniam & alia bona, quæ per manus ipsorum de testamentis decedentium debent in usus pios impendi, aliis usibus applicent, vel sibi audeant retinere, sed ipsa bona fideliter & plenarie in usus pios convertant, juxta defuncti voluntatem. Si autem residuum fuerit ultra ea quæ in testamento fuerunt nominata, similiter in pios usus convertant, dummodo eorum dispositioni commiserit hoc testator. Residuum bonorum suorum certis personis vel incertis, debet sanctis locis, vel hospitalibus, vel certis locis erogare: alioquin ad nos totum residuum deferatur. Licet autem de benignitate canonica, qui extremam voluntatem suam in alterius dispositionem committit, non videatur decedere intestatus; tamen cum omnibus piis voluntatibus defunctorum sit per locorum episcopos providendum, ut universa bene procedant, licet etiam à testatoribus id contigerit interdici, volumus & præcipimus, ut is in cujus dispositionem voluntatem suam testator committit, coram nobis de bonis illis ordinet, ut sciamus in quos usus bona defuncti convertantur, & ne ille cujus fidei est commissum de facto contingat diffamari, si dicetur quod de bonis talibus testatoris magnam partem retinuerit, vel alias fecerit suam voluntatem. Idem dicimus de illis quorum arbitrio committitur, ut de residuo bonorum testatorum disponant, ut si quid ultra quindecim libras coram nobis & deductis bonis studeant ordinare. Hoc autem de illis intelligimus, de quibus sinistra posset suspicio suboriri. Bona vero intestato-

rum ad nos fideliter & plenarie deferri jubemus. Intestatos autem dicimus, qui omnino nullum testamentum fecerunt, aut si fecerunt postea irritum factum est per contrariam voluntatem, nec postea aliud fecerunt, ut sunt illi qui satis minus sua parte fecerunt sumserunt, vel qui fere totum suis relinquunt, vel personis non capacibus. Inhibemus nihilominus ne clerici per manum laicalem testamenta sua tantum disponant: quia laici solent in rebus clericorum maxime incrassari; & licet de rebus suis mobilibus rationabile possint facere testamentum, ut puta legando pauperibus locis religiosis, & eis qui ipsis viventibus servierunt, sive consanguinei sint, sive alii: bona tamen immobilia ipsius ecclesiæ, vel de bonis ecclesiæ, acquisita de jure non possunt in alios usus transferre; & si forte transtulerint, ab ecclesia poterunt vendicari. Cum autem leges humanæ testatoris extremum, quod non redit, arbitrium tanquam legem jubeant observari: statuimus ut infra octo dies post obitum testatoris, si clericus beneficiatus testator fuerit, ad nos; si laicus ad nos vel ad decanum, vel ad officialem nostrum, hi per quos testator voluntatem voluit executioni demandari, veniant, ipsum testamentum, si scriptum fuerit, deferentes, ut rite sub sigillo auctentico, ne fraudi forsitan locus relinquatur, valeat publicari; si nuncupativum, per testes rite probetur, & in formam publicam redigatur; & extunc infra annum executioni demandetur modis omnibus, si fieri possit. Nullus vero ad impediendum justum judicium testatoris bona defuncti in manu nostra arrestare præsumat. Quod si quis presbyter vel decanus ex justa causa fecerit; nobis denunciare curet sic bona esse arrestata, & qua causa, quam citius poterit non omittat, ne contra hominem, qui hoc malitiose fecerit præsumamus.

Locus corruptus.

CAPUT LVI.

[De statutis memoriæ commendandis & observandis.]

QUia vero parum alicui prodest audire, nisi teneatur in mente; nec scire sufficit; si non comprobetur effectu; jubemus in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis firmiter injungentes, ut omnes sacerdotes hæc statuta seu præcepta, nec non documenta synodalia diligenter audiant & attendant, & ut possint facilius commendare memoriæ, scribant ea, vel scribi faciant, ut in eis diligenter studeant, ut ad sequentes synodos ea in manibus offerentes, cum fuerint interrogati super capitulis singulis, sciant legere, & nobis etiam respondere, & juxta ea viventes suos subditos verbo pariter & exemplo sic instruant, ut in districto possint examine villicationis suæ reddere rationem.

CAPUT LVII.

[De usuris.]

USurarum voraginem, quæ animos devorat, facultates exhaurit, compescere cupientes, Constitutionem concilii Lateranensis contra usurarum dictarum * sub divinæ maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter observari. Et quia quo minor fœneratoribus aderit fœnerandi commoditas, eo magis adimetur fœnus exercendi libertas; hac generali Constitutione sancimus, ut nec collegium, nec alia universitas, vel singularis persona, cujuscumque sit dignitatis, aut conditionis, aut status, alienigenas aut alios non oriundos de terris ipsorum publice pecuniam fœnebrem exercentes aut exercere volentes, domos in terris suis conducere, aut conductas habere, aut alias habitare permittant. Sed omnes usurarios hujusmodi infra

* *Deest aliquod verbum.*

tres menses de terris suis expellant, numquam alios tales de cetero admissuri. Nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contrarium fecerint; si personæ ecclesiasticæ, patriarchæ, archiepiscopi, suspensionis; minores vero personæ singulares, excommunicationis; collegium autem seu alia universitas, interdicti sententiam ipso facto se noverint incursuros: quam si per mensem animo sustinuerint indurato; terræ ipsorum quamdiu in eis iidem usurarii commorentur, extunc ecclesiastico subjaceant interdicto. Ceterum si laici fuerint; per suos ordines ab hujusmodi excessu, omni privilegio cessante, per censuram ecclesiasticam compescantur. Quamquam usurarii manifesti de usuris, quas receperint, satisfacere, expressa quantitate, vel alias in ultima mandaverint voluntate, nihilominus tamen eis sepultura ecclesiastica denegetur, donec de usuris ipsis, prout facultates eorum patiuntur, plenarie sit satisfactum illis, quibus facienda est restitutio, si præsto sint, aut aliis qui eis possint acquirere, vel eis absentibus loci ordinario, aut ejus vices gerenti, sive rectori parrochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parrochia: quibus quidem ordinario vicario & rectori prædictis cautionem hujusmodi eorum nomine liceat præsentis constitutionis auctoritate recipere: ita quod illis proinde actio acquiritur, aut servo publico de his ordinarii mandato idonea de restitutione facienda sit cautio. Ceterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta; illam semper in cautione prædicta exprimi volumus, alioquin aliam recipietis cautionem, hujus arbitrio moderandam. Ipse inde scienter non minorem, quam visibiliter credit, moderetur; & si secus fecerit; ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos & alios qui manifestos usurarios contra præsentis sanctionis formam ad ecclesiasticam admittere ausi fuerint sepulturam, pœnæ in Lateranensi concilio contra usurarios promulgatæ statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, aut de satisfaciendo pro

suarum viribus facultatum præstent, ut præmittitur, cautionem idoneam. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure.

CAPUT LVIII.

De reverentia ecclesiis & cæmeteriis debita.

DEcet domum Domini sanctitudo, decet ut cujus in pace factus est locus ejus, sit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad ecclesias humilis & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placida, quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat convenientes. Illud in nomine illo, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, videlicet Jesu Christi, qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum, exhibitione reverentiæ spiritualiter attollant, & quod generaliter scribitur, ut in nomine Jesu genuflectatur, singuli singulariter in se ipsos implentes, præcipue dum aguntur missarum sacra mysteria, illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod cum capitis inclinatione testentur, attendantur in locis ipsis intentis præcordiis sacra sollemnia, devotis animis orationibus intendatur. Nullus in locis eisdem, in quibus cum pace & quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in illis universitatum & societatum quarumlibet consilia, contentiones, & publica parlamenta, cessent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet, sint postremo quæcumque alia divinum quæ possent turbare officium, aut oculos divinæ Majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne ubi est peccatorum venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committentes. Cessent in ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes,

tiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujuscumque tumultus, omnis in eis sæcularium strepitus judiciorum conquiescat. Nulla ibi causa per laicos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant suaderi, facienda suadeant, interdicta hujus canonis auctoritate compescant. Ad hoc alios etiam in ecclesiis ipsis magis assiduos, & ad præmissa magis idoneos deputando, & nihilominus processus judicum sæcularium ac specialiter sententiæ prolatæ in eisdem locis omni careant robore firmitatis. Qui vero præmissas inhibitiones animo petulanti contemserint, præter processum ordinariorum & deputandorum ab ipsis divinæ ultionis, & nostræ poterunt acrimoniam formidare, donec suum confessi reatum, à similibus firmato proposito deliberaverint abstinere.

ANTIQUA STATUTA ARCHIMONASTERII ROTOMAGENSIS S. AUDOENI.

I.

Officium Divinum.

IN primis statuimus quod omnes monachi constituti infra abbatiam secundum Regulam S. Benedicti mox ut audierint signum, relictis omnibus agendis, cum nihil sit divino operi præponendum, ad ecclesiam cum debita maturitate festinent, & cum timore & reverentia Dei in ecclesia serviant; & secundum Regulam principium & medium & finem horarum tenentes, in puritate conscientiæ, & animi devotione, offerant Deo sacrificium laudis fructum labiorum suorum.

II.

Confessio.

Singulis mensibus in monasterio fiat omnium fratrum confessio, ad quam omnes & singuli, sine qualibet excusatione accedant.

III.

Communio.

Provideat ergo abbas ut in prima Dominica mensis Corpori & Sanguini Domini nostri Jesu Christi communicent: quod si aliqua de causa aliquis duxerit abstinendum, causam ei, vel priori, seu pœnitentiariis ab abbate deputatis non differant intimare, ut ejus judicio vel abstineat, vel ad communionem accedat.

IV.

Silentium.

Rigor disciplinæ servetur in capitulo, silentium in ecclesia, in claustro, in refectorio, in dormitorio teneatur: pœna transgressoribus secundum statuta regularia imponenda.

V.

Omnibus autem ad religionem ingredi volentibus exponatur sæpius & specialius ista tria, scilicet obedientia, continentia, sine proprio vivere.

Novitii.

VI.

Circa ingressum vero & egressum novitiorum quod Regula constituit observetur. Admittendis novitiis prædicentur dura & aspera: & eisdem admissis legatur & exponatur Regula ter in anno probationis, terminis à B. Benedicto constitutis: & novitiis fidelis deputetur institutor; & nulla eis omnino donec professi fuerint administratio committatur.

VII.

Completo ergo probationis anno, novitii statim professionem faciant & benedictionem recipiant: quod si facere noluerint, mox recedant.

VIII.

Nullus autem qui ætatis suæ annum octavum decimum non attigerit admittatur: nec de talibus admittendis ulla permissio fiat.

IX.

Prioratus, decanatus, præpositure, & ceteræ omnes administrationes gratis & absque ulla venalitate & pactione, nec nisi discretis & bonis personis monachis conferantur. Et prioratus conventuales non nisi sacerdotibus committantur: vel talibus qui infra annum promoveantur: quod si infra annum promoti non fuerint, prioratum amittant. Si quis autem monachus pro hujusmodi aliquid dedisse vel promisisse inventus fuerit; simoniacus habeatur & à sic obtento amoveatur, & numquam in ordine ipso dignitatem habeat vel administrationem. Abbas autem qui vendiderit, tanquam simoniacus puniatur.

Beneficia claustralia.

X.

Si quis autem per interventum sæcularium personarum committi sibi obedientiam vel prioratum deposcat; non illum obtineat; sed nec alium infra annum.

XI.

Prioratuum conventualium quoque priores non desti-

tuantur sine rationabili causa. Nec ullus prior litteras confirmationis habeat quod de suo prioratu vel de sua obedientia non debeat amoveri: quæ si obtenta fuerit, sit irrita ipso jure.

XII.

Beneficiorum pluralitas.

Illud quoque districtim inhibemus ne quis monachus plures habeat abbatias vel prioratus; vel abbatiam & prioratum, nec in pluribus monasteriis monachatum; & qui administrationem habet in abbatia exterius, cum ea nullam habeat, nisi forte interiori administrationi sit annexa; nec in aliquo prioratu unus solus monachus commoretur, sed illi qui solus est socius monachus adjungatur, aut socii superius loci suppetant facultates; alioquin revocetur ad claustrum, proviso tamen de facultatibus ecclesiæ alicui sacerdoti, ne debitis obsequiis defraudetur.

XIII.

Cum autem abbas ballivam sive præposituram vel curam aliquorum redituum alicui de fratribus committere voluerit, firmam cum ipso non faciat, nec plegios ab ipso recipiat, vel requirat: & abbas districte præcipiat iis qui in administratione constituti fuerint, quod neminem concutiant, vel calumniam faciant, nec injuriis aut exactionibus indebitis opprimant, nec carius vendant ad terminum, nec contractus faciant inhonestos.

XIV.

Obedientiarii infirmi.

De prioribus, obedientiariis & monachis temporalem administrationem habentibus, baillivis seu præpositis in infirmitate gravi decumbentibus statuimus, ut administrationes suas, & universa quæ habent, de ipsis facta ratione, sine mora, confessione prævia, resignent & assignent abbati.

XV.

Cibi & vestes.

Circa qualitatem ciborum & habitus præcipimus observari, ut omnes monachi habeant vestes de uno vestiario; & comestionibus quæ per cameras fieri solent penitus interdictis, in uno refectorio, de una coquina, de uno pane, de uno potu regulariter reficiantur. Salva pitantia quæ ad majorem mensam deferri consuevit, nisi forte in infirmitorio, vel seorsum cum abbate comedant.

XVI.

Ab Idibus Septembris usque ad caput quadragesimæ secundum Regulam S. Benedicti reficiantur ad Nonam ; & in aliis temporibus secundum eandem Regulam & eo moderamine ciborum quod describit Regula ; & ordinatis pittantiis, si quando eas fieri contigerit, sint contenti : nec aliquis cibo & potu delicatiora parari vel deferri faciat, vel recipiat præsentata ; sed quidquid præsentatum fuerit coram eo qui conventui præest, deferatur, & ipse taliter provideat, sive de aliis pittantiis quod illorum confortet naturam, qui delicati vel debiles commode communibus cibis uti non possunt.

Jejunium.

XVII.

In refectorio & infirmitorio cyphis argenteis vel aureis, seu etiam pedem seu circulum argenteum vel aureum habentibus non utantur : nec zonam, nec cultellum cum ornatu auri vel argenti deferre licitum sit alicui vel habere.

XVIII.

In infirmitorio autem nullus carnes comedat, nisi monachus vel conversus, qui infirmus fuerit, aut propter debilitatem corporis ad infirmitorium missus.

Carnes.

XIX.

Nullus monachus in quocumque loco, sive in domo sit ordinis, sive extra, carnes comedat, nisi secundum quod in Regula continetur. Illas autem carnium refectiones, quæ sanis in quibusdam monasteriis consueverunt certis temporibus hactenus exhiberi, penitus inhibemus : & sicut interdicimus usum carnium, ita farsaturas de tritis carnibus denegamus.

XX.

Si quis comedere carnes contra prædicta præsumpserit semel vel etiam secundo ; regulari subjaceat disciplinæ ; si tertio, quarta & sexta feria proximis in pane & aqua jejunet. Quod si in consuetudinem duxerit ; subjaceat gravi culpæ. Abbas vero si in hoc deliquerit, secunda, quarta & sexta feria sit in pane & aqua contentus. Si autem in consuetudinem duxerit, nec monitus à diocesano vel visitatoribus, corrigere se voluerit ; administratione privetur.

XXI.

Infirmi.

Infirmis autem fratribus in cibariis, in lectis, in servitoribus, & aliis necessariis secundum quod eorum requirit infirmitas, & continetur in Regula, præcipimus observari, & provideri: & in his omnibus si infirmarius inventus fuerit ineptus, per proprium abbatem, vel priorem, abbas vel prior per visitatores, cum ad locum accesserint, pœna puniantur condigna.

XXII.

Vesti...

Illud observari præcipimus ut de vestimentis & calciamentis ordinatis tempore congruo provideatur tam monachis quam conversis, & ne propter hoc detur alicui pecunia districtius prohibemus.

XXIII.

Monachi communibus indumentis in claustro ita foris exeuntes honeste se habeant, nec incedant sine cuculla, & habitu regulari, nec cappam habeant coloratam, nec cum sella minus regulari & sumptuosa, vel clavorum ornatu decorata superfluo aliquis equitare præsumat. Calcaria deaurata vel deargentata non habeant, ferratura ad ornatum in frænis prorsus amota, nec chirothecis digitos distinctis, nec ocreis rostratis quis utatur.

XXIV.

Nullus in quocumque loco utatur tunicis vel coopertoriis de burneta vel alio panno colorato, vel pellibus silvaticis, vel lineis camisiis, vel linteaminibus, sed vestiti dormiant & cincti sicut in Regula continetur, nec vestes scissas habeant ante vel retro.

XXV.

Nullus prior claustralis vel alius monachus cameram, equos, familiam, harnesium sibi appropriet, vel de eis contendat; sed si vel ex utilitate vel ex necessitate oporteat eum exire, per illum qui præest in necessariis provideatur eidem.

XXVI.

Mutuum.

Præcipimus insuper ut omnes abbates & priores consilio omnium fratrum quibus præsunt vel majoris & sanioris partis ipsorum, cum faciendum est mutuum vel minorandum,

hoc ita faciant, quod omnibus liqueat quanta summa, quibus creditoribus, quibus conditionibus & quibus terris debeatur, & in quos usus mutuum sit conversum, & ut domorum status certius habeatur, singulis tribus mensibus coram abbate seu priore, si ibi non est abbas, & senioribus, reddant officiales de suis officiis rationem, computationem de omnibus expensis & receptis fideliter facientes.

XXVII.

Abbates & priores bis in anno in Calendis Octobris collectis annuis fructibus, & Calendis Aprilis statum domus suæ in capitulo vel coram senioribus vel etiam coram visitatoribus, cum venerint, manifestent. Abbas autem, vel prior, seu præpositus qui in prædictis ratiociniis gravia debita suppresserint fraudulenter, ab administratione quam obtinet penitus repellatur.

XXVIII.

Si vero abbas vel prior sine consensu conventus sui contraxerit mutuum, non teneatur monasterium nisi quantum probatum fuerit in utilitatem monasterii fuisse conversum.

XXIX.

Alienatio bonorum monasterii.

Nullus quoque abbas vel prior prioratum, aut granchiam, pensionem, aut præbendam monachalem personis sæcularibus donare audeat. Possessionem vero nullam vendat, vel commutet, nec alienet, nisi in casibus à jure concessis, nec & donet; sed sciat alienationem sibi penitus interdictam.

XXX.

Proprietarii

Monachi proprietarii excommunicentur ab abbatibus suis, & si in morte proprietarius inventus fuerit, ecclesiastica careat supultura. Nullus autem prorsus nisi pro officio sibi commisso arcam vel clavem sine licentia abbatis habeat; & quotienscumque abbas petierit, clavis eidem tradatur; & si aliter habet, eo ipso proprietarius reputetur.

XXXI.

Excommunicationis sententiam in proprietarios & conspiratores abbas semel in anno, scilicet in Ramis Palmarum solemniter in capitulo publicabit: & si post aliquis inventus

fuerit habere proprium, ballivam, si quam habet, amittat; nec infra annum sibi alia committatur, nec tunc nisi proprio restituto, & peracta pœnitentia competenti: Abbas qui scienter proprium concesserit monacho vel punire consenserit, suspendatur ad tempus.

XXXII.

Proprium autem intelligimus secundum B. Benedicti Regulam, si nec commodatum, nec locatum, nec depositum aliquis omnino monachus vel conversus nomine suo recipiat, nec & monasterii nomine, nisi de abbatis vel conventus licentia speciali; sed nec mutuum ultra illam quantitatem quam moderatam taxari volumus per capitulum & abbatem.

XXXIII.

Ipse autem abbas det singulis prout cuique opus erit: ut non sit personarum acceptio, sed infirmitatum consideratio habeatur.

XXXIV.

Immobilia & mobilia pretiosa non-danda.

Illud districte præcipimus, ne quis abbas consanguineo suo egenti immobilia ecclesiæ suæ concedat, nec etiam mobilia donet, nisi aliquid modicum nomine eleemosynæ largiatur. Et qui de immobilibus contraire præsumserit, ab eadem amoveatur ecclesia: prioribus & officialibus, si eos talia commisisse constiterit, ab administratione prorsus amotis, & alias prout pœnæ qualitas exegerit graviter puniendis.

XXXV.

Mulieribus monasterii ingressus prohibitus.

Claustri, refectorii, dormitorii, & chori, quando cantatur officium, custodia certis committatur personis; & nulla mulier permittatur intrare prædicta loca, neque chorum quando cantatur ibidem, nisi forte in consecrationibus & indulgentiis ipsarum ecclesiarum, & festo principali ipsius ecclesiæ, & exequiis mortuorum aliquas mulieres per claustrum vel chorum transire contingat: exceptis nobilibus quæ pactione sunt monasterii, vel aliis nobilibus, quibus sine gravi scandalo non possit introitus denegari, & eisdem certis horis & temporibus poterit ingressus ab abbate vel priore concedi, & salvis indulgentiis super hoc certis per-

sonis

ſonis ab Apoſtolica Sede conceſſis vel etiam concedendis. Quod ſi contra præſumptum fuerit; officialis per cujus oſtium mulier intraverit, abbas quoque vel prior ſi hoc fieri mandaverit, pro qualibet vice in pane & aqua una die jejunet.

XXXVI.

Famuli abbatis.

Abbates vel priores ſi ſervientes ſecum habuerint equitantes de propria vel continua familia, non niſi maturos habeant & honeſtos, & in habitu non laſcivo.

XXXVII.

Hoſpitalitas.

Volumus quoque & mandamus ut in quolibet monaſterio vel prioratu abbas vel prior, aut ipſis ceſſantibus, viſitatores qui pro tempore fuerint, ſecundum poſſibilitatem locorum hoſpitalitatem ordinent ad eleemoſynas faciendas certo tempore: hoſpitio ad recipiendos pauperes, & alios hoſpites, & miniſtro idoneo qui eis deſerviat deputato: & ſi alicui perſonæ religioſæ hoſpitium negatum fuerit; qui hoſpitio tunc deputatus fuerit tribus diebus jejunet in pane & aqua.

XXXVIII.

Reditus eleemoſynis, hoſpitibus & infirmis deputati.

Inhibemus enim ſub interminatione damnationis æternæ, ne poſſeſſiones aut reditus ad eleemoſynam ſive ad hoſpitalitatem vel ad infirmariam deputati vel collati, ab eiſdem uſibus abſtrahantur. Si contra hoc præſumtum fuerit, non teneatur, ſed ad uſus prædictos revocentur: & ſi abbates contra venire præſumſerint, ab adminiſtratione per viſitatores, monachi per abbates ſuſpendantur; & ſuſpenſi maneant quandiu ſecundum qualitatem delicti viderint expedire.

XXXIX.

Eleemoſyna.

Et quia non eſt defraudanda pauperum eleemoſyna, nullus de cibis qui ſibi præſentantur in menſa, nullus de veſtimentis veteribus, vel calciamentis, cum recipiat nova, defraudet eleemoſynam: ſed hæc omnia ad manum eleemoſynarii perveniant, qui eadem pauperibus largiatur; nec alicui dentur nova, qui vetera non reſignet.

XL.

Vagationes extra clauſtrum inhibitæ.

Inhibemus quoque diſtrictius ne libera detur monachis

evagandi potestas, nec detur claustralibus licentia revidendi sæcularia, nisi forte rarissime & ex causa rationabili, & ad tempus modicum, matura quoque societate eisdem ad custodiam deputata: & ipsi horas dicant in via, & de libris provideatur eisdem. Et cuilibet monacho loquendi cum muliere sine honestis duobus testibus vel tribus licentia denegetur.

XLI.

Monachus qui in abbatia sive in prioratu moram fecerit, si sine licentia clausuras domus exire præsumserit, regulari pœnæ subdatur.

XLII.

Monachi in prioratibus.

Illud quoque districte præcipimus quod monachi qui in prioratibus exterioribus commorantur, in divinis servitiis in honestate habitus & ciborum abstinentia abbatiis se conforment; & jaceant vestiti & cincti sicut monachus in dormitorio abbatiæ, quod etiam ab omnibus qui jacent extra dormitorium præcipimus observari. Nec mulieres in aliquo locho ad monachorum servitium præsentialiter admittantur.

XLIII.

Abbatum residentia.

Denique cum abbates & priores discurrere vel vagari non debeant; volumus ut in claustro cum fratribus sedeant, & divinis intersint maxime vigiliis, capitulo, & collationi, & alii divinis Officiis cum eisdem, nisi causa necessaria vel utili & honesta fuerint impediti.

XLIV.

Nullus abbas vel monachus prope monasterium vel cellam monasterii sui ad leucam unam in domo sæculari comedat vel pernoctet.

XLV.

Ceterum quoniam quolibet anno prima secunda feria quadragesimæ, excommunicantur ab omni prælato in capitulo conspiratores omnes, incendiarii omnes, & omnes qui scienter etiam alii falso imponunt; conspiratorum nomine vocat omnes qui inter se confœderant ad subversionem domus vel statutorum à majoribus salubriter institutorum, vel ad depositionem alicujus prælati vel fratris ex odio vel

ambitione, vel qui eos malitiose defendunt. Qui vero hujusmodi deprehensi fuerint......... propria perpetuo expellantur.

XLVI.

Quolibet anno prima & secunda feria quadragesimæ excommunicentur in capitulo ab omni prælato omnes, qui supra, &c. & qui crimen aliis falso imponunt, vel qui ut supra alios malitiose defendunt. Malitiose defendit qui propter.... quam propinquitatem vel familiaritatem, vel gratiam aliquem defendit. Malitiose defendit qui propter odium prælati, vel fratris cujus est accusator vel odiosus defendit. Malitiose defendit qui propter evitandam similem emendationis pœnam, si deliquerit...... puniatur defendit. Malitiose defendit qui propter regularem disciplinam evitandam, & potestatem prælatorum circa delinquentes minuendam defendit. Malitiose defendit qui propter sed..... & discordiam seminandam inter prælatos & subditos defend..., quicumque ex odio rancore vel ambitione prælationis alicujus....... prælatis vel fratribus scienter & contra conscientiam aliquod crimen imponunt, & imponentes fovent, & defendunt. Item quicumque aliquem accus...... defendit, ut illi & ceteris placeat & accusanti noceat. Item qui contra sententiam in capitulo communi assensu propter disciplinam..... murmurat, excommunicatus est. *Explicit de conspiratoribus.*

ANTIQUÆ CONSUETUDINES

CANONICORUM REGULARIUM Monasterii S. Jacobi de Monteforti in diœcesi Macloviensi.

CAPUT I.

De Prima.

APPARENTE aurora, facto signo à priore, fratres de stratis surgentes præparent se, & in claustrum exeant, lotisque manibus pergentes ad ecclesiam aspergant se aqua benedicta, excepta Dominica. Et ingressi ecclesiam unusquisque, prout Deus inspiraverit, orabit. Statim autem subsequente sonitu horæ Primæ, si qui orandi vel alicujus necessitatis causa alicubi diverterint, in choro conveniant, & stent, aut sedeant in stallis suis, donec signum remaneat. Et tunc faciant eamdem orationem quam ad vigilias fecerunt, & eodem modo: qua finita, revertantur ad sedes suas & inchoetur Prima. Sciendum quoque quod in hymno cum *Deum precemur supplices* dixerint, moderate inclinabunt. Abbas etiam, si adfuerit, tam ad hanc horam, quam ad completorium *Confiteor* dicet.

CAPUT II.

De Missis.

CAntata regulari Prima, exeant in claustrum, sacerdote interim ad celebrandam missam cum ministris (se) præparante. Deinde ad convocandum fratres pulsetur

modice ſignum. Qui cum venerint, inchoetur miſſa. Et notandum quod in ſubpelliciis privatis diebus miniſtri ſerviunt. Nam feſtis diebus, quibus non laboramus, duæ miſſæ celebrantur; prima in mane, ſecunda in albis poſt Tertiam. Septimo decimo Calendas Octobris hic ordo miſſarum incipit & uſque ad Paſcha producitur. Hoc etiam tempore, diebus quibus novem lectiones facimus & laboramus, poſt Primam ſummo mane dictam, induant ſe miniſtri albis, ſicut ante Tertiam illis diebus quibus non laboramus; & adjuvent eos præcedentis ſeptimanæ miniſtri. Dicta denique miſſa, ſubjunctaque Prima de Sancta Maria, exeant fratres in clauſtrum, vacantes lectioni, & orationi, atque confeſſioni uſque ad Tertiam. Interim quoque poſſunt miſſas celebrare privatim qui volunt. Sed & ſacerdos & ſubdiaconus qui in præterita ſeptimana majoris miſſæ hebdomadarii fuerint, parati miſſam pro defunctis ex more perſolvant.

CAPUT III.

De Tertia.

CAntata miſſa pro defunctis, ſonet Secretarius Tertiam, & dimiſſo ſigno, ſolaque oratione Dominica ad nutum abbatis ſeu prioris terminata, inchoent Tertiam. Fiet autem hæc oratio tam ante iſtam, quam ante alias horas diei ab inclinis, ſeu etiam ſub formas, prout tempus dictaverit. Poſt regularem horam diei ſubſequatur Tertia de S. Maria: qua finita, prior pulſet ſignum ad convocandum fratres in chorum, nec dimittat illud niſi ad nutum abbatis ſi adfuerit.

CAPUT IV.

De Capitulo.

DImiſſo autem ſigno, exeant eo ordine quo ſtant in choro, & bini procedentes intrent capitulum. Quo

ingressi, antequam sedeant, versus orientem inclinent. Advenienti abbati assurgant omnes, & inclinent illi ante quos transierit: priori vero assurgant tantum: quo residente resideant. Sed & illi qui juxta abbatem sessurus est, humilietur profunde de loco suo versus abbatem, & sic resideat; & ita faciat in omnibus locis, qui juxta eum sedere voluerit, excepto in ecclesia. Nam ibi fratres ei non supplicant, nec ad mensas, neque in dormitorio, sed nec nocturno tempore. Lector veniens ante analogium, aperiat librum, dehinc inclinet se ad benedictionem. Post primam lectionem non dicat *Tu autem Domine*. Sed postquam dixerit: *Et aliorum plurimorum sanctorum*, surgant fratres, & vertant se ad orientem, dicentes versum, id est *Pretiosa in conspectu Domini* *, sacerdote hebdomadario inchoante; qui dum dixerit *Gloria Patri*, prosternantur aut incurventur super genua secundum tempus; superiores, scilicet qui sunt in sede abbatis, & ii qui sedent hinc & inde juxta ingressum capituli versus orientem; ceteri autem incurventur vel prosternantur ex adverso. Quando sacerdos dixerit: *Et ne nos inducas in tentationem*, erigantur & stent sicut ad initium versus, scilicet *Pretiosa*, donec incipiatur collecta, id est *Dirigere*, & tunc incurventur super genua. Quæ incurvatio fiet omni tempore eodem modo ad hanc collectam. Lector quoque ita se incurvet vel prosternat ante analogium, sicut illi qui sunt juxta ingressum capituli. Dicto autem *qui fecit cœlum & terram*, resideant; ita tamen ut prius assideat qui tenet capitulum. Postquam omnes resederint, incipiat lector lectionem pro tempore legendam, sive de Regula [a], sive de evangelio. Qua finita dicat *Tu autem Domine*, & tunc pronuncietur anniversarium, si affuerit. Quod si quod breve pro defuncto ipso die legendum fuerit, statim subjungatur: quibus pronunciatis, si præbenda pro eis fuerit, dicat lector, *habet præbendam*, vel *habet præbendas*, quot scilicet annotatas viderit. Deinde dicat, qui tenet capitulum, *anima ejus*, vel *animæ eorum*, si plures fuerint, *& animæ omnium fidelium defunctorum re-*

* Vid. lib. Usuum Cisterciensium c. 70.

[a] Diebus privatis legebatur Regula, festivis evangelium seu homilia aliqua in evangelium diei.

quiescant in pace; & responso ab omnibus *Amen*, lector accipiens tabellam legat breve, diaconos & gradu inferiores vocans *fratres*: *domnos* vero vocans presbyteros: seipsum autem non aliter nominet quam *fratrem* cujuslibet sit ordinis. Et dum breve recitatur, qui nomen suum intellexerit, inclinet. Cui autem hebdomada aliqua ascripta fuerit, si intelligit illam propter aliquam incommoditatem non posse complere; potest inde misericordiam in capitulo quærere. Nam extra non debet facere. Postea inclinet lector, & eat in locum suum, & dicto *Benedicite* ab eo qui tenet capitulum, fiat sermo, si faciendus est. Quod si aliquis post *Benedicite* advenerit, dum assidens inclinaverit, dicat *Benedicite* submissa voce, ita ut illi possint respondere *Dominus* qui circa eum sedent.

CAPUT V.

De correctione culparum.

FActo autem sermone, nemo loqui præsumat, neque veniam petat, donec ille qui tenet capitulum dicat, *loquamur de ordine nostro*. Postea vero qui sibi in aliquo conscius fuerit transgressione communis ordinis aliquos offendisse; statim de sede sua ultroneus surgens, & ante sedem abbatis prostratus, paulo plus super dextrum latus vergens. nihilque adhuc dicens, in terram tantum faciem demittat. Tenenti autem capitulum eumque interroganti *quid dicitis?* respondeat prostratus *mea culpa*. Et ad jussum illius erectus humiliter confiteatur culpam suam, & pœnitentiâ pro voluntate tenentis capitulum suscepta, inclinet, nec inde se moveat donec ei dicatur *Ite sessum*. * Deinde fiant clamationes si faciendæ sunt. Qui autem clamat, non quærat circuitiones in clamatione sua; sed aperte dicat, *ille hoc fecit*, & qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen suum, non respondens in sede sua, eat petere veniam, & secundum quod ante descripsimus, prosternens se

* Vid. lib. Usuum Cisterc. c. 70.

& erigens, si reum se cognoverit; de reliquo emendationem promittat. Si autem se culpabilem non intelligit, qui eum clamavit, ipsam clamationem non repetat. Et sciendum est quod qui clamatus fuerit, non faciet clamorem ipso die super illum qui eum clamavit. Quando autem aliquis surgit ad judicium clamatus ab alio, quotiens clamabitur, in ipso judicio, totiens satisfaciat. Qui dum in terra jacuerit, nemo loquatur. At postquam erectus fuerit, dicatur ab eo in ipso judicio quod dicendum est, nec compellatur surgere postquam residerit, nisi aliqua rationabilis causa in ipso capitulo contra eum postea succreverit. Si quis sponte in judicium venerit, sub una venia confiteatur omnes negligentias, quas confessurus est. Quod si alius eum clamando surgere compulerit, illo clamore pertractato, si de se ipso aliquid dicere voluerit, iterum petat veniam. Porro si plures insimul fuerint in judicio; qui prior fuerit, prius loquatur: & cum loquutus fuerit, statim judicetur, & de judicio dimittatur, nisi forte abbas eum remanere fecerit, vel quemlibet ex ipsis ceteris dimissis, ut majus judicium sustineat, si majorem ceteris culpam habet. Similiter judicentur singulariter ceteri, & singulariter dimittantur. Nemo præsumat loqui in ipso capitulo, nisi clamando alium, vel clamatus ab alio, præter abbatem, & priorem, & quosdam de senioribus, quibus abbas concesserit, nisi forte jussus vel interrogatus ab eo qui capitulum tenuerit, vel aliquid de ordine quæsiturus. Quod si forte aliquis jussu abbatis salvationem episcopi vel abbatis capitulo præsentaverit; humilient se, pro episcopo quidem ponendo manus usque ad terram; sed ad salvationem abbatis inclinent se tantum. Similiter inclinent quando abbas indicit eis facere aliquam communem orationem. Similiter inclinent quos voluerit promovere vel degradare, vel in gradum suum restituere, seu quos decernit ligare per pœnitentiam vel solvere; & similiter omnes quibus aliquid jusserit facere. Nullus clamet aliquem ex sola suspicione, nisi de hoc quod audierit vel viderit. Quando aliquis clamatus verberandus fuerit, postquam ab abbate exui jussus fuerit, mox resideat in

eodem

eodem loco, in quo stat; & depositis vestibus usque ad tunicam per capucium tunicæ exerat brachia sua, & totum corpus denudet usque ad cingulum, & sic consistens nihil dicat nisi *mea culpa, ego me emendabo*, quod crebrius repetat. Qui indutus ad jussionem tenentis capitulum & erectus, non se moveat donec dicatur, *ite sessum*; & tunc inclinans eat in locum suum. Hoc etiam caveatur, ne aliquis extra capitulum loquatur alicui, vel significet de culpis seu de secretis causis quæ recitantur in capitulo.

CAPUT VI.

De ritu admittendi ad societatem.

QUod si episcopus, vel abbas, vel etiam rex aliquando capitulum intraverit; assurgentes ei inclinent cum ante eos transierit. Si vero societatem quæsierit, assurgentibus omnibus concedatur ei per librum, & responso *Amen*: similiter abbas quærat ab eo partem beneficii sui. Et postquam demoratus fuerit quantum ei placuerit, deducat eum ad hospitium prior, vel cui abbas jusserit, antequam conventus egrediatur, nisi abbas eum usque in finem capituli retinere voluerit. Quod si monachus, vel clericus, vel etiam laicus fuerit; similiter recepta societate ab quolibet fratre deducatur.

Vid. lib. US. Cist. c. 70.

Nullus ex quo fratres ingressi sunt capitulum exeundi licentiam quærat, nisi aliquis obedientialis fuerit, aut necessitas naturæ compulerit, aut cui abbas non indixerit. Isti namque cum necesse habuerint, solent pro officio suo licentiam exeundi quærere.

CAPUT VII.

De Confessione.

TRactatis igitur quæ tractanda sunt, surgentes omnes vertant se ad orientem, & sic qui tenet capitulum dicat *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & responso ab

Vid. lib. US. Cist. c. 71.

Rr

omnibus, *Qui fecit cœlum & terram*, inclinent ad orientem; & exeant omnes, nisi aliquis revocetur causa confessionis in die quo non laboramus. Nam omni tempore lectionis ante prandium & etiam in intervallo ante Primam; qui ante ictum fecerint signum, possunt confiteri. In qua confessione, petat veniam qui confessurus est: Post quam residentes, dicat prior *Benedicite*, & responso *Dominus* subsequatur prior *Deus sit nobiscum*; & responso *Amen*, confiteatur breviter culpas, pro quibus veniam petiit. Quibus dictis statim subsequatur *De his & omnibus aliis peccatis meis me reum confiteor & veniam postulo.* Tunc prior facta ejus absolutione, injungat pœnitentiam: Deinde potest eum confortare, monere, increpare, prout viderit ei expedire, si voluerit; breviter tamen.

CAPUT VIII.

De labore manuum.

vid. lib. Us. Cist. c. 75.

Finito capitulo & præparatis fratribus ad laborem; pulsetur tabula à priore vel subpriore, si prior jusserit, ad cujus sonitum conveniant omnes, exceptis infirmis, & variis officiis deputatis. Servitor tamen infirmorum, nisi apparatu infirmorum retentus fuerit, & cantor, & sacrista, & hospitalis, & magister novitiorum, sicut & alii conveniant. Si quis pro qualibet causa remanserit, ostendat necessitatem suam subpriori, & quod jusserit faciat. Quod si jusserit remanere; provideat prior laboris, ipso fratre commonente, quid facere debeat, postquam illud compleverit, pro quo remanet. Ferramenta & alia instrumenta ad laborem necessaria prior dividat, prout viderit expedire. Exeuntes autem sequantur (priorem) vel quem prior jusserit. Pervenientes autem ad laborem, non multiplicentur inter se signa, nec præsumant loqui, nisi de ipso labore breviter, & necessario, & silenter cum priore seorsum à fratribus. Sed & prior raro loquatur absente abbate: præsente vero ob reverentiam ipsius rarissi-

me. Non pausent, nec digrediantur alicubi quacumque necessitate sine licentia. Sed si contigerit digredi, expleta necessitate ad laborem citius revertantur. Sed si lector, servitores, vel aliquis alius mixtum accepturus, ibi fuerint, audito signo ad mixtum, quærant à priore licentiam eundi: quid etiam post mixtum facere debeant interrogent. Cum repausaverint secundum quod qualitas aëris vel situs loci permiserit, circa priorem repausent. Et sciendum quod tempore laboris nec legere, nec librum ad laborem deferre cuiquam liceat. Audito signo ad horam, intermittant opus, etiam si ibi horam dicturi sunt. Si prior signum non audierit, qui audit significet ei. Cessante vero signo, oratio Dominica ad nutum prioris præmissa, sacerdos hebdomadarius, si affuerit, incipiat horam: quod si defuerit, alius aliquis cui prior innuerit, incipiat. In qua videlicet hora ita prosternantur aut incurventur sicut in ecclesia. Quod si propter aëris intemperiem, vel aliam aliquam rationabilem causam ad opera egredi non potuerint; ab ipso priore opus quod fiat in claustro diligenter provideatur: pro quo tamen opere de hora non remanebant; qua finita, revertantur ad opus. Revertentes autem de labore, ponant instrumenta quæ detulerunt, ubi ad laborem præparari solent, & reddantur priori.

CAPUT IX.

De mixto.

SI dies prandii fuerit, ad mixtum percutiatur cymbalum tribus ictibus ante Sextam à servitore. Si autem jejunii & lectionis, post Sextam. Si vero laboris & jejunii, totidem signum in ecclesia. Quo audito mensæ lector & alii mixtum accepturi veniant in refectorium. Quod si aliquis eorum defuerit, qui præsens est non expectet: Si duo vel plures affuerint, qui inferioris est gradus dicat *Benedicite*; qui majoris, benedicat. A capite vero jejunii usque

Vid. lib. US Cist. c. 73.

ad pascha, exceptis Dominicis, & in tribus diebus rogationum & quatuor temporum & vigiliis Domini & sanctorum mixtum non sumunt.

CAPUT X.

De abstinentia & jejuniis.

AB esu carnium & sagiminis abstinere statuimus. Ab Idibus Septembris usque ad pascha singulis diebus exceptis Dominicis jejunamus. In adventu vero exceptis diebus novem lectionum sicut in quadragesima abstinemus. A pascha usque ad pentecosten non jejunamus, exceptis tribus diebus rogationum & die letaniæ majoris, si infra hebdomadam paschæ non obcurrerit, in quibus tamen quæ nobis apponuntur cum gratiarum actione percipimus. In sexta feria post octabas ascensionis & sabbato sancto pentecosten sicut in quadragesima jejunamus. Quarta autem feria & sexta & sabbato infra hebdomadam pentecosten jejunamus sicut in rogationibus. A pentecosten usque ad Idus Septembris sexta feria jejunandum statuimus sicut in rogationibus. Ceteris autem diebus, exceptis in vigiliis & quatuor temporum jejuniis, bis in die reficimus. Vigilias vero in quadragesimali victu observamus.

CAPUT XI.

De Vestimentis.

vid. lib. Us. Cist. c. 55.

VEstimenta secundum abbatis providentiam donentur fratribus, quæ religioni & paupertatis suæ competant professioni. De quorum colore aut grossitudine pauperes Christi non murmurent. Sufficiant ergo fratribus secundum nostræ domus instituta viventibus tunicæ duæ, pellicia una, suppellicium, sive pelles vel pallium, cappa, femoralia, caligæ, pedales & propter laborem scapulare,

Lectualia vero hujusmodi sufficiant culcitra de floctis linea, sive laneolum, capitale auriculare linteum.

CAPUT XII.

Quibus horis laborandum sit.

OMnibus diebus quibus jejunamus, quibus operari licet & vacat, semel in die post capitulum, quod post Tertiam tenetur, ad Nonam usque laboramus. Diebus vero quibus non jejunamus, bis in die, à capitulo scilicet quod post Primam tenetur usque ad Tertiam, & à Nona usque ad Vesperas laboramus.

Vid. Reg. S. Bened. c. 48.

CAPUT XIII.

De Silentio.

OMnibus tam clericis quam laicis continuum injunctum est silentium intra totius mansionis nostræ ambitum, nisi propter latrones, vel impetum ignis & his similia. Excipiuntur vero hi quorum sollicitudini exteriora domus regenda commissa sunt. Cum abbate autem & priore de necessariis loqui poterunt. Si vero quælibet personæ, vel quilibet extranei, vel consanguinei advenerint, non debent fratres quærere licentiam loquendi cum eis.

Nota.

CAPUT XIV.

De refectione.

POst horam præveniat prior pulsare cymbalum. Quod si forte cibus nondum paratus fuerit, non pulsetur donec paratum sit. Nec fratres abluant manus, sed interim sint in lectione donec cymbalum percutiatur: quod & ad

Vid. lib. Us. Cist. c. 76.

omnes refectiones similiter teneatur. Lotis igitur manibus & detersis, intrent refectorium: & venientes ante sedes suas, inclinent se versus principalem mensam, deinde erigantur, & sic stent donec abbas veniat. Si autem diu moratus fuerit, quod omnino cavere debet, sedeat interim qui voluerit. Cum ergo abbas venerit, assurgant ei & inclinent: qui inclinet se ante sedem suam antequam pulset campanam, quæ tandiu pulsetur ad utramque refectionem, donec secundum congruam expectationem fratres advenisse posse æstimabit. Qua dimissa, dicat conventus *Benedicite*, & dicto versu, cum dixerint *Gloria Patri*, inclinet se chorus contra chorum dicentes *Gloria Patri*, *Kyrie eleison. Pater noster*. Cum autem sacerdos dixerit *Et ne nos inducas*, erigat se, & stans contra principalem mensam dicat Oremus *Benedic Domine*, &c. faciens unam crucem, & sic compleat benedictionem. Post hæc lector veniens ad locum constitutum, *Jube domne* dicat, & inde non moveat donec abbas benedictionem finiat: qua accepta, lectum eat. Postea fratres ingrediantur mensas. Porro servitores provideant, ut quot scutellas potuerint ante *Gloria Patri* per mensas disponant, nec transeant ante fratres & retro dum in circuitu fuerint: at cum erecti fuerint, possunt perficere quod inceperant. Apposito itaque communi cibo, si cellarius voluerit superaddere pro misericordia illis, de quibus indictum est ei ab abbate, ipsemet deferat eis vel deferri faciat, & sicut voluerit tribuat. Hoc idem faciat & minutis. Cœpta ergo lectione, fratres discooperiant panes, abbate primum discooperiente. Ex hinc nullus exeat de refectorio, nullus incedat comedendo, nullus ibi abluat scyphum, sed liniat qui voluerit, nullus tergat manus vel cultellum ad mappullam, nisi prius cum pane terserit. Qui voluerit sal accipere, cum cultello accipiat: qui bibit utraque manu scyphum teneat. Si quis viderit alicui aliquid deesse; requirat à servitore: quod si alius non adverterit, ipse cui deest juxta se sedenti significare poterit. Qui aliquid apponit, & cui apponitur invicem sibi inclinent. Cui abbas aliquid miserit, prius inclinet deferenti; deinde assurgens humilis se versus abbatem. De cibo communi nemo dividat alicui. Quod si cui aliquid

superadditum fuerit, nisi pro minutione vel infirmitate ei datum fuerit à cellario, tantum dare potest juxta sedenti ad dextram vel ad sinistram. Illi vero nulli dare debent. Si autem uni tantum dederit, ille dare potest juxta se posito, sed ultra non procedat. Si quis de comedentibus vel servitoribus aliquo modo offenderit, petat veniam ante gradum, & facto sonitu ab abbate cum cultello surgat, & inclinet se & redeat ad locum suum. Remotis scutellis, colligant servitores coclearia, incipientes à mensa abbatis; dehinc à sinistra parte, id est à mensa prioris. Post hæc ad jussum abbatis dicat lector *Tu autem*, & responso à conventu *Deo gratias*, percutiatur campana ab abbate ictu uno, & tunc cooperiant quod superest de pane. Moxque surgentes stent ante mensas eo ordine quo ante refectionem steterunt. Iterum abbas pulset campanam, deinde dicatur versus à conventu, quem cantor incipiet, dimissa campana. Quo dicto, inclinent & exeant cantantes *Miserere mei Deus*, quem incipiat cantor, illis cum eo cantantibus, qui sunt in dextro choro in ecclesia; secundum vero versum dicat sinister chorus, & sic cantent alternatim bini & bini euntes, junioribus scilicet præeuntibus; ita tamen ut abbas solus eos sequatur. Quod si alius abbas affuerit; eant ambo simul. Ingredientes vero chorum decantent *Miserere mei Deus*, stantes sicut ad ceteros psalmos, usque *Gloria Patri*: & tunc prosternantur super formas, vel inclinent secundum tempus. Finitis gratiis, recedant, nisi vesperæ pro mortuis agendæ mox subsequi debeant.

CAPUT XV.

De coquina.

NUllus ingrediatur coquinam, excepto cantore & scriptoribus ad planandam tabulam, aut faciendum incaustum, ad exsiccandum pergamentum, & sacrista pro accendendo lumine in ecclesia, vel prunis in thuribulo

Vid. lib. Us. Cist. c. 72.

vel in patella ponendis. Sed nec isti intrare debent, si in calefactorio ignem sufficienter invenerint. Potest & pro officio suo infirmarius intrare, & quem coquus vocaverit ad ponendum super ignem caldarium vel deponendum.

CAPUT XVI.

De refectorio.

Vid. lib. Us. Cist. ibid.

REfectorium similiter nullus ingrediatur, nisi per illud ad aliquam officinarum transitus fiat, excepto infirmario & cocis & servitoribus pro officio ministerii sui, & ceteris omnibus cum bibere indiguerint & servitores ecclesiæ pro salino.

CAPUT XVII.

De Calefactorio.

vid. lib. Us. Cist. ibid.

CAlefactoria possunt ingredi ad quæ sæpius diximus facienda, ad sotulares ungendos, ad se minuendum, ad calefaciendum: quod honeste faciendum est.

CAPUT XVIII.

De Auditorio.

AUditorium numquam ingrediantur; sed si aliquo opus habuerint, quærant signo vel sonitu ad ostium, & tunc si concessum fuerit, ingrediantur; completoque pro quo ingressi sunt, cito exeant, nisi detineantur.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Dormitorio.

DOrmitorium ingrediantur quotiens opus habuerint. Intrantes vero domum necessariam quantum possunt abscondant vultus suos in capitiis suis. In dormitorio non sedeant, nisi quando se calciant & discalciant, & quando mutant tunicas vel fœmoralia, nisi aliqua rationalis causa interserit; & tunc in lectis suis vel in suppedaneis, exuentes & induentes se honeste, ne nudi appareant. Nullus lectum ascendat rectus, sed de sponda divertat pedes suos in ipsum lectum, nullus ibi vestes excutiat, nec signa faciat nisi ob necessitatem.

CAPUT XX.

De tempore æstatis.

A Pascha usque ad Idus Septembris post matutinale officium fratres redeant ad lectos, quodam fratre, si opus fuerit, lucernam præferente. Expanso autem die cum signum à priore factum audierint, præparati omnes in claustrum exeant: pexique ac loti intrantes ecclesiam aspergant se aqua benedicta, excepta Dominica die: & facta oratione prout cuique Deus donaverit, redeant in claustrum, & facto intervallo ante Primam, si dies laboris fuerit, præparent se cum suis adjutoriis, qui volunt ante missam cantare. Ceteri autem possunt interim ad confessionem ire, orare, & legere, & qui missam pro defunctis ex consuetudine debet, sicut supradictum est, cum suo servitore persolvat. Ea finita, pulset sacrista Primam, & mox omnes in chorum conveniant, & facta trina oratione sicut ad vigilias, cantent Primam, dehinc eant in capitulum, post hæc ad laborem usque ad signum ante Tertiam.

quo audito, præparent se qui missam sunt cantaturi: quibus præparatis, pulsetur & cantetur Tertia, post Tertiam missa: post missam sedeant in claustro. Cum hora fuerit percipiendi mixtum, pulsetur cymbalum eo modo quo diximus. Post Sextam eant in refectorium, post refectorium ad ecclesiam pergentibus nullus fiat ebrius, nec quando post versum exierint, vel quando post Nonam in refectorium, vel quando post Completorium in dormitorium, sive etiam quando capitulum egrediuntur. Exeuntibus omnibus de ecclesia præter sacristam, nullus se separet à conventu, donec intrent dormitorium: tamen nullus exeat sine licentia, excepto sacrista, cellario, hospitali, & custode infirmorum, si tunc affuerint, causa officii sui. Servitores vero post refectionem cantantes *Miserere mei Deus*, divertant in capitulum, versum complentes: deinde intrent dormitorium. Facto vero signo ad surgendum festinent quorum officio competit parare aquam in lavatorio ad lavandum manus, & in refectorio ad * portandum. Ceteri vero parati, & manus abluti, aut intrent chorum, aut sedeant in claustro, donec signum pulsetur.

Vid. lib. Usuum Cisterciensium c. 83.

m.

CAPUT XXI.

De bibere post Nonam.

DIcta Nona, eant in refectorium præeuntibus junioribus eo ordine quo stant in choro, bini & bini incedentes; prior vero sequatur solus, absente abbate; vel subprior, si prior defuerit. Qui venientes ante sedes suas inclinent, & facta benedictione, sic se agant sicut ad bibere post vesperas. Postquam biberint, repercutiat prior campanam, & surgentes exeant in claustrum; terminatis lectionibus, ceteris prævisis, quæ ad opus Dei pertinent, eant in dormitorium & præparentur ad laborem. Quibus præparatis, pulsetur tabula & eant. Ante vesperas revertantur. Post vesperas, sicut superius diximus, percusso cymbalo accedant ad cœnam.

Hic ordo servabitur à pascha usque ad Idus Septembris omnibus diebus quibus laboramus & non jejunamus. Ceteris vero diebus fiat sicut hyeme, excepta vigilia pentecosten. Post vesperas sedentes in claustro tam hiemali quam æstivo tempore, non alte legant vel cantent. Non significent nisi de necessariis, nec jungantur simul, sed separatim sedentes aut lectioni vacent, aut orationi. Priore autem percutiente cymbalum, conveniant in refectorium ad bibendum, & inclinantes ante sedes suas sicut faciunt ad prandium, expectent post campanulæ sonitum potus benedictionem, quam dicat hebdomadarius, & sic resideant in locis suis. Qui vero postea occurrerit, veniens ante mensam majorem quærat licentiam bibendi: qua percepta, inclinet ibi, & eat sessum; & cum viderit qui sedet ad majorem mensam tempus congruum, percutiat uno ictu campanulam, ad quem surgentes fratres stent sicut prius ante mensas suo ordine, & dicto ab hebdomadario, qui benedictionem fecit, *Sit nomen Domini benedictum*, & responso *ex hoc nunc & usque in sæculum*, exeant in claustrum.

Vid. lib. Usuum Cisterc. c. 80.

CAPUT XXII.

De collatione ante completorium.

SEcretario signum collationis pulsante, intrent fratres capitulum, & sedentes expectent abbatem: quo adveniente, surgant omnes, & inclinent illi ante quos transierit: Priori vero assurgant tantum: quo residente, resideant. Tunc lector ad nutum abbatis dicat *Jube domne*, & legat. Interim qui biberi defuerit, solus & sine licentia in refectorio potest bibere etiam in scapulari. Nam quicumque alio tempore lectionis seu laboris post prandium bibere voluerit, licentiam quærens ab illo, quem priorem invenerit, ducat quemlibet secum. Abbas non quærat licentiam bibendi vel minuendi, neque prior nisi (ab) abbate, sed nec subprior, nisi (ab) abbate vel priore. Lectione igitur finita, surgant omnes, & stantes versi ad orientem

Vid. lib. Usc. Cist. c. 81.

dicat abbas *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & responso *qui fecit cælum & terram*, & inclinantes omnes ingrediantur ecclesiam.

CAPUT XXIII.

De fine completorii.

DIcto completorio regularis horæ, circa finem completorii Beatæ Mariæ provideat cui injunctum fuerit, & accendat lumen in lanterna vel in absconsa ante fratres, si necesse fuerit, deportando. Quo accenso, & super gradum presbyterii collocato, redeat ad locum suum. Finito autem completorio de S. Maria, eat abbas per medium chorum; & priores ordinentur post eum, facientes trinam orationem. Si abbas, vel prior, & subprior defuerint; ille qui horam compleverit similiter faciat, & manens in loco prioris terminet orationem: qua terminata, aspergat singulos aqua benedicta ordinatim egredientes: & fratre, cui injunctum est, lumen præferente, ponant omnes capitia in capitibus suis, & nusquam divertentes præter sacristam ingrediantur dormitorium. Unde nullus nisi per licentiam exeat, excepto sacrista, cellario, hospitali, & custode infirmorum. Sine tunica vero & caligis non debent jacere.

vid. lib. Us. Cist. c. 82.

CAPUT XXIV.

Quibus diebus duæ missæ dicantur.

IN die Natalis Domini, in Circumcisione, in Epiphania, in die paschæ & tota hebdomada, in omnibus solemnitatibus S. Mariæ, excepta Purificatione..........

....

tate S. Mariæ Magdalenæ & S. Laurentii, Sanctique Augustini, Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum &

B. Martini, S. Nicolai, in Dedicatione ecclesiæ & omnibus diebus Dominicis cantantur duæ missæ, excepta Dominica in Ramos palmarum, & vacant fratres lectioni. Aliis omnibus festis una tantum canitur missa, exceptis quæ eveniunt in Quadragesima, scilicet S. Gregorii & S. Benedicti, si ante palmas occurrerit, & vadunt fratres ad laborem.

CAPUT XXV.

De pueris.

STatuimus quoque nos ultra pueros infra annos maturos non admissuros, neque ad scholarem disciplinam, neque ad conversionem, donec omnium moderatrix Dei sapientia concesserit aliqua nobis religionis loca. Totidem de ægrotis in articulo infirmitatis laborantibus. Sed ne quisquam fratrum silvaticum opus cujuslibet emat, aut in itinere à foro secum deferat prohibemus.

CAPUT XXVI.

De suffragiis pro defunctis.

FRatri defuncto tam laïco quam clerico debent qui sacerdotes sunt unusquisque x. privatas missas: qui autem inferioris ordinis sunt singuli v. psalteria: laicorum vero unusquisque DCC. *Pater noster* & L. Similiter pro sorore. Si vero alius moriatur antequam hæ orationes persolvantur, reincipiantur à capite pro utroque defuncto simul, & usque ad præfinitum numerum terminetur.

CAPUT XXVII.

De fratribus laicis & conversis.

DOmino quoque cooperante statuimus, & inconvulse tenere decrevimus, quod nullum postquam in laicum fratrem & conversum à nobis susceptus fuerit, in canonicum recipiemus, maxime si ille per se hoc petere præsumserit. Quicumque etiam ex propria electione, vel protervia de aliquo rudi propter decorem insitum indumentum sibi fieri postulaverit ....
Sed si difficilis res habetur, seorsum & humiliter à discipulo magister, vel solus vel cum paucis conveniatur; ut nemo fratrum in silentio consistens quoslibet loquentes auscultare consuescat, ut tabula à laico fratre laboris præposito mane postquam excitati fuerint oratione completa, scilicet *Pater noster*, *Credo in Deum*, *Miserere mei Deus*, pulsetur, ut nemo pannos suos nisi mora itineris vel squallor langueris compulerit ad abluendum per se mittere assuescat.

CAPUT XXVIII.

De multis in monasterio vitandis.

DE quocumque, etiam notabili offensa, alius alium suspectum habuerit, secundum Regulam nostram abbati vel priori prius indicetur. Quisquis etiam in itinere vel quocumque loco hujusmodi proximo suo detrahenti associatus fuerit; scriptura sacra commonente, tristis eidem exhibeatur facies. Nullus etiam sine sapientum consilio fidem ab aliquo sæculari de conversione facienda exigere præsumat, ut nemo fratrum alius cum alio infra ambitum mansionis nisi in præsentia magistri loquatur; quo existente in aliquo itinere, id coram priore fieri licet, exceptis verbis quæ ad alicujus rei indicium pertinent. Ut nullus cum-

ira quidpiam maledicat. Nemo in coquina pannos excutiat, caput abluat aut radat; sed neque cum aliquo nisi ad tres præpositos domus, de aliqua re conqueratur. Nemo solus habitaculum feminarum vel sine licentia ingrediatur, aut loquatur. Nullus inconsulte extraneis secreta domus referat seu coram sæcularibus; si quominus caute gesta reprehendere audeat, propter hoc enim & Cham filius Noe reprobatus est. Nemo absque licentia magistri aliquid præter communem cibum apponere audeat, nisi forte infirmus, aut hospes, aut minutus fuerit, exceptis illis quos propter pristinam consuetudinem suam Regula nostra misericorditer excludit. Semel & simul omnibus injungo familiares vestros à vobis supervenientibus salutandos, unusquisque vestrum de rebus incertis potius æstimando quam affirmando loqui discat. Nullus in opere suo alicunde murmurare audeat. Nullus extra refectorium comedere aut bibere; aut extra dormitorium jacere domi existens præter ægrotos præsumat. Nullus exceptis cœnobii præpositis aliquid vendere, vel emere, vel accommodare, vel mutare sine licentia audeat: Sed neque aliquid tribuat aut recipiat nisi cum licentia. Frater nugigerulus aut susurro penitus à vobis, ne contagione pestifera plurimos perdat, removeatur, ut nullus fratrem suum quamvis in obedientia sibi commissa erraverit in faciem redarguere audeat. Sed secundum Regulam præposito prius eventus rei ostendatur. Qualiter sit intelligendum quod ait Dominus, *si peccaverit in te frater tuus*, & quod non sit contrarium Apostolo dicenti, *peccantes coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant*. Quod *amen*, *Deo gratias*, *habemus ad Dominum*, *dignum & justum est*, *Pater noster*, ante & post cibi perceptionem pressis labiis à fratribus dicenda sunt. Ut etiam loco trinæ orationis *Pater noster* cum *Credo in Deum* post Completorium ante Matutinas & ante Primam laici quotidie decantare debeant. Ut inter *Libera nos à malo*, & *pax Domini sit semper vobiscum*, memoria à singulis pro stabilitate loci & ordinis habeatur. Nullus etiam fratri suo culpam emendatam objiciat. Si quis fratrum, abbate & capitulo ei quidquid legitimum est offerente, ad archiepis-

NOTA.

copum vel episcopum querimoniam de quacumque re facere præsumpserit; pro ut visum fuerit abbati XL. dies pœniteat. Si ad aliquem potentem, X. dies. Si ad alium abbatem XX. dies satisfaciat. Prohibemus ut etiam de familia nostra nemo fratri à conventu per regularem disciplinam ejecto communicet. Sed neque si omnino talis discesserit, quisquam pannos ejus accipere aut emere audeat, nec conductum præbeat. Postquam frater ad lectum post completorium venerit, nec ante stratum, nec supra diu resideat: sed corporeis necessitatibus completis, statim se in cubiculo suo collocet. Quicumque etiam in capitulo, ubi peccata delenda sunt, protelare audeat remurmurando, veritati resistendo nequicquam reveritus fuerit, & in contumacia illa diutius perstiterit; illi qui prudentiores habentur adversus hujus modicum abbate insurgant.

CAPUT XXIX.

Ritus emittendæ professionis.

NOvitius probatus facturus professionem suam accedat ad altare, & dicat ter *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum & vivam; & non confundas me ab expectatione mea*, petens veniam quotiens finierit ipsum versum. Deinde prosternat se ante altare, abbate inchoante antiphonam *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, quam fratres finiant, subjunctoque primo versu psalmi scilicet *Magnus Dominus* cum *Gloria Patri*, eamdem reincipiant. Qua finita, subjungat abbas *Pater noster. Et ne nos. Salvum fac servum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Esto ei, Domine, turris. Nihil proficiat inimicus in eo, Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.*

Deus qui non mortem peccatorum, sed pœnitentiam & emendationem vitæ semper inquiris, suppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo N. sæcularibus actibus renunciaturo, largæ tuæ pietatis gratiam infundere digneris; quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium præsentis vitæ percurrere valeat, ut

bravium

bravium æternæ vitæ remunerationis te donante percipiat. Per Dominum.

Postea surgens novitius legat professionem suam hoc modo : *Ego frater N. promitto, Deo auxiliante, subjectionem & obedientiam Domino N. abbati & successoribus suis ; & stabilitatem huic ecclesiæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ, & canonicam vitam secundum Regulam S. Augustini Patris nostri.*

Et ponat eam super altare osculans illud. Deinde prosternat se, & incipiat abbas antiphonam *Confirma hoc Deus*; quam fratres finiant. Qua finita, abbas subjungat benedictionem.

Deus qui famulum tuum à sæculi vanitate conversum ad supernæ vocationis accendis amorem, pectoribus nostris purificando illabere, & gratiam in eo, qua in te perseveret, infunde; ut protectionis tuæ munitus præsidiis, quod te donante promisit, impleat; & suæ professionis executor effectus, ad ea quæ perseverantibus in te dignatus es promittere gaudia pertingat. Per Dominum nostrum.

Postea surgat novitius, & donet ei abbas per Regulam communem societatem congregationis dicens, *Suscipiat te Deus Pater in numerum fidelium suorum, & nos licet indigni suscipimus te in orationibus nostris : concedatque tibi per Unigenitum suum mediatorem Dei & hominum locum bene vivendi, & instantiam bene perseverandi, & ad æternæ vitæ hæreditatem fideliter perveniendi, & sicut nos hodie caritas fraternitatis specialiter conjungit in terris, ita divina pietas quæ fraternæ dilectionis est auctrix & amatrix cum fidelibus suis conjungere dignetur in cælis. Per eumdem.*

Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Kyrie eleison iij. *Pater noster. Salvum fac servum tuum. Mitte ei auxilium de sancto.* Oremus.

Prætende, Domine, misericordiam tuam famulo tuo, dextramque cælestis auxilii, ut & te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur.

Alius Ordo ad faciendam professionem.

Novitius volens professionem facere, post offerenda veniat ante altare, & conventus in circuitu ; & dicat no-

* volvens.

vitius * volens flectendo genua tertio hunc versum, *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea*: Fratribus respondentibus tertio, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ, justitia plena est dextera tua. Gloria.* Denique novitio prostrato, dicantur hi psalmi, *Magnus Dominus, Miserere mei Deus, Ecce quam bonum.* Quibus finitis, incipiat prælatus, vel cui ipse jusserit letanias, & in fine dicant, *Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera. Salvum fac. Mitte ei Domine. Esto ei Domine. Nihil proficiat. Domine exaudi.* Oremus. *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo. Deus qui non mortem peccatoris, sed pœnitentiam & emendationem vitæ, &c.* Tunc surgens novitius legat cartam suam hoc modo.

Ego frater ill. offerens trado me ipsum Deo & ecclesiæ Sanctæ ill. & promitto obedientiam secundum canonicam regulam S. Augustini Domno ill. præfatæ ecclesiæ abbati & successoribus ejus, quos sanior pars congregationis canonice elegerit; nec non & corporis mei stabilitatem.

Et ponat eam super altare, prælato dicente cum fratribus antiphonam *Confirma hoc Deus* tertio. Postea prælatus donet novitio ante se stanti communem societatem congregationis dicens hanc orationem S. Augustini: *Ante omnia, fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt nobis principaliter data. Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti. Primum propter quod estis in unum congregati, &c.* Sequitur integra S. Augustini Regula, quam professo novitio totam perlegebat.

VETERUM SCRIPTORUM NOVA COLLECTIO.

TOMI PRIMI, PARS SECUNDA.

MISCELLANEA EPISTOLARUM ET DIPLOMATUM.

PRÆCEPTUM DAGOBERTI II. REGIS Impetratum ab Ibboleno Abbate Anisolensis Cœnobii.

Confirmat immunitates ejusdem Monasterii.

DAGOBERTUS Rex Francorum vir inluster omnibus agentibus præsentibus atque futuris. Si petitionibus servorum Dei, in quo pro opportunitatibus Ecclesiarum vel Monasteriis nostris patefecerint auribus, libenter audimus; regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri stabilire confidimus. Ideoque Venerabilis IBBOLENUS Abba de Monasterio Anisola, qui est in pago Cynomanico, in honore peculiaris nostri Patronisque pii, Beati videlicet CARILEFI Confessoris con-

Circa annum 711.

ſtructus, per miſſos ſuos Clementiæ regni noſtri detulit in notitiam, eo quod conſobrinus noſter GUNTRAMNUS Rex ad ipſum Monaſterium ſub omni immunitate per ſuam auctoritatem conceſſiſſet, & hoc poſtea avi noſtri CHLOTHARIUS & item DAGOBERTUS ſeu etiam CHLODOVEUS nec non & CHLOTARIUS, etiam Domnus & avus noſter THEODERICUS, nec non & avunculus noſter item CHLODOVEUS, & præcelſus Domnus & genitor noſter CHILDEBERTUS quondam reges; qui per eorum auctoritates ipſorum manus roboratas, ipſi monaſterio hoc confirmaſſent: unde & ipſas præceptiones ſe ex hoc præ manibus habere adfirmant, & hoc circa ipſum monaſterium, nullo inquietante, aſſerunt conſervatum, ſed pro totius rei munimine poſtulat in hoc noſtra auctoritas ut in ipſo monaſterio plenius debeat confirmare, quod nos præſtitiſſe veſtra non dubitet magnitudo. Quapropter præſenti præcepto jubemus, ut ſicut per auctoritates ſeu per ſcripturarum principum leguntur, & uſque nunc fuit obſervatum, neque vos, neque priores, neque ſucceſſores veſtri in cauſis ipſius monaſterii, neque ad cauſas audiendas, neque ad freda exigenda, nec manſiones requirendo, penitus ingredere non præſumatis, niſi per auctoritatem firmatam ipſe Abba ſuique ſucceſſores atque congregatio eorum in ipſo monaſterio Deo auxiliante conſiſtentes, quod ad præſens rationabiliter habere videntur, aut adhuc à Deo timentibus hominibus ibi fuerit additum vel augmentatum ſub omni immunitate inſpectas ipſas præceptiones ſupra memoratorum principum, quem ſe præ manibus ex hoc habere affirmant, valeant tenere, poſſidere, & ibidem ad ipſum locum ſanctum per hanc auctoritatem noſtram, ut hoc quod eſt firmatum perenniter proficiat ad augmentum, quod potius eis melius delectet pro ſtabilitate regni noſtri Domini miſericordiam deprecare. Et ut hæc præceptio noſtra firmam obtineat vigorem, manus noſtræ ſubſcriptionis roborare, ſigilloque noſtro hoc decrevimus affirmare. In Chriſti nomine DAGOBERTUS Rex. Data ſub die XV. Cal. Februar.

PRÆCEPTUM LUDOVICI PII IMPERATORIS de electione Abbatis Anisolensis.

Anno 825.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperator Augustus, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, seu etiam Deo dispensante successoribus nostris, notum sit quia venerabilis ALBOINUS Abba monasterii S. CARILEPHI, quod dicitur Anisola, ad nostram accedens clementiam, suggessit mansuetudini nostræ, ut sicut auctoritas canonica & regularis jubet, monasterio, cui ipse Deo auctore præest, per nostrum præceptum confirmare & post ejus obitum, si talis inventus in prædicto monasterio fuisset, qui secundum regulam S. BENEDICTI monachis Deo ibidem militantibus præesset, prodesse potuisset*, licentiam haberent inter se eligendi Abbatem. Cujus deprecationem, quia juste & rationabilis nobis visa est, aurem accommodavimus, & hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, ut post prædicti Abbatis discessum, si talis ibi de eadem congregatione inventus repertus fuerit, qui ceteros secundum regulam S. BENEDICTI regere possit, licentiam habeant inter se eligendi Abbatem, qualiter ipsam congregationem pro nobis, conjuge nostra, proleque nostra, & stabilitate totius imperii nostri hilariter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hanc auctoritatem à nobis factam verius credatis, & diligentius conservetis, manu propria nostra subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signare jussimus.

Signum HLUDOVICI Serenissimi Imperatoris.

DURANDUS Diaconus ad vicem FRIDEGISI recognovi.

Data pridie Calendas Junii anno Christo propitio XII. Domni HLUDOVICI Imperatoris, indictione tertia. Actum Aquisgrano Palatio Regio.

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI de electione Abbatis Anisolensis.

Anno 850.

IN Dei nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS gratia Dei Rex. Si servorum Dei non inrationabilibus petitionibus benignum assensum præbemus; regiæ celsitudinis opera frequentamus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia venerabilis vir REINOLDUS Abba Monasterii sancti CARILEFI, quod vocatur Anisola, ad nostram accedens sublimitatem, humiliter petiit, ut eamdem à nobis sibi commissam & datam Abbatiam omnibus diebus vitæ suæ habendam per nostræ auctoritatis præceptum denuo confirmare dignaremur. Ejus incompetitionem clementi aure excipientes, hoc scriptum Altitudinis nostræ fieri jussimus, per quod secundum preces ejus, eamdem iterum cellam secundum Regulam Sancti BENEDICTI ab eo gubernandam, ei commisimus: videlicet ut quandiu secundum proprium propositum in Dei voluntate vixerit, atque in nostra fidelitate duraverit; ipsam superius nominatam Abbatiam, cum omnibus sibi juste legaliterque attinentibus rebus, securus teneat atque possideat, & regulari institutione disponat. Post suum vero ex hac vita decessum, licentiam habeant simul cum nostro auctoritatis assensu Monachi ejusdem loci, si inter eos inveniri potest, secundum canonicam auctoritatem & sacratissimi Patris BENEDICTI traditionem, ex se eligendi Abbatem. Si autem contigerit eum, quem sibi præstituendum elegerint, pro suis nequiter admissis, aut in Deum, aut in propositum suum, aut in nos, ab eadem obedientia prælationis amoveri sive expelli; non hac Serenitatis nostræ auctoritate concessionis eligendi Abbatem priventur, sed quandiu ex ipsis inveniri poterit, qui eis & præesse & prodesse possit, veluti præmissum est, semper habeant licentiam de se eligendi regularem abbatem, sine cujuspiam fidelium sanctæ

Dei Ecclesiæ nostrorum aut futurorum temporum contradictione sive impedimento. Et ut hæc magnificentiæ nostræ auctoritas semper in Christi nomine meliorem obtineat firmitatem, manu nostra eam subterfirmavimus & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum CAROLI gloriosissimi regis.

BARTHOLOMEUS notarius ad vicem HLUDOVICI recognovi.

Data IX. Calendas Junii. Anno X. regnante CAROLO gloriosissimo rege, Indictione XIII.

Actum Velmeria palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

THEODULPHI AURELIANENSIS EPISCOPI VERSUS AD CAROLUM IMPERATOREM addendi ad librum de Processione Spiritus-sancti ab ipso editum.

PErge, libelle, celer CAROLI ad vestigia celsi
Regis, & ô pie dic, Induperator ave.
tSratus humi plantis, da basia grata decoris.
Hinc surgens digna mox pete sorte genu.
At si in te rutilos oculorum fixerit orbes,
Et te clementer sumat amœna manus,
Et roget unde venis? quid vis? quo tendis? es aut quis?
Protinus huic supplex talia dicta dabis.
Qui duce THEUDULFO per plurima prata cucurri,
Floribus en adsum cernis onustus ego.
Quod Patre procedat seu Prole Spiritus almus
Adstruere studeo dogmatibus fidei.
Cumque illis venio dextram conferre paratus,
Qui secus incedunt, hancque viam fugiunt.
Sic tu, si mox, num poteris? pius inferat ille,
Dic potero, potero, Rex; Deus addet opem.
Inclita sanctorum mecum est sententia vatum,
Quos bene spiramen Flaminis hujus agit.

Tuque manum injicies, vegetat quem Spiritus ille,
Causa tuo cujus tempore cœpit agi.
Qui decus es mundi, lux regni, tutor & æqui,
Catholicæ & fidei munus, & arma simul.
Justa jubes, injusta vetas, largiris honores,
Artibus ingenuis rite alimenta paras.
Has & amas, & amare jubes, recreasque, forisque,
Gurgite de illarum pocula large bibis.
Quid referam? virtute cluis, pietate redundas,
Inque bonis cunctis te, scio, nemo præit.
His tibi si dicat, dextram impositure duello
Exere virtutis jam modo, si quid habes.
Tu mox arma Patrum vasto de gurgite sumta
Cernito, docuit lex nova sive vetus
His dum nostra acies munita fatiscere nescit,
Cum vero vinces cujus es ipse sequax.
Fulgida splendifluis adirit victoria pinnis,
Et voti sancti, Rex pie, compos eris.
Imperii vestri, Rex inclite, jussa secutus,
Defero Theodulfus hæc documenta libens.
Queis Patre seu Nato procedere Spiritus almus
Adstruitur, legis hoc roboante tuba.
Hoc evangelium, hoc promittit Apostolus auctor,
Hoc canit unanimi vox pia corda Patrum.

DIPLOMA ROBERTI REGIS FRANCORUM pro Monasterio S. Maglorii Parisiensis.

CONsistentis in unitate Deitatis Summæ & incomprehensibilis Trinitatis in nomine Rotbertus Francorum Rex Augustus, disponente prælibatæ Deitatis clementia, intervenientibus reginis Adelaide venerabili sui genetrice, cum nobilissima uxore Berta nomine, omnibus cujuslibet ordinis sub imperio nostro degentibus liquido pateat volumus, obnoxii Deo sanctisque ejus dum vivimus, movemur, & sumus, expedit ita pro nostri

nostrorumque erratus diluvione commoveri, atque meritis sanctorum imprecari, eosque incessanter exorare, quatenus per ipsorum intercessionem valeamus pacifice vivere atque post metam hujusce labentis ævi Deum deorum in Sion sanctam contemplari. Quapropter congrua via, quod nobis pro commissi talenti lucro adtitulatur, reputantes quod Domino fidelibusque ejus tribuitur, inviolabile atque intemeratum persistere: simul moti misericordia pauperum & efflagitatione supradictarum honorabilium reginarum, cum assensu primatum nostrorum, fecimus Præceptum firmitatis de rebus, quas Pater noster beatæ memoriæ HUGO Rex, nosque pie contulimus monachis famulantibus Christo sanctissimoque MAGLORIO, in urbe Parisiaca quiescenti; ubi etiam fundavimus monasterium prætaxato præcipuo confessori ceterisque sanctis inibi assignatis ob illorum corpora, quæ ut peregrina hospitabantur per aliorum rura. Est autem prius terra in qua ipsum situm est monasterium, & prædium quod dedimus ipso die translationis sanctorum, & dicitur Villaris cum omni integritate, quæ ad ipsum pertinet, & capella inibi consecrata in honorem sanctæ Dei Genetricis MARIÆ. Item aliæ res quæ prius datæ sunt, unde prior est ædesiola in suburbio Parisiaco haut procul à mœnibus, in honore S. MAGLORII dicata cum terra sibi adjacenti, in qua ipsorum est sepultura monachorum. Clausus etiam vineæ juxta Saveias situs, quem dedit divæ memoriæ HUGO avus noster, æquivocique nostri ROTBERTI regis filius. Item pars terræ juxta Montem-martyrum quam comes FULCO dedit. Parvus etiam alodus quem tribuit VVILLELMUS juxta eundem situs supra scriptum montem. Nec non & alodus in comitatu Mellico, qui dicitur Grandis-campus, & prædium quod dicitur alodus in comitatu Parisiacensi secus Fontiniacum. Sed & ecclesiæ in Pinciacensi comitatu: prima in potestate Madriaca in honore S. DIONYSII dicata, cum capella in Maroilo sita in S. MARTINI honore fundata. Alia in Vernoïlio ecclesia S. STEPHANO dicata, & in eadem villa capella S. HILARIO consecrata. Denique & ecclesiola in villa, quæ

dicitur S. LEODEGARII, in cujus etiam nomine benedicta constat. Sunt etiam mansi III. tenuit Riculfus in beneficio ex supradicta potestate Madreia in episcopio Parisiaco & comitatu. Ecclesia S. MARIÆ nomini sanctificata & in eodem comitatu in potestate Isiaca vinearum atque preatorum XVIIII arpent. Etiam in Venua V. arpent vineæ. In potestate quoque Cataronis mansus I. arabilis terræ cum vinearum fœcunditate. In prædicto etiam comitatu in villa quæ dicitur Montium, mansus I. arabilis terræ cum vinearum ubertate. In eodem quoque territorio supra fluvium Urgenne dimidium maisnilum, quod dicitur Marcinelus cum pratorum copia. E proximo quoque maisnilum alterum, quod dicitur Sienis Villere, cum capella inibi in honore S. GENOVEFÆ ædificata. In Aurelianensi quoque comitatu alodus qui dicitur Cilliniacus cum omnibus sibi adjacentibus. Molendinum quoque unum Parisius in Fluvio Sequanæ. Item in comitatu Aurelianensi ecclesia in villa, quæ dicitur Gimminiacus. Hæc omnia supradicta, vel quæ deinceps à Catholicis viris eidem conlata fuerint, ecclesiæ ob amorem Dei & reverentiam ipsorum sanctorum confirmamus auctoritate nostra, quatenus semper sub plenissima deffensione & emunitatis tuitione corroborata permaneant: ita videlicet ut nullus ab hinc ad causas exigendas, aut freda, vel tributa exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, ut homines ejusdem Ecclesiæ tam ingenuos quam servos super terram ipsorum commanentes injuste distringendos, nec ullas rehibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere præsumat. Sed liceat Abbati suisque successoribus res prædicti monasterii sub emunitatis nostræ defensionem quieto ordine possidere ad stipendia monachorum ibidem Deo famulantium, perennibusque proficiat temporibus in augmentis. Volumus etiam ut omnium episcoporum ac comitum nostrorum in hoc concordet assensus, ut idem locus semper Abbatem habeat ex propria congregatione, qui ipsam casam Dei, & monachos ibidem degentes cum Normali honore

honore custodiendo tractet, simulque ut nullus Metropolitanus, aut aliquis suus subjectus, etiam pontifex Parisiacus, causa alicujus ordinationis illuc ingredi præsumat, nisi vocatus venerit aut ad sanctam missam celebrandam, aut ad ecclesias consecrandas, aut ad benedictiones clericorum faciendas, & quod debitum excusare non debet, qui vocatus fuerit. Et quoniam peregrini atque alienigenæ esse noscuntur, benigne, misericorditer, ac pie, almis & catholicis viris semper tractari ac contueri debeant pro Christo, a quo & nos cuncti peregrinamur in mundo. Decrevimus etiam per nostri auctoritatem præcepti, ut nemo super ipsos servos Dei potestatem exerceat, aut quempiam inter eos contra voluntatem ipsorum imponere tentet. Sed in eorum semper dispositione, ordinatione, & electione intus & foris omnia consistant, quatenus servos Dei, qui inibi Deo famulantur pro nobis & stabilitate totius regni à Deo nobis concessi, proque remedio animarum eorum qui pro amore Dei & sanctorum inibi sua tradidere donaria. Eorum quoque qui futuris temporibus daturi sunt præmia, liceat tute atque condigne Domino preces fundere, & hanc auctoritatem, ut firmior in Dei nomine habeatur, fidelibus quoque sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

Locus monogrammatis.

ROTGERIUS Cancellarius scripsit.

Locus sigilli.

DOTALITIUM
ADALSINDIS DE CERNAYO.

IN humanæ creationis initium, cum Deus hominem de limo terræ plasmasset, & vitæ spiraculum ei dedisset, factus est homo in animam, viventem. Tunc Deus dixit, non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjuto-

Circa annum 1000

Gen. 2. 18.

rium similem sibi: inde fecit eum obdormire, & tulit unam de latere ejus costam, de qua femina fabricavit: & illa ei adduxit, & sub viri potestate constituit, eisque benedixit, & ait, Crescite & multiplicamini & replete terram, quamobrem relinquid homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, & quod Deus conjunxit homo non separet. Post hæc vero annorum curricula in tali conjunctione multi nobiliter procreati sunt. Adveniens vero Dominus JESUS, summæ videlicet divinitatis Filius, cooperante Spiritu-sancto uterum Virginis intravit, & sine virilis commixtionis conceptione homo factus, in mundum dignatus est nasci. Et ut sanctam Ecclesiam sibi faceret sponsam, ad nuptias venit, easque sua præsentia sanctificavit, & ut in sponsi & sponsæ conjunctionis vivificatione signum lætitiæ demonstraret, aqua in vinum convertit. Apostolus quoque ejus viri & mulieris conjunctionem corroborare volens, viros admonet ita dicens; Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam: mulieribus præcepit, ut viris suis sint subjectæ in omni castitatis honore. Hujus igitur auctoritatis institutione monitus. Ego in Dei nomine. AMALDRICUS tibi, sponsa mea ADALSENNE, assumens mihi in conjugem meam, de rebus meæ proprietatis, sub nomine dotis honore tradens secundum cives Romani cedo tibi, sponsa mea, ecclesia, quæ in villa Cerniaco, & quantumcumque ad ipsa Ecclesia pertinet: id est Constantius cum uxore sua adque infantibus suis, & Dodus cum uxore sua adque infantibus suis, & Benedictus cum uxore sua adque infantibus suis. Cedo tibi, sponsa mea, in curto Duciaco vineis, terris, cultis & incultis, quod comparavit de Beringario sacerdote ad censum solvendi in festivitate S. MARTINI solidos III. Sunt ipsas vineas. In villa Madrinniaco de terra inter Madriniaco & Duciaco cedo tibi, sponsa mea, in villa Rivirola manu firma in terra S. Petri de Parciaco ad censum solvendi ad missa Sancti Maurii solidos II. hoc sunt vineis silvis, terris, cultis & incultis. Cedo tibi, sponsa mea, in villa Lintiniaco alodum, & quantumcumque ad ipsum pertinet, vineis, terris cultis & incultis, servos, Bernardo cum uxori sua & infantibus suis.

Ephes. 5. 25

Cedo tibi, ſponſa mea in villa, quæ dicitur Saconiaco, de una quartæ tantum quantum ad me pertinet, hoc eſt V. parte ad cenſum ſolvendi in feſtivitate S.MARTINI vernalis ſolidos III. Hii habet hæc eccleſia, aquis, terris, cultis & incultis, & ſilvis. Cedo tibi, ſponſa mea, alodum de Solario & quantumcumque ad ipſum pertinet, hoc eſt vineis cultis & incultis, hoc eſt ſervus Rainonus cum uxore ſua & infantibus ſuis; Guerino cum uxore ſua adque infantibus ſuis. Ancilla nomine Denſitia cum infantibus ſuis, Ildeburga cum infantibus ſuis. Cedo tibi, ſponſa mea, in villa Saigreniaco alodos tantumcumque ad me pertinet hoc eſt V. parte. Cedo tibi, ſponſa mea, alodum in villa, quæ dicitur Montius, tantumcumque ad me pertinet. Hii abet vineis, terris, cultis & incultis. Servum Goſcelino cum uxore ſua & infantibus ſuis; ſervo Lamberto cum uxore ſua & infantibus ſuis; Mainardo cum uxori ſua & infantibus ſuis. Cedo tibi, ſponſa mea, in Tarenna villa de una quarto tantum quantum ad me pertinet, hoc eſt v. parte ad cenſum ſolvendi, quantum ad me pertinet in feſtivitate S. Andreæ. Hii habet terris cultis & incultis, vineis, ſilvis, farinarios. Hæc omnia ſupra ſcripta dicta, cariſſima mea, conjux mea, habeas, teneas, adque poſſideas, & quicquid inde facere volueris, liberam hac firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi, neminem in quid contradicentem. Si quis vero poſt hunc diem eſt aliquid de hæredibus aut pro hæredibus meis, aut ulla alia extranea perſona, qui contra hanc traditionem inſurgere voluerit; aurum ad purum cocti libras c. multatus componat; & quod repetit non evindicet, omnique tempore maneat inconvulſa conſtipulatione ſubnixa. Signum AMALRICO qui hanc fieri & adfirmare rogavit.

DOTALITIUM TEUTHELINÆ.

Circa annum 1000

CUm Deus omnipotens per infinitam majestatis suæ clementiam per unigenitum filium suum in initio creaturarum multimodas rerum varietates condidisset; ut numerum perditorum redintegraret Angelorum; in similitudinem imaginis suæ hominem condidit, de cujus latere eodem speculo insignitam mulierem produxit. Sed ne tantummodo in duobus primis parentibus tanta, tam magna, tamque præcelsa creatura permaneret, donum benedictionis suæ masculum & feminam ad propagandam humani generis sobolem copulare, protulit, dicens: Crescite & multiplicamini & replete terram. Qua deinceps propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hujuscemodi igitur benedictionibus fecundati, patres humani generis genuerunt filios & filias, & propter copiam seminis compleverunt amplitudinem orbis. Talibus ac tantis tamque præclaris omnipotentis Christi auctoritatibus munitus, & admodum roboratus, ego SULPITIUS in nomine Summipotentis Dei, ipsiusque gratia, voluntate, & permissione ipsius omnipotentis Dei, & assensu utrorumque parentum & amicorum meorum, huic amantissime conjuge meæ TEUTHELINÆ, ut ex nobis filii nascantur, qui in numero Christi aggregentur, conjungere cupio. Idcirco ego SULPICIUS dono tibi, examantissima conjux mea TEUTHELINA, per deprecationem senioris mei GOZFREDI, cujus hoc beneficium est, ecclesiam liberam in villa quæ vocatur Cursæ tali tenore, ut si superstas mea fueris, x. solidos persolvas illi, cujus hoc beneficium erit, videlicet missa S. Vincentii martyris quæ est XI. cal. Februarii. Et in ipsa villa beneficium Tetboldi fidelis mei per deprecationem videlicet Senioris mei, terram cultam & incultam, videlicet vineis, pratis, & hoc tibi trado. Et in alio loco de ipsa potestate in loco qui vocatur ..r..illo

Gen. 2. 24.

beneficium Ulgerii. Et concedo ei villam, quæ vocatur duas Tasceias, cum ecclesiam, & quicquid ad ipsam pertinet aquarumve cursu, & manet in vicaria Aurelianis super fluvium Carum. Et trado ei alodium in comitatu Bituricensi, qui vocatur Adstivallum, vineas, terram arabilem, silvam, pratis, cultis & incultis. Hæc omnia suprascripta, examantissima conjux mea, per hunc libellum osculi tibi cedo ad habendum, tenendum, & possidendum. Si autem aliquis fuerit, qui contra hunc osculum venire, aut ulla repetitione infrangere tentaverit; quod petit non vindicet. Sed cui litem intulerit, auri libras centum coactus disolvat.

DOTALITIUM JUDITHÆ COMITISSÆ NORMANNIÆ.

...... Constituta sunt priscorum sanctione Patrum, & in utrisque novi ac veteris Testamenti pagina invenitur scriptum... Creator omnium legitimam conjunctionem viri ac mulieris præceperit, sicut scriptum est: Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: masculum & feminam creavit eos, dum fabricavit Evam de una ex costis viri sui Adæ, & dixit: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ipse Deus conditor omnium quod dixerat disponens.... crescite & multiplicamini in finem, sicuti per unigenitum Filium suum Dominum Jesum Christum designavit, dum olim in Cana Galilææ vocatus ad nuptias pariter cum Matre & discipulis, venit idem Redemptor, ipsasque nuptias sua præsentia sanctificavit. & cum adcumbentibus simul recubuit, & ibi aquam Deifica potestate propter amorem novæ prolis in vinum convertit, corda namque discipulorum suorum inibi ad fidem roboravit, & annulum fidei in suam sanctam Ecclesiam per eosdem manifestavit. Huic quoque de duobus legaliter nuptis in evangelio ait: Jam non sunt duo, sed una caro; &, quod

Gen. 2. 21.

Matt. 19. 6.

Deus conjunxit homo non separet. Hinc etiam Paulus Apostolus viri ac mulieris conjunctionem corroborare volens, primum admonuit viros dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: mulieribus quoque præcepit ut viris suis sint subjectæ in omni castitate, bonitate, & honore: cujus exempli & auctoritatis institutione edoctus ego RICHARDUS in Dei nomine cupiens per annorum curricula disponere pii conditoris clementia habere liberos, Deum timentes, adamavi te, ô dulcissima sponsa atque amantissima conjux JUDITHA, & à parentibus & propinquis tuis expetivi te, & sponsalibus ornamentis desponsavi te: præterea legitima conjunctione expleta, in dote tua dono tibi, donatumque in perpetuum esse volo in pago videlicet Sisoiense Brenaico cum appendentibus suis, scilicet Campols, Katorcias, Fraxinus, Grandem-campum, Til, Cambrense. Fererias, Villa Remigii, Folmatium, Sanctus Albinus, Laubias, Maitgrant, Kahin, Novum Masnile, Pons, Manneval, Tortuc, Sanctus Leodegarius. Item Til, Valenias, Corbespina, Fait, Laubias, Villa Audefridi, Karentonus, Campflorem, Fontanas, Belmont, Belmontel, Litulas, * Cebesias in supradictis villis xx. & unam, molendinos xviiii. tredecim carrucas boum, cum servis & omni supellectili earum, cum pratis, silvis, terris cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, aquis, aquarumque decursibus, piscatoriis, & quidquid inibi pertinere videtur. In vicariam quoque Cingatensem concedo tibi has villas: Cingal, urtulum Frasnetum, Bretevilla, Osgot, Masnil, Coibei, Masnil Robert, Avavilla, Merlai, Petrafica, Masnil, Ansgot, Til, Peladavilla, Longum Masnile, Novavilla, Corteleias, Corteletes, Sanctus Audomarus, Villa Petitel, Bosblancart, Novum mansum, Ascon, Bruol, Torei, Donai, Donaiolum, Villare, Matroles, Combrai, Longavilla, Placei, & in supradictis villis ecclesias xv. Farinarios xv. cum terris, cultis, & incultis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, silvis, pratis, pascuis, & quidquid ad supradictas villas pertinere videtur, absque ullius contradictione. In vicaria insuper quæ vocatur Kelgenas concedo tibi has villas quæ

f. ecclesias

Ita nominantur: videlicet Trelvilla, Rolvilla, Flamenovilla, item Flamenovilla, Fegelvilla, item Rolvilla, Kalvilla, Benedicti villa, Nova villa, Cantapia, Geroldi villa, item Geroldi villa, Solomonis villa, Longavilla, Brotavilla, Fagum, item Nova villa, Bikrobot; Sottevilla, Sanctus Christophorus, Seroldivilla, Stobelont, Bojorodevilla, Rodulfi villa, Masnile, Manuine, Englebertvilla, Sotenvast, Sanctus Martinus cum quatuor villis, Coleclesia, Starletof: item Engilberti villa, Virande villa, Casuetum, Herardi villa, Bruet, Huntolf, Tobec, Vuast, Fraxenus, Beroldvuast, Regina villa, Bruet, Huntolf, Tober, Vuast, Fraxinus, Beroldvuast, Regina villa, Ketevilla XVII. ecclesias, XV. quoque molendine, cum terris cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, pratis, pascuis, silvis, & quidquid inibi pertinere videtur. Concedo insuper tibi jure proprio & familia mea quingentos utriusque sexus. Et ut hæc omnia quæ supradiximus, in perpetuum possideas, & vera esse credantur, & inconvulsa omni tempore permaneant, hunc propriæ dotis libellum discribere jussi, ac manu propria subterfirmare decrevi.

CHARTA ROBERTI NORMANNORUM Ducis de permutatione Monasterii Villaris cum cœnobio S. Taurini Ebroicensis.

✠ EGo in Dei nomine ROBERTUS Normannorum Dux, notum esse volo omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, quia pater meus dedit ad Monachos Sanctæ Trinitatis quod appellatur Fiscannum, Monasterium quod dicitur Villare in proprium alodum ad victum & usus monachorum, ut facerent ex ipso quidquid facere vellent, sicuti de proprio alodo. Ego vero filius ejus volens accrescere eleemosynam patris mei, per multam deprecationem deprecatus sum abbatem ipsius monasterii Sanctæ Trinitatis, qui tunc erat nomine JOHANNES, ut

consentiret mihi in ipso Villare monasterio construere ancillarum Dei congregationem : quia aptus mihi videbatur ad hoc locus ipse, acceptoque pro hac mutua vicissitudine alio quodam monasterio, quod quamvis difficile, post tamen impetravi. Suscepi ergo illud & dedi apud Ebroas monasterium S. Taurini, ut eadem conventione & tenore, quo tenebant monasterium villare, id est in alodum teneant similiter terras S. Taurini quas antiquitus ibi tenuit, & quas ego dedi, id est, silvas de suis terris indominicatis omnibus, & decimam telonei, & villam quæ dicitur Nullerias cum omnibus quæ ad eam pertinere videntur in proprium alodum, ut quicumque fuerit Abbas Fiscanni & nostris & futuris temporibus teneat & possideat ipsum locum ad usus monachorum in ipso loco & Fiscanni Deo inservientium, sicut & aliam terram quæ pertinet ad Fiscannum, & sit cella prædicti monasterii Sanctæ Trinitatis usque in sempiternum.

Signum ROBERTI comitis. ✠

✠ Signum HERBERTI Episcopi. ✠ Signum ROBERTI Episcopi. ✠ Signum HUGONIS.

CHARTA VVILLELMI TALDAII COMITIS.
Restituentis monachis Fiscannensibus terram Rainaldi Vicecomitis.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego VVillelmus gratia Dei comes Richardi II. Normannorum ducis filius inspiratione divina tactus reminiscens propriorum actuum, admissa quæ in adolescentia nimis perpetraveram, pariterque pietatem Dei expectantis me ad pœnitentiam : ex intimo corde ei gratias innumeras juxta mei possibilitatem refero, qui mihi dedit velle & posse divertendi à malo ad bonum : & ideo desidero ut omni populo christiano innotescat ejus bonitas erga meam juventutem declarata, quæ non solum à lubricis actibus separavit,

verum

verum etiam ab inimicis contra me inique insurgentibus mirabiliter protexit. Undique enim mihi laqueos tetenderant, ipsis in eosdem corruentibus, ego liber ab eorum insidiis Deo protegente inventus sum. Non autem illis gratiæ sed sed salutis referantur auctori. Quapropter volens recompensare vicem beneficii Dei, decrevi sanctam ejus Ecclesiam honorare, servientes ei sustentare, & si necessitas creverit, pro ejus amore usque ad mortem certare. Inter ceteras vero ecclesias præcipue statui locum Fiscannensem in honore sanctæ & individuæ Trinitatis consecratum mire attollere, & de bonis mihi à Deo concessis remunerare; & si qua ab eo injuste ablata sunt quolibet modo per negligentiam quarumcumque personarum ex integro restituere. Notum sit igitur tam præsentibus quam futuris quod Pater meus RICHARDUS Comes dedit omnem terram RAINALDI Vicecomitis monasterio Fiscannensi, ipso adhuc vivente, quam ROBERTUS comes frater meus post ejus mortem contulit ex toto, cum militibus, hospitibus, pratis, pascariis, molendinis, salinis, silvis, omnive substantia. Postea vero Abbas loci ipsius nomine JOHANNES largitus est ipsam terram Gozelino Heddonis filio loco beneficii, ut quoad viviret teneret, possideret, pecudibus, porcariis, carrucis instrueret, & in sua dominicatura retineret, nulli alio homini quicquam de ipsa terra tribuens. Retinuit quoque Abbas de ipso alodio pro investitura terram quæ dicitur Sanctiniacus, quam postea commutavit cuidam matronæ nomine Emmæ, pro alia terra quam ipsa tenebat in Donovilla, eo quod sibi vicinior haberetur. Porro jam dictus Gozelinus parvipendens convenientiam cum abbate & fratribus habitam, beneficium acceptum non solum, non auxit, sed etiam ad nihilum redegit atque suis hominibus contra statutam pactionem distribuit, insuper namque ipsam partem quam sæpefatus Abbas sibi retinuerat, absque ulla justitia Deique timore, de meo solummodo juvenili potestate confisus abstulit, & suo genero GODFRIDO vicecomiti contradidit. Hæc ratio pene omnibus nota est. Enimvero, Deo præcipiente, finem vitæ sortitus est, recipiens justam retributionem factorum suorum.

Accidit post hæc ut interpellarer à Domno abbate Johanne, ceterisque fratribus ipsius monasterii, quatinus memoratan hæreditatem absque ulla cunctatione in dominatione monachorum redire facerem, quam interpellationem considerans justam esse & veram querimoniam, necnon injustitiam quam impie fuerant perpessi, adquievi voluntati ipsorum, & veniens in conventu eorum cum quibusdam fidelibus meis, deliberavi sanctæ & individuæ Trinitati reddere supradictum alodum ad usus servorum ejus inibi communiter viventium. Hanc igitur donationem posui super altare sancti Salvatoris pro anima Patris mei, omniumque parentum meorum, nec non & pro mea anima, & uxoris ac filiorum meorum reddens Deo vero trino & uno injuste subductam possessionem à prædecessoribus meis collatam ex integro cum militibus, hospitibus, molendinis, piscariis, silvis, pratis, & salinis, omnique supellectili ut semper possideatur ab ipsius servis usque in æternum. Si quis autem huic placito contrarius extiterit, & aliquam molestiam loco Fiscannensi pro ipsa re aliquo modo inferre tentaverit, primitus iram Dei incurrat, & ab omnibus Ecclesiæ catholicæ ordinibus excommunicetur, & cum Juda traditore partem habeat, si non digna satisfactione emendaverit. Hujus autem conventionis testes adfuerunt hii Domnus Abbas Johannes & omnes sui monachi, Nicolaus etiam filius Baldrici, Robertus & Pontius filii Drogonis, Aldulfus de Braceio, Gislebertus filius Lodemari.

Acta publice Fiscanni castro die xv. cal. Augustarum in Conventu generali sub præsentia Johannis Abbatis, ceterorumque fratrum, nobis propter eum haud procul residentibus, anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo septimo, Indictione decima quinta.

EPISTOLA JOHANNIS I. ABBATIS Fiscanensis ad Monachos jugum excutientes.

FRater JOHANNES, Fiscanensis Abbas fratri M. quondam filio sociisque ejus oculos in capite.

Omissis plurimarum testimoniis sanctarum scripturarum, quibus proprio arbitrio utentes redarguuntur, ad puram & simplicem Beatissimi Patris nostri Benedicti auctoritatem recurramus. Lege inter cetera ubi dicitur: Quidquid unusquisque offerre vult Deo, abbati suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate: quia quod sine benedictione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. In capite vero ejusdem sanctæ Regulæ, ubi quatuor genera monachorum depingit, primum cœnobitarum, idest, præcipuum genus militans sub Regula vel abbate collaudat. Secundum genus Anachoretarum subinfert: Qui non conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam heremi securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. Audi, frater, & subtiliter intellige, si diuturna probatio vos, & vitiorum excoctio, & abbatis imperium, & voluntas, vel permissio ad tam egregiam vitam provexit, aut potius propria voluntas illexit. Si autem fabulosum aut authenticum istud videtur, vos potius judicate. Nam recto tramite regiam viam incedere dignum est. Denique si aliqua simulatio vel transgressio intercurrit, vestræ philosophiæ argumentationi committimus expurgandum: caritas non quærit angulos. Sane noscite .... interior oculus vestrorum me sanguinem innocentem fundere, aut crudelem in filiorum nostrorum morte fore. Quis nostrum crudelior existat advertite. Scimus namque quia Deus est qui mortificat & vivificat, & quia proprium est sibi peccata

Reg. S. Bened. cap. 49

Cap. 1.

dimittere, & quem resuscitat, discipulis præcepit absolvere: verumtamen & hoc rescimus quia quandiu culpa manet, absolvi quisquam nequaquam valet. Prodigus filius quandiu in regione longinqua porcos pavit, non pro eo vitulus saginatus occiditur. Cum vero in se reversus pœnitentia ductus ad patrem revertitur, non solum pro eo vitulus occiditur, sed stola prima & annulo induitur; & cum grandi honore à patre recipitur, satis est de hoc dictum. Sapientibus aut insipientibus quia his omnibus debitor sum, adhuc si excellentiorem viam reminisci vultis, audite paululum: Si linguis hominum loquar & Angelorum, & caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Si gloriamini Angelorum linqua loqui per scopum contemplationis, caritatem perdidistis, quod est vinculum perfectionis. Deus caritas est, qui contra caritatem sentit, Deum perdit: Qui Deum perdit, nihil habet; qui se ipsum odit, alium se fingit amare; ipse se ipsum perimit, qui sponte sua obedientiæ jugum refugit; qui obedientiæ derogat, Christo derogat, qui factus est Patri obediens usque ad mortem. In hoc enim fructum obedientiæ perdidistis, cum de sub jugo Regulæ collum furtive excussistis: ergo qui contra obedientiam arma librat, contra Christum facit; qui contra Christum facit, antichristus est. In hoc siquidem luce clarius patet, quia non ego effudi sanguinem filiorum nostrorum, sed ipsi filii se peremerunt. Quid plura ante dies nobis, quam testimonia scripturarum deficient.

1. Cor. 13. 1.

EPISTOLA MAURILII ARCHIEPISCOPI Rotomagensis & Johannis Abbatis Fiscannensis ad Episcopum Ebroicensem.

Conqueruntur quod inconsulto abbate monachum ob infractam treviam mulctaverit.

SAnctæ matris Ebrocacensis Ecclesiæ reverendissimo episcopo M. Rotomagensis Ecclesiæ humilis Archiepiscopus, Abbas quoque JOHANNES Fiscannansium servulus,

recte offerre & dividere rectius.

Audivimus vestram fraternitatem quemdam monachum exterminio damnavisse eo quod treviam Dei comperiebatur infregisse : quod bene vos fecisse laudamus, sed incaute illud inspexisse judicamus. Nec enim Sancti Benedicti institutio ullius legis præscribitur judicio. Propterea, frater carissime & recte offerre, & rectius præcipimur dividere. Auream ergo virtutem sequamur, discretionem scilicet, quæ omnium virtutum dicitur mater. Quando enim abbati cura animarum imponitur ab episcopo, pastoralitas ovium Christi sibi traditarum ei commendatur omnimodo. Nisi enim ab abbate episcopus invitetur pro qualicumque negotio, nullum jus episcopus habere decernitur in ejus monasterio : si autem contra hæc quæ dicimus aliquis repugnare tentaverit, Regulam sancti Benedicti sibi proponimus.

EPISTOLA EJUSDEM ABBATIS ad Leonem Papam IX.

Post laudatum summum Pontificem conqueritur de vi sibi ab Italis illata.

SUmmo Apostolicæ sedis Pontifici Leoni, Dei gratia sanctificato vice Petri, Johannes fratrum minimus & in numero abbatum ultimus primatum in cælesti curia cum Senatus apostolorum festiva gloria.

Gaudeat orbis Romanus tanti præsulis infula adornatus, qui ut lucifer inter astra purpureus emicat, tam pia quam nova religione rutilans, ad depellendas è gremio matris ecclesiæ varii erroris nebulas. Denique quis pastor in Romana Ecclesia post aurea illa sæcula in quibus Leo, Gregorius, claruerunt, vitro puriora, spiritalis doctrinæ lumina, surrexit tam diligens & vigilans, ut tu, Presulum Sanctissime, qui pascis gregem Dominicum super vividis montes pascuæ? Nam ut fidem dictis faciam, quis non miretur & in laudis jubilum prorumpat, pro inaudita nostris sæculis oculati pasto-

Leonis Papæ elogium.

ris providentia? qui non eo contentus in propria ſede urbis Romæ uni populo conſulere, aut ſolam frugum fertilem Italiam imbre cæleſtis verbi irrigare, verum etiam Ciſalpinas eccleſias ſynodali ſcrutinio circuit & luſtrat; & ſi quid incultum & à norma rectitudinis diſtortum invexit, mox eccleſiaſtica cenſura corripit, ac regula juſtitiæ emendat & corrigit. Ave pater, Papa mirabilis. Ave præſulum præſul ſpecialis, ave ; inquam, illa ignis columna, olim Iſrahelitico populo prævia, qui prædux inoffenſo calle per vaſtam mundi hujus ſolitudinem populum Dei ſanctum provehis ad cæleſtem Jeruſalem, veram terram repromiſſionis. Igitur impleatur os noſtrum laude, & lingua noſtra exultatione. Gloria in excelſis Deo, viſitavit nos oriens ex alto. Sed ô mortalis conditio! Quam nihil fidum, & ex omni parte beatum in hoc labili ſæculo! Ecce memorande pontifex, dum in laudes tuas attempero modulos linguæ, pro terris pace reddita, per almam tuæ diſpenſationis providentiam, pulſat me dolor è latere interrumpens ſtridulo planctu organa lætitiæ. Nota loquor in aurem pontificis, de prævaricatione eccleſiaſticæ pacis, quam mihi veſtræ fidelitatis nuncio, immo ipſius Petri apoſtolorum principis legatione functo irrogaverunt, non exteræ nationes, ſed ipſi Romani cives, & in ſecundo loco Richesburh, & Aquæpendentis ſuburbiorum potentiſſimi habitatores. Hi certe contempta ſuper pace, Apoſtolica veſtra ſanctione, me invaſerunt, ſpoliaverunt, & omnibus piis lacrymabiliter dehoneſtaverunt, fruſtra mandata veſtræ legationis præferentem, & in defenſionem mei patrocinium apoſtolicæ auctoritatis vocantem. Porro hæc Italorum in Northmannos invidia adeo exarſit, & jam inolevit, ut pene per omnia Italiæ ſuburbia vix umquam ulli Northmannorum liceat tutum iter carpere, etiamſi ſit peregrina devotione, quin aſſaliatur, trahatur, nudetur, colaphizetur, vinculis religetur, ſæpe etiam triſtem exhalet ſpiritum, longo carceris ſquallore maceratus. Unde notum tibi ſit, Chriſtianæ plebis humaniſſime Pater, quia niſi Romana pietas Apoſtolica interdictione aboleverit hanc indiſciplinatam barbariem, & maxime in ſpecialis ſui legati injuriam vindicaverit:

Johannes ſedis Apoſtolicæ legatus.

ita ut totus orbis audiat & contremiscat, valde depretiabitur Romanæ majestatis auctoritas, nec erit gens illa Northmannorum bellica in vestra fidelitate adeo prompta & devota. Interest etiam tuæ famæ, vir totius liberalitatis & gloriæ, larga manu nostra perdita restaurare, quia ecce, ut jussisti, Paschali termino adest noster nuncius cum litteris & certa cautione omissorum, quæ ego non mei causa solummodo repeto, sed eorum quorum devotioni condoleo, qui hæc sanctæ Trinitati delegaverant sub meæ fidei testimonio. His ita decursis, non possum non indicare quæ audito de Domino meo Apostolico ventilari sinistra interpretatione, quem ego amplector speciali devotione, & quem volo tutum esse apud Deum & homines. Fabula autem hæc subsannationis vertitur de TEDBALDO comite & Burgundionum infrunito Duce R. qui transgressores Pontificalium decretorum, fas nefásque confundunt, qui abdicatis legitimi thori connubiis. volutantur in inhonestis & consanguinitate fœdatis thalamis. Hinc populus sibilat, hinc mihi quivis pravicors insultat; mihi, inquam, pro vestro honore decertanti, & hanc consentionis maculam auram sinceritate detergenti: & ut me magis confundant, & infelici victoria in suggillationem vestræ auctoritatis convincant, objiciunt & in faciem ostendunt quod Tedbaldus etiam vestrum colloquium adierit, nihilque dignum hac culpa actum sit: immo magis quasi auctoritate vestra roboratus, lupinam ovem, dico falsam illam AGNEM in sua vindicet, & vivente marito usurpet execrabili stupro, facto illicito licitæ conjugis divortio. Qua de re perpendat ipse, quæso, prudentissimus antistes, quid postulet res hujus emendationis, ne adnulletur, ne irritetur opera & studium Ecclesiasticæ suæ sanctionis.

EPISTOLA CLERI ET POPULI NAMNETENSIS Ad Leonem Papam IX.

Recusant recipere missum sibi à Pontifice Episcopum.

VEnerabili multumque verendo Papæ L. Clerici Namnetensis ecclesiæ & cum Comite populus humilem tantoque non indignam Patre devotionem.

Quia te sedes apostolica nostris temporibus talem sublimavit, ut perturbationibus nostris à tua paternitate speranda viderentur remedia; ante oculos omnes conjeceramus, expectantes pacem, ut ait scriptura, quæ non venit; quærentes bona & ecce affuit turbatio : homo sine affectione indispositus, homo impersuasibilis, quod experimentis quam pluribus nimiisque cognovimus: homo bonis ad nullum bene consentiens, missus quidem à te, sed cum mitteres prorsus hominem non novisti. Missus autem nescientibus omnibus, neque illud petentibus nobis. Hunc hominem non episcopali tantum, sed omni dignitate indignum, quod satis nimiumque expertis nobis credere debet paternitas tua, hominem omni publicæ administrationi omnino imparem, hominem vacuum, procacem, inquietum, nullius considerationis, nullius ponderis, nullius moderationis, sibi ipsi ad omnia pene diffidentem, non ad injuriam auctoritatis tuæ, sed ad communem populi salutem & quietem rejectum, nulla umquam ratione à nobis ultra recipiendum fore expectes. Nullius te persuasio moveat, nullius importunitas ad illud adducat, ut ingerendam nobis ulterius pestem illam existimes. Non hoc meruimus Romanæ Ecclesiæ filii, non hoc decet patrem Apostolicæ Sedis. Sed & si te & nos, quod absit, forte contemneres, saltem illi parcendum esse perpenderet sublimitas Apostolicæ Sedis, nec molem homini quam portare non novit imponendam esse censeres. Hæc scribenda putavimus Paternitati tuæ, ut jam tandem ad consulendum Namnetensi ecclesiæ,

ſiæ, pace tua, Epiſcoporum noſtratum, quos ea res attingit, cura ſecundum recta ſanctorum canonum inſtituta invigilet vale.

PRÆCEPTUM ODONIS COMITIS De Ponte civitatis Turonicæ.

NOvimus in humanis negotiis quoniam ea conſuetudo ſervatur, ut ſecundum modum crediti unuſquiſque in debito teneatur: & quanto quis majoris commiſſi acceptione præfertur, tanto ampliori exactione ſolvendi tempore conſtringatur. Quod quia æquabilitatis lex ratioque juſtitiæ videtur expoſcere, apud juſtiſſimum quoque judicem Deum idem ſervatum iri credimus in judicii extremi examine. Et ne in tam certæ rei firmitate noſtræ fidei claudicare greſſus aſtutia diabolica faciat, obviantis Salvatoris parabola prudentium fideliumque ſervorum remuneratione, & damnatione torpentis, id taliter futurum eſſe in evangelica talentorum exactione proclamat. Unde perpendere facile eſt, ea quæ nobis ad temporalem uſum clementia divina largitur, non abutenda eſſe, quaſi proprietarii juris uſurpato dominio, à quibus multis ex occaſionibus poſſumus expoliari breviſſimi temporis intervallo, ſed conditionis humanæ noſtræque fragilitatis memores, & uſufructuario ac diſpenſatorio potius jure eorum nos curam ſuſcepiſſe recognoſcentes: ita debemus ea tractare in tranſeuntis vitæ hujus tempore propter Deum, ut ex fideli adminiſtratione ipſo mereamur frui æternaliter Deo. Hæc Ego ODO comes conſiderans: hæc mecum tacitæ cogitationis ſedulitate revolvens, memorabile aliquid, atque ad profectum poſteritatis accommodum, ac per hoc Deo placitum, qui me gratuitæ largitatis benignitate inter primates hujus ſæculi connumerare dignatus eſt, operari diſpoſui. Igitur majora quidem debens, ſed ad majora non adeo paratus ad præſens, quod in promtu fuit ſupra flumen Ligeris juxta civitatem Turonicam Ponte ædificare

decrevi ubi inundantis aquæ tempore multos noveram rapidi amnis impetu periisse. Et ne post tanti operis consummationem ab æterna mercede quæ sola causa fuit incœpti, lucri temporalis appetitu privarer, Dei instinctu, qui me passus non est tanti laboris digna remuneratione frustrari, uxorisque meæ hortatu, cujus etiam instantia ac labore plurimo opus hoc videtur esse perfectum, cyrografum hoc ex auctoritate Domini mei regis HAINRICI placuit facere. Quo nostris posteris innotescat quarumlibet provinciarum homines omnium ordinum atque officiorum, sive extranei sint, sive indigenæ, sive peregrini, sive mercatores, sive pedites, sive equites, sive pauperes, sive divites, sive cum plaustris, sive cum onustis vacuisve jumentis, vel quibuslibet animalibus, sive quocumque modo iter agant, absque ullius penitus telonei exactione liberam per ipsum Pontem transeundi, nobis concedentibus, habere facultatem. Quod ut perpetua firmitate inviolatum permaneat, propria manu subscripsi, filiorumque meorum manibus confirmandam tradidi: quos etiam remunerationis mecum fieri participes volui, quosque confirmando subsequuti sunt curiæ quoque nostræ primates, quorum nomina inferius habentur scripta.

S. ODONIS fratris regis.
S. HESCELINI episcopi.
S. VVALERANNI comitis.
S. RODULFI comitis.
S. BURCHARDI.
S. MILONIS.
S. VVIDONIS archiepiscopi.
S. BERALDI episcopi.
S. TETBALDI comitis.
S. STEPHANI comitis.
S. HILDUINI comitis.
S. MANASSE comitis.
S. GILDUINI.
S. ADDONIS.
S. NIVELONIS.
S. HUGONIS.
S. ROTGERII.
S. THEODERICI.
S. MANASSE.
S. RODULFI.
S. ODONIS.
S. HUGONIS Carnotensis.
S. VVALCHERII.
S. GAUZBERTI clerici.
S. DURANDI capellani.

Locus sigilli.

NOTITIA

De Emmæ Vicecomitissæ Cenomanensis exequiis & de dono quod fecit Radulphus vicecomes monasterio S. Sergii Andegavensis.

ANno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI millesimo quinquagesimo octavo obiit EMMA Vicecomitissa Cenomanensium II. idus Septembris : quæ fuit neptis Domni HUBERTI dulcis memoriæ episcopi quondam Andegavensium : cujus corpus sepultum est intra monasterium sanctorum martyrum Christi Sergii & Bacchi per Domnum GERVASIUM Cenomanensium episcopum & venerabilem religiosumque virum Domnum FREDERICUM abbatem monasterii beati Florentii, Domnum quoque VULGRINUM abbatem sancti Sergii, postea episcopum Cenomanensium, cum reliquorum hujus dioecesis abbatum monachorumque, nec non & clericorum sed & popularis multitudinis ingenti frequentia cum luctu publico & moerore. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo septimo, V. nonas Martii, ob hujus propinquitatem sanguinis & dilectionem carissimam, sed & propter patris sui STEPHANI & matris suæ ADEBERGÆ tumulationem: qui & ipsi in cœmeterio prædicti monasterii sancti Sergii humati jacent, prædicta matrona ibidem sepeliri maluit. Pro ejus suaque eleemosyna nobilis vir ipsius RADULFUS vicecomes Cenomanensium dedit sancto Sergio dimidiam curtem & dimidiam ecclesiam sancti Remigii in pago Metallico, immo potius reddidit. Siquidem longe ante eamdem venerabilis RAINALDUS episcopus sancto Sergio donaverat, quando de reliquis alodiis suis Metallicæ regionis & Pictavensis pagi sancto Mauricio testamentum fecit. Sed ea universa FULCONIS comitis violentia tam sancto Mauricio quam & sancto Sergio abstulerat : factoque ibi

castello, quod Montem rebellem nominavit, militibus universa in beneficium tribuerat. Itaque RADULFUS vicecomes ad quem per prædictam conjugem suam EMMAM possessio illa pervenerat, quique eam ab episcopis Andecavensium tenebat, ad exequias uxoris dilectæ sancto SERGIO medietatem curtis & ecclesiæ sancti Remigii libenter restituit per auctoritatem Domni EUSEBII tunc præsulis: ita ut milites, qui inde casatierant, à sancto Sergio & abbatibus ipsius monasterii beneficialiter tenerent & deservirent, & si quid inde in dominicaturam suam monachi legitime retorquere possent, nullo prohibente id facerent. Dedit etiam medietatem terræ, quam laborat villanus, & intra forestem & extra; dimidiamque capellam juxta forestem, & in suburbio ejusdem castelli dedit suburbanum unum nomine Hilgodum cum tota consuetudine sua & successorum ejus in perpetuum: dedit quoque duos arpentos vineæ juxta civitatem Andecavam, & unam mansionem in suburbio ejusdem civitatis.

Testes donationi huic præsentes affuerunt.
Domnus THEODERICUS abbas sancti Albini.
Ipse vicecomes RADULFUS.
ADALARDUS de Castrogonterii.
TESCELINUS de Monte rebelli.
GIRARDUS Siniscalt. SEUVINUS nepos Marcoardi.
RADULFUS grandis. RADULFUS Patraster.
Domnus EUSEBIUS epis. Domnus LANDRICUS archidiaconus. MANSELLUS capellanus.
RAINARDUS Siniscalt. ALGERIUS de Morenna.
GIRARDUS Manens. ADAM de Vallibus.
VUARINUS Vicarius.

PRIVILEGIUM GREGORII PAPÆ VII. Ad Almodum abbatem Rothonensem.

Confirmat privilegia monasterii Rothonensis.

GREGORIUS Episcopus Servus Servorum Dei dilecto in Christo filio ALMODO abbati monasterii S. Salvatoris, constructi in loco, qui dicitur Rothonensis, in Britannia constituti, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu, ad hoc universalis ecclesiæ curam suscepimus, & Apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, & libram æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debemus. Præcipue tamen de venerabilium locorum stabilitate pro debito honore Summæ & Apostolicæ Sedis cujus membra sunt, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, nobis pensandum & laborandum esse perpendimus. Proinde juxta petitionem tuam præfato monasterio, cui tu præesse dignosceris, & quod juris S. R. E. esse dignoscitur, unde per singulos annos census trium denariorum aureorum sibi redditur, hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus. Concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum, vel imperatorum, aut antistitum, nullum quoque dignitate præditum, vel quemcumque alium, de his quæ eidem venerabili loco de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum Deo miserante collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere, vel auferre, & sive suis usibus applicare vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere: sed cuncta, quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te, quam ab eis qui in tuo officio successerint perenni tempore illibata & sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione guberna-

tioneque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, ut obeunte abbate, non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem fratres ejusdem cœnobii cum communi consensu secundum timorem Dei elegerint; maxime de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, cum consilio Romani Pontificis alium sibi patrem & magistrum expetant. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut ipsum monasterium & abbates ejus vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti in sanctæ religionis observatione seduli & quieti, nulli alii nisi Romanæ & Apostolicæ Sedi, cujus juris est, aliqua teneantur occasione subjecti. Consecrationes etiam ecclesiarum, & ordinationes monachorum sive clericorum sæpefato cœnobio pertinentium ab episcopis, in quorum diœcesi sunt, accipient: ita tamen si episcopi canonice ordinati fuerint, & ordinationes gratis fecerint. Sin autem aliquid horum obstiterit; Abbas cum licentia & auctoritate Romani Pontificis ad qualemcumque catholicum episcopum ei placuerit, causa consecrationis & ordinationis tam locorum quam personarum licenter pergat. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi, quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerit in perpetuum reservanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens, contra eam venire tentaverit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi illa quæ sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta deflexerit, à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri JESU CHRISTI alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat, cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ lucis interveniant. Amen.

BULLA EUGENII PAPÆ III. ad Ivonem Abbatem & Monachos Rothonenses.

Confirmat eorum privilegia.

Anno 1149

EUGENIUS Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis IVONI Abbati Rothonensis Monasterii, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, est sine dilatione complendum. Ea propter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Rothonense monasterium, quod S.Romanæ ecclesiæ juris existit, prædecessoris nostri felicis memoriæ Gregorii VII. Papæ vestigiis inhærentes, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & B. BENEDICTI Regulam de eadem congregatione providerint eligendum. Quod si talis qui huic regimini congruat, inter vos inveniri non poterit; cum consilio Romani Pontificis aliunde sibi patrem & magistrum expetant. Porro in ecclesiis quas tenetis, statuimus ut presbyteros eligatis, & episcopis præsentetis. Quod si idonei fuerint, episcopi curam animarum com-

mittant, ut hujusmodi Sacerdotes de plebis quidem cura eis respondeant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Chrisma, oleum sanctum in consecratione altarium sive basilicarum, & ordinationes monachorum seu clericorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, à diocesanis accipietis Episcopis; si quidem gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerint, & si ea gratis & sine pravitate voluerint exhibere: alioquin liceat vobis à quibus malueritis, catholicis Episcopis eadem sacramenta suscipere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salvo tamen jure matricis ecclesiæ. Hoc quoque præsente capitulo subjungimus, ut ipsum monasterium, & Abbates ejus, vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti, nulli alii nisi Romanæ & Apostolicæ Sedi, cujus juris est, aliqua teneantur occasione subjecti. Ad indicium autem quod cœnobium eorum juris sit B. Petri & S. Romanæ Ecclesiæ, singulis annis tres aureos nostro Lateranensi Palatio persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium tenere, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri

JESU

JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

S. PETRUS S. PAULUS. EUGENIUS PAPA III. Fac mecum signum in bonum.

† Ego EUGENIUS catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.
† Ego TEODEVVINUS S. Rufinæ episcopus subscripsi.
† Ego ALBERICUS Ostiensis episcopus subscripsi.
† Ego IMARUS Tusculanus episcopus subscripsi.
† Ego GUIDO presbyter cardinalis tituli S. Chrysogoni subscripsi.
† Ego GISLEBERTUS indignus sacerdos tituli S. Martini subscripsi.
† Ego GREGORIUS Diaconus cardinalis SS. Angeli subscripsi
† Ego JACINTUS Diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedim subscripsi.

Datum Meldis per manum GUIDONIS S. R. E. Diaconi Cardinalis & cancellarii VIII. calendas Julii. Indictione X. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVII. Pontificatus vero Domini EUGENII tertii papæ anno tertio.

[a] EPISTOLA CONGREGATIONIS S. ALBINI Andegavensis, ad P. Papæ nepotem.

Conqueritur de injustitia legati apostolici in causa ecclesiæ S. Clementis de Credonio.

DOmno P. Papæ nepoti Congregatio S. Albini.

Quam diligenter, D. vir nobilissime, Domnus *G. Ostiensis episcopus jussui apostolico obedierit, dignitati vestræ non minimum solliciti fuimus intimare. Certe D. Papa, nisi nos fefellit memoria, sagacitate vestra interveniente, jusserat, quod si legatorum pars Romam aliis revertentibus ierat, tempestive rediret ille, causam nostram

*Gerardus

E

[a] Acta controversiæ quæ inter monachos S. Albini Andegavensis & Vindocinenses de ecclesia S. Clementis de Credonio agitata est, edidit v. c. Stephanus Baluzius in Miscellaneorum lib. 2. ad quam respicit hæc epistola.

in subtili indagatione examinatam justo fine determinaret: quod si fieri nequisset, scilicet mora prædictæ partis diutius tardantis impediente, vel rei veritatem testimonio exploratam sibi renuntiaret. Ille igitur litteris apostolicis perlectis, legato nostro nihil certitudinis prius respondit. Postea vero patriam nostram ingressus, Turonisque plures dies demoratus, causam nostram etiam obsecratus audire nolens, extra fines nostros sequi se nos ammonuit, dicens se narrationem nostram auditurum Vindocino vel apud Carnotum. Uterque locus nobis nimium contrarius. Hinc quod undique imminentibus insidiis hostium, tam munerum quam personarum tali quæstioni congruentium, copiam illuc conducere nobis vel impossibile stabat vel difficillimum. Inde quod adversariis aderat facultas sicuti Dominis sive domesticis illius regionis tam pecuniæ ad animos judicum corrumpendos, quam amicorum ad ipsam justitiam magis garrulitate impudenti, quam facundia laudabili pervertendam astutorum. Quid ergo? Vix cum paucis suffragiis, Vindocino præterito, Carnotum ingressi, in curia pontificis * A. Vindocinensium quondam monachi multis personis tam sub monachili, quam sub clericali habitu degentibus, ipso G. narrationem cum contrariis nullius opposita objicientibus ponderis habuimus, qua bis aut amplius duos dies dilucidissime perorata, cunctis præter eorum fautores susurrantibus, seu aperte affirmantibus S. Albinum causam habere justissimam & honestissimam: illos vero è contrario. Nos expectantes sententias judicum ex auctoritate canonum & cardinalis definitionem juxta papæ præceptum, nulla eum impediente repugnantia, excepto Carnotensium episcopo, homine, ut dicunt, versutiarum magistro; ex conventu ipse cardinalis & prædictus A. in quoddam diversorium consulendi gratia conduxerunt. Nobis autem possessionem ecclesiæ jure hæreditario stabilem propter pecuniam numeratam renuentibus ex petitione eorum alienari, asseruit cardinalis se nihil causæ impositurum definitionis in sessione præsenti, jubens secum ire ad aliud concilium Parisius post paucos dies affuturum. Nos vero in ipso itinere arripiens, cuique singu-

*Arnaldi.

latim capere nummos ſuadendo, quantum precum, quantum minarum, nunc blandiendo, nunc deterrendo conſumſit, in epiſtola ſcribi non potuit, vel inde lux clarius apparuit eum magis paratum partes eorum ſpecialiter defendere, quam inter partes æquanimiter judicare, cum leges ſæculares prohibent quem defenſorem ſimul eſſe & judicem. Pariſius etiam multum & à multis...xatus coram... epiſcopiſque pluribus, qui aderant, ut finem labori noſtro daret, teſtibus noſtris præſentibus, jus noſtrum affirmare paratis, cum nimia ira nihil profuturos reſpondens, ad aliud neſcio quod concilium in alienis partibus affuturum invitavit: ita tamen quod ſi nec illic quæſtio finiretur, Romam item repeteremus. Impedimentis nos non poſſe tres hebdomadas jam ſecum demoratos pluribus palam oſtenſis, excipere neceſſitatem noluit. Quid plura? Gaudium ab apoſtolica majeſtate veſtra adeptum benignitate vertitur in mœrorem. Quam aſpere, immo quam crudeliter nos deterruit, exaſperavit, cum quibuſdam publice contendit, opprobrium fecit, & in abſconſo ſe pejus facturum ſi Romanam Synodum expeteremus, promiſit. Quam inhoneſte Frotmundum bene vobis notum, ex hoſpitio ſuo ipſe pulſando manibus ſuis expulit? Faſtidium vobis fieri metuentes, quippe homini de tantis rebus tractanti non fuimus auſi, juſtitiæ adipiſcendæ omnem ſpem prorſus abſcidit. Nos igitur triſtitia conflictos redeuntes epiſcopus A. arripiens ducentas libras propter eccleſiam contra canonum interdicta multis precibus perſuaſit. Heu triſtes in capitolio ſuo fuga juſtitiæ compellente annuimus. Inſuper ab abbate noſtro extorſit quod illam conventionem in capitulo ſuo Andecavis monachis ſuis faceret confirmari: qua de re nondum conſenſu congregationis S. Albini audito, chartam contra conſuetudinem fieri Carnoto præcepit. Noſter igitur abbas, priore ſuo abſente, nec vocatis decanis, nec viris majoris intelligentiæ & ætatis, minorem partem, quæ præſens inerat in capitulo, ſuo ſenſu vel ætate puerilem conventioni annuere coegit, quibuſdam aperte repugnantibus, cunctis pene clamantibus, ſe invitos, ſe coactos, tali concordare pacto. Unde inter nos exarſit

contentio pejor quam civilis seditio, ac propter hoc præsens malum noveritis hinc germinare non parvum Ecclesiæ inantea detrimentum. Nam nulli ecclesiæ ministri auctoritatem ex apostolico legato retinentes, vendere aut donare amplius verebuntur, parvipendentes calumniam pauperum ab hæreditate ecclesiastica stipem expectantium. Et hoc pro certo sciatis, nullum deinceps, audito causæ nostræ fine, Romam petiturum causa justitiæ. In ore enim omnium volvitur illud proverbium Jugurtinum: Romam venalem esse, si emptorem invenerit, & omnes Roma discedentes. Quare vir prudentissime, tanti morbi pullulationi resistite, ne rata remaneat elaborate. Hoc Apostolici vigilantiæ suggerite, ut ad nihilum redigatur.

LITTERÆ QUAS MISIT ANDREAS DE VITREIO Domno Girardo abbati S. Albini.

G. S. Albini abbati omnibusque fratribus A. de Vitreio & B. Mater ejus obedientiam & fidele servitium.

Precamur vos pro Dei amore & nostri, ut memoriam faciatis anniversarii ROBERTI fratris mei XV. calendas Septembris, unde promitto vobis me custoditurum fideliter omnia vestra ubique Valete.

PRÆCEPTUM MAINONIS DOMINI FULGEriensis, de ecclesia Savigniensi.

Ante finem sæculi XI.

AD sananda variorum vulnera peccatorum, quæ sunt mortalibus universis, tum maxime surrepunt occupatis sæculi negotiis; congruentem bonitas divina providit eleemosynarum medicinam, ut quæ curis terrenorum damna accidunt, cœlestium compensentur terrenarum largitate facultatum; & unde processit obligatio, sequatur absolutio. Bonum autem eleemosynæ non tantum abolet mala, verum

etiam adauget merita bona ; & quod datur in abolitione delictorum , provehit incrementa virtutum ; sicque studiosus misericordiæ duplum in suam lucrum convectat animam, dum & pœnas vitiis debitas redimit, & præmia virtutibus proposita conquirit. Hac consideratione permotus. Ego MAINO homo militiæ sæculari deditus, multis & peccatis obvolutus, & periculis obsitus, beneficientiæ & communionis etsi non obsequutor idoneus, non tamen penitus oblitus, decrevi ex his quæ ab omnium Domino immeritus accepi, pauperibus communicare, & terrenas opes in thesauris cælestibus recondere, & de transitoriis manentia, de carnalibus comparare spiritualia, eosque amicos providere, qui me in æterna cum defecero recipiant tabernacula, ut quod meis meritis non debetur, aliorum mihi precibus concedatur. Fratribus igitur qui in cœnobio S. Martini Majoris-monasterii Deo serviunt omnipotenti; qui videlicet in voluntaria paupertate sublimes mundi divitias abdicantes, terrena posthabuerunt cælestibus, Christumque pro nobis factum pauperem pauperes ipsi spiritu liberis & expeditis sequuntur gressibus, do ecclesiam quandam juris mei, Saviniacum nomine, cum terris & omnibus quæ competunt ecclesiæ, sicut eam TESCELINUS quondam dederat canonicis quibusdam, nulla ullius participatione implicitam, nulla consuetudine aggravatam, sed omni exactione liberrimam, omni dominatione extranea absolutissimam, omni postremo calumnia vacantem, favente uxore mea ADELAIDE, filioque meo JUTHALE. Nobilissimus etiam Normannorum comes GUILLELMUS, de cujus est ecclesia illa casamento, donationem hanc liberalitatis suæ munivit auctoramento, istudque præceptum, quod de ea scribi feci, manus propriæ roboravit signaculo, & coram omnibus curiæ suæ frequentia firmavit, ratumque in perpetuum fore sancivit. Cujus nomen una cum meo & uxoris meæ filiique nostri JUTHALIS istic est pro æternæ auctoritatis subscriptum munimine. Nec non & aliorum, qui & viderunt hoc & audierunt, adjuncta sunt vocabula pro testimonii sempiterni tutela. Ipsa quoque nostra, ut firmitati nihil desit,

manibus nostris exarara sunt ad crucis similitudinem signa. Idem nostræ sacrificium eleemosynæ si quis unquam vel apertæ immanitate violentiæ vel dolosæ fraudulentiæ calumnia temptaverit evacuare, servosque Dei ab ejus opere & sua quiete litigiis avocare, gloriosi confessoris Christi MARTINI, cujus incurret offensam, experiatur, nisi resipuerit & satisfecerit, ultionem. Insuper convictus injustitiæ, suæque factus impos audaciæ, auri talento pro præsumtione multetur, ut non solum injustum lucrum de alieno non assequatur; sed justum damnum de suo patiatur.

S. RICHARDI filii Torestini. ✠ S. GUILLELMI comitis Normannorum.
S. ROTGERII de Monte Gomerici.
S. VVILLELMI comitis de Mauritonio.
S. RADULFI Taxonis.
S. AIRALDI Senescalchi. ✠ S. NIELLI vicecomitis.
S. ROTBERTI filii Gerogii. S. MAINONIS de Filgeriis.
S. HUGONIS Brittonis. S. ADELAIDIS uxoris ejus.
S. TETBALDI filii Bernerii. S. JUTHALIS filii eorum.
S. TUDUALDI Rufi.

NARRATIO

De Alberico presbytero & ejus sceleribus.

Circa annum 1090

NOtum cunctis facio tam præsentibus quam futuris ego monachus S. Martini nomine FULCODIUS, quomodo Albericus presbyter mihi & omnibus aliis monachis S. Martini Majoris-monasterii ecclesiam S. Sulpicii omnibus modis spontaneus querpivit. Longum quidem est enumerare quomodo & me & alios antecessores meos, suo tempore Filgeriis commoratos, insidiis suis male tractaverat, & quomodo ipse fœtido sanguine inquinavit altare, & omnia indumenta, & cortinam desuper positam, quasi per illam descenderet sanguis, & dixit sanctum fecisse virtutes, propter hoc quod ADELAIS ecclesiam emerat, & monachis dederat, ad quod videndum cucurrit omnis populus velut

ad rem mirandam ; & quomodo ipse abscondit crucem super altare illitam humano stercore, quam ibi invenit Gaufridus presbyter de Romaniaco & Eudo scriptor, & hi tradiderunt Lenardo : hic autem ostendit eam Rigardo grammatico, & Maurino pistori, & Maurino genero Letardi, & Armengodo Tapeto, & multis aliis. Et quomodo ipse furatus fuerat nummos Domini sui Raginaldi Sacerdotis de Belceaco, unde fur revelatus sacrilegus fuit, testibus omnibus primoribus Filgerensis castelli. Et quomodo furabatur quodcumque & ubicumque poterat offerendas ; ita ut ubi accipiebat ante altare per manicam faceret decurrere in sinum suum quicquid boni habebatur, vel subtus corporalibus absconderet ; & hoc testibus omnibus custodibus qui illi præponebantur, quod me præsente probatum est. Nam in die Natalis Domini cum esset Robertus Rotabili monachi filius in ecclesia, vidit furtum sub corporalibus poni, quod mihi indicavit. Ego autem præcepi quod si umquam videret fieri mihi statim afferret. Crastino autem die affuit, vidit, rapuit, & mihi adtulit. Sed quia omnia ejus scelera breviter narrare non possum, ideo quicquid ad ecclesiæ querpitionem pertinet, illud solum memorabo. Ego autem supradicti presbyteri mala opera videns & pejora audiens, ad ultimum cogitavi ut divinum officium, quod ab eo tam indigne fuisse celebratum mihi à pluribus fuerat relatum, & ipse audiendo crederem, & credendo aliis manifestarem. Quarta igitur die Nativitatis Dominicæ* monasterium illius ingrediens, plura audivi quæ credideram, sed cum ille contumax emendationem meam recipere nollet, clamavit se recepturum correptionem Harduini Carnotensis, qui tunc præerat Filgerensibus scholis. Cujus petitioni ego consentiens, rogavi Harduinum, ut eum legentem auscultaret. Cui patienter corrigere volenti, quod à presbytero male sciebat prolatum esse ; ille arrogans concedere noluit ; sed etiam se illi odibilem finxit. Quem ego omnino consequi volens provocavi ad Redonensem civitatem, volente Radulfo & omnibus burgensibus : quam invitationem ille refutare non audens, mecum abiit. Sed cum obiter relin-

*Id est Ecclesiam.

quere mihi ecclesiam vellet, & impetrare non posset, clam enim facere volebat; rogavit Marguerum de Galhart, quinque solidos ei pollicendo, ut pro eo me interpellaret, quod ecclesiam nostram acciperem, & illum ante archidiaconum non accusarem. Quo mediatore venit & ille relinquens mihi ecclesiam gratis S. Sulpicii liberam atque solutam, ita ut neque ipse, neque alius per eum, neque pro eo clamorem vel querelam inde faceret, neque calumniam hæreditariam illic imponeret, tali conditione, ut ego eum facere officium suum ante archidiaconum non cogerem. Adeo enim imbecillis erat, ut etiam canonem missæ ignoraret. Huic rei interfuit Guarmundus & Juhellus de Savigniaco, homines S. Martini, quos ipse mihi legitime fidejussores dedit, tali conventione, ut si ipse negare vellet quod ecclesiam spontaneus & gratis non dimisisset, sine ulla vi quæ facta ei fuisset, eo libenter concedente, illi probarent erga eum conventionem. Testibus istis Harduino, Marguerio, Alberico de S. Germano, Maino Decano, Morino genero Letardi, Engelbaldo Balestro, quos misit Radulfus de Filgeriis, ut audirent quis haberet rectum; monachus, an Albericus. Transactis autem annis duobus, ego seductus promissis fallacibus verbis illius & amicorum sibi faventium, & coactus inopia boni sacerdotis, in ecclesia restitui, facto tamen ab illo prius juramento & fide data, datisque fidejussoribus septem scilicet, Radulfo ipso Domino, Radulfo senescallo, & Stephano filio Ivonis, & Haimerico Cordone, & Herasto Guillelmi filio, & Giraldo de Romaniaco & Mainfredo carnifice, quod in quacumque hora ego vel aliquis monachus S. Martini meus successor diceret nolo te amplius in ecclesia esse, statim sine ira, sine calumnia, & odio, sine dictis & factis, quod noceret monachis vel presbytero, discederet.

Ego autem Albertus succedens Fulcoio juveni presbyterum illum in ecclesia omnibus modis male se habentem, & omnes fere homines dicentes, quod ejus consilio & ingenio fecerat Fulcoius quidquid male fecit. Paucis autem diebus post discessionem Fulcoii, exusta domo & ecclesiæ

ecclesia perditi fuerunt libri cum aliis rebus plurimis, inter quos perditus fuit quidam libellus, quem mihi præstiterat Domnus Urvaius de Galhart. Ego autem.....nomine multas feci querelas, adhuc autem in diebus Nativitatis cum audiente Radulfo, querimoniam facerem, ille autem interrogans cujusmodi quererem, & unde loqueretur liber dixi. Ille vero dixit se scire hominem quemdam hujusmodi librum habentem, scilicet Albericum presbyterum. Forte fortuito aderat ibi quidam, qui nobiscum erat, cui librum commodaverat, & interdixerat ne mihi ostenderet; & tamen ostendit. Ostenso autem libro, & recognito, & iterum reposto, fecimus eum venire: cui ipse Radulfus obviam ivit, & separatim duxit, & de libro interrogavit quem sæpe viderat eum legentem. Ille autem juravit fidem quam sibi deberet, & Dominicum corpus, quod ipso die sacraverat, illum librum non esse in tota patria illa, sed reddidisse Rigardo Paenel, qui sibi adcommodaverat. Radulfus autem hoc audiens dixit, jam forsitan pejus evenerit, & jussit librum afferri. Huic rei adfuerunt quatuor monachi S. Martini, Bernardus, Fulbertus, Rialonus & ego Albertus, unus autem S. Carileffi. Et fuit ipse Radulfus & Juhellus Urboii filius, & Johannes villicus, & Lupellus, Troserius, Leoardus & presbyter Damarhœus. Illum sic probatum & multis aliis rebus adcusatum projeci ab ecclesia, quem modo non retinet fides, nec jusjurandum, neque fidejussores, quin faciat monachis & presbytero quicquid mali potest.

Succedente vero tempore Arnulfo Redonensi archidiacono circumeunte, ut consuetudinis est, Redonensem parrochiam; contigit ut ad oppidum Filgeriacense veniret, ibique descenderet apud domum monachorum. Quod audiens populus Filgeriacensis venit ad eum, petens ab eo confessionem & pœnitentiam peccatorum suorum. Inter quos affüere quædam mulieres conjugatæ, quæ indicaverunt archidiacono illi se non potuisse habere confessionem neque pœnitentiam à suo presbytero Alberico supradicto à transactis tribus seu quatuor annis, eo quod ipsæ nollent cum eo concumbere. Archidiaconus autem audiens

hoc deteſtandum ſcelus, miratus eſt ſupra quam dici poſſit. Et veniens domum, de eccleſia exclamavit palam dolens ac mœrens, quod re vera parum vel nihil omnino valeret ipſe, neque epiſcopus S. Redonenſis, neque monachi illius loci, qui tot & tanta Alberici nefandi presbyteri tolerarent facinora multa.

Silveſter qui obiit anno 1096.

CHARTA BENEDICTI EPISCOPI NAMNETENSIS, de dono Eccleſiæ S. Medardi de Dolon Canonicis Regularibus facto.

Anno 1105

OMnibus notum fieri volumus, tam præſentibus quam poſteris, quoniam Ego BENEDICTUS Namneticæ ſedis epiſcopus in eccleſia Beati Medardi non longe ab eadem urbe ſita, clericos qui ſecundum regulam Sancti AUGUSTINI viverent ad ſerviendum Deo conſtitui, eiſque & eorum ſucceſſoribus eamdem eccleſiam poſſidendam tradidi. Sed ne gratia nimiæ brevitatis minus dicatur quam opus ſit: rem ut geſta eſt ordine à principio revolvamus. Fuit itaque vir quidam dives ac præpotens HARSCOIDUS nomine qui præfatam eccleſiam jure quidem poſſidebat hereditario. Sed is tandem compunctus corde, quas injuſte & contra Deum aliquandiu poſſederat, eccleſiam videlicet, cimiterium & decimæ partem tertiam in manu mea reliquit, ſuppliciter poſtulans, quatenus ibidem clericos collocarem, qui ſecundum regulam S. AUGUSTINI, ut prædictum eſt, viverent. Ego vero bonam intuens animi illius voluntatem, quod juſte & religioſe petierat, diligenter adimplere decrevi. Statui igitur clericos in prædicta eccleſia ſub Regula S. AUGUSTINI degentes, eiſque & eorum ſucceſſoribus ut ſupra memoravimus, eamdem eccleſiam cum cimiterio & præfata parte decimæ in perpetuum poſſidendam conceſſi ab omni laicali quidem, nec non etiam clericali, niſi in quantum ratio & juſtitia exegerint, poteſtate ſolutam. Dimiſimus inſuper illis ſynodalem cenſum, quem per ſingulos annos eccleſia illa reddere

ſolebat. Eccleſias quoque, quæ ſub ditione noſtra in honore Beati Medardi fundatæ ſunt, aut erunt, eiſdem dare decrevimus. Addentes ut quicquid in epiſcopatu noſtro canonice poterint adquirere, Deo adjuvante creſcentes, libere adquirant. Dedi etiam in uſus canonicorum tam futurorum quam præſentium juxta veterem Buteriam tantum terræ, quantum poterint quatuor boves arare per duas ſationes, cum manſione neceſſaria agricolæ operanti terram illam. Præfatus vero Harſcoidus dedit ſupradictis eccleſiæ canonicis illam terram totam, quæ eſt inter caſtellarium S. Lupi & terram Cummel. Sed & in præſentia Domni Radulfi Turonenſis Metropolitani, qui in diebus illis paulo poſt ad urbem Namneticam venerat, dum in craſtino paſchæ ad Sanctos Martyres Donatianum & Rogatianum ſtationem faceremus, communi aſſenſu cleri, procerum, & plebis ſtatuimus, ut quicumque ad annuam ſolemnitatem dedicationis præfatæ eccleſiæ, quam in quinta feria paſchalis hebdomadæ eo tempore dedicavimus, per ſingulos annos confeſſi convenirent, à Deo, & ab ipſo archiepiſcopo, & à me, & ſucceſſoribus meis remiſſionem ſeptimæ partis pœnitentiarum ſuarum perciperent. Datum Namneti in eccleſia S. Laurentii XVII. Calendas Februarii, Luna XXVII. Epacta III. concurrentes VI. Indictione XIII. Anno ab Incarnatione Domini MCV. Philippo Ludovico filio ejus regibus Francorum, Alano Britannorum duce, Papa Paschasio. Univerſi qui adfuerunt tam laici quam clerici dixerunt, Placet. S. Morvanni Venetenſis epiſcopi. S. Aldeberti Cenomanenſis epiſcopi. Signum Radulfi Turonenſis Metropolitani. S. Benedicti Nemnetenſis epiſcopi. S. Marbodi Redonenſis epiſcopi. S. Benedicti Chorioſopitenſis epiſcopi. S. Judicaelis Aletenſis epiſcopi. S. VVillelmi abbatis S. Florentii. S. Lamberti abbatis S. Nicolai. S. Justini abbatis Rothonenſis. S. Briceii abbatis Vertavenſis. S. Fulcherii abbatis S. Sepulcri de Belloloco. Signum Rivallonii archidiaconi. Hi omnes & alii plures quos nominare pertæſum fuit interfuerunt & cognoſcentes propriis manibus ſubſcripſerunt.

F 2

ALIÆ DONATIONES EIDEM ECCLESIÆ AB ALIIS FACTÆ.

OMnium tam præsentium quam posterorum memoriæ commendari volumus, quia nobis canonicis Regularibus in ecclesia S. Medardi Dolonensis à B. Namnetensi episcopo constitutis, nobisque ab eodem clericisque suis omnibus concesso, quod quidquid in episcopatu suo canonice adquirere possemus licenter adquireremus. Placuit Deo suggerente Marino de Chesail & Raginondo de Capella, & Petro Girundi nigri filio mundum deserere, & nobis associari. Qui mundo abrenuntiantes, & nobis in Dei servitio adhærentes, concesserunt Deo & S. Medardo & nobis: Petrus omne feodum suum, sicut pater suus habuerat. Marinus ecclesiam de Chesail cum medietate decimæ. Aliam vero medietatem dedit etiam nobis episcopus, quam tunc in manu tenebat. Raginundus ecclesiam de Capella & tertiam partem decimæ cum omnibus quæ in capella habebat. Dedit quoque nobis Bernardus de Gulo capellam suam cum omnibus ad eam pertinentibus. Adquisivimus etiam quandam insulam quæ dicitur Chasteillon. Quæ omnia adquisita concessit nobis B. Namnetensis episcopus, videntibus & audientibus pluribus, R. scilicet de Gof. archidiaconibus. Harcoido de S. Petro. Magistro Angitio, Petro monacho, & aliis pluribus singulis concessionibus assistentibus.

NOTITIA

De donatione Petri filii Geraldi nigri facta S. Medardo de Dolon.

QUia Domino docente didicimus, quod in ore duorum vel trium testium omne habebit verbum: cum ceteræ rationes, sive cujuscumque generis conventiones, memoriali scripturarum cavillatione carentes, cum propriis velociter deleantur auctoribus. Saluberrimum atque utile ecclesiæ S. Medardi & canonicis tam futuris quam præsentibus dignum fore duximus sub testimonio & auctoritate præsentis chirographi concordiam inter ALANUM comitem & canonicos S. Medardi factam sempiternæ memoriæ commendare. Iste igitur Alanus cum audisset & cognovisset quod Petrus filius Geraldi nigri factus canonicus dedisset S. Medardo possessiones suas, tam in agris, quam in domibus, & vineis; iratus prohibuit canonicos ne res suas absque sua concessione aut consilio datas aliquo modo possidere præsumerent. Sed cum tandem post aliquantum temporis intercessionibus comitissæ & aliorum amicorum nostrorum canonicorum adquievisset eis; quam intulerat calumniam, pro Deo & anima sua penitus finivisset, accessit ad domum Ascodii de S. Petro; & acceptis à cononicis S. Medardi Laurentio & Fulcoio VI. libris denariorum concessit, & in perpetuum possidere firmavit ecclesiæ S. Medardi, & canonicis tam futuris quam præsentibus omnia illa, quæ prædictus Petrus Geraldi nigri filius dederat. Concessit etiam adquirere & adquisita pacifice possidere quæcumque Deo volente ex fidelibus pro animabus suis largientibus de suis rebus aut suorum hominum possent acquirere, aut emere. Idipsum etiam CONANUS filius ejus concessit, & habuit VI. denarios de illis qui dati sunt comiti, quos quæsivit puer cum videret eos numerari. Facta autem sunt hæc & ad finem usque per-

ducta in domo Ascodii de S. Petro II. Nonas Junii Luna XVIII. concur. VI. Regular. VI. Epacta III. Indictione XIII. PHILIPPO Francorum rege. Hujus rei sunt auditores & testes Mainfinitus canonicus & decanus, & Gaufredus Sacerdos S. Laurentii, cum cujus cultello hujus conventionis firmatum est donum, & Ascodius de S. Petro, & Petrus filius ejus, & Thomas nepos ipsius, Moryannus siniscallus, Tanqui filius Fancionis, Simon filius Hervei familiaris noster, & multi alii, quos enumerare perlongum est.

PRÆCEPTUM
BENEDICTI EPISCOPI NAMNETENSIS
De ecclesia S. Medardi de Dolon. Quam donat Majori-Monasterio.

Anno 1109

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego BENEDICTUS Namnetensium Episcopus constitui in ecclesia S. Medardi de Dolon, quæ est prope menia urbis Namneticæ, quosdam canonicos ad serviendum ibi Deo secundum Regulam S. AUGUSTINI. Sed heu contra spem & voluntatem nostram in parvo tempore canonicalis ibidem cœpit religio miserabiliter destitui. Quod cum ego vidissem; in capitulum eorum aliquotiens veni: sæpe eos de correctione sui commonui: & cum nec sic proficerem; ad ultimum etiam comminatus sum eis, nisi se corrigerent, me eos ab ecclesia emissurum; & alios ferventiores ad Dei servitium immissurum. Illi autem nec sic se corrigentes, & res loci per se posse detineri diffidentes, & hoc etiam affirmantes; tandem accesserunt ad Abbatem S. Nicolai Andegavensis, dicentes se velle fieri monachos, & locum S. Medardi ei & ejus monachis subdituros. Quod cum ad me perlatum esset, & advocatis eis requisissem si sic fecissent; & respondissent rem ita se habere: Ego autem, inquam, illi ecclesiæ providebo. Misi itaque ad venerabilem abbatem Majoris-monasterii nomine VVILLEL-

mum, & mandavi ei, quod illam ecclesiam decrevissem B. MARTINO & ejus monasterio condonare : Unde ille accepto consilio, transmisit ad me duos ex monachis suis Domnum VVillelmum priorem & Domnum Milonem. Præsentibus igitur & concedentibus archidiaconis nostris Rivallonio, & Gaufrido, & Harcodio de S. Petro, dequo illa ecclesia movebat secundum sæcularem potestatem, qui eam in manu nostra reliquerat; dedi Beato MARTINO & monachis ejus in manu Domni VVillelmi prioris ecclesiam illam cum omnibus ad eam pertinentibus, salva justitiæ & auctoritatis nostræ canonica reverentia. Huic dono interfuerunt Rivallonius & Gaufredus archidiaconi Namnetenses; & Petrus cantor. De monachis VVillelmus prior, Milo, Guarinus de Fundeta, Gilduinus filius Gilonis. Parvo post tempore Domnus GIRARDUS legatus apostolicæ sedis celebravit concilium Losduni; ubi & ego interfui; & in ejus præsentia confirmavi præfatum donum, ipso mihi inde magnas gratias referente. Hanc autem confirmationem feci ipsi abbati VVILLELMO : ubi interfuerunt præsentes & videntes de Monachis ejus VVillelmus prior, Andræas Gommes, Milo, Gilo, Frotmundus prior Taventi.

Actum anno Dominicæ Incarnationis MCVIIII. Indictione III. & regnante in Francia rege Ludovico.

NOTITIA

De Donatione ecclesiæ S. Medardi de Dolon facta monachis Majoris-monasterii.

AD notitiam posterorum nostrorum B.Martini Majoris-monasterii monachorum hoc scripto mandare curavimus, quod vir recolendæ memoriæ BENEDICTUS Namnetensis episcopus, ordinem meliorare sollicitus in ecclesia S. Medardi de Dolon, quæ est prope mœnia urbis Namneticæ, in qua ipse constituerat quosdam canonicos regulares;

misit nuncios suos ad abbatem nostrum Domnum VVilLELMUM, mandans ei quod vellet ecclesiam illam nostro monasterio condonare. Unde abbas noster accepto consilio, transmisit illuc Domnum VVillelmum prius archidiaconum Redonensem, tunc priorem monasterii nostri & cum eo Domnum Milonem prius Metensem canonicum, tunc monachum nostrum. Præsentibus igitur & concedentibus archidiaconis Namnetensis ecclesiæ Rivallonio & Gaufredo. Concedente etiam Arscoito de S. Petro., de quo illa ecclesia movebat secundum sæcularem potestatem, dedit episcopus supra memoratus B. Martino & nobis in manu Domni VV. prioris per quemdam cultellum ecclesiam illam, & omnia quæ ad illam pertinebant jure perpetuo possidendam. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCVIIII. ante capitulum Namnetensis ecclesiæ. Teste & concedente ex parte episcopi Petro Cantore de Namnete. Ex parte vero nostra monachi jam nominati & alii nihilominus monachi nostri Guarino scilicet de Fundeta, & Gilduino filio Gilonis. Hoc facto venit episcopus ad concilium quod Domnus GERARDUS legatus Romanæ ecclesiæ & Engolismensis episcopus celebravit Losduni xv. cal. Novembris. Porro ibi concessit ipse Namnetensis episcopus donum supradictum in præsentia ipsius legati & Domni VVILLELMI abbatis nostri : ipso legato donum ipsum confirmante, & inde referente gratias ipsi episcopo. Testibus ex parte episcopi archidiaconis supradictis : ex parte vero nostra Domno abbate VVillelmo. VVillelmo priore, Andrea de Gommes, Milone, Gilone, Frotmundo priore Taventi. Deinde Finito concilio duxit secum Namnetensis episcopus Domnum abbatem nostrum ad recipiendam ecclesiam illam. Et cum Namnetum pervenissent, voluit episcopus emittere canonicos ab ecclesia illa, & Domnum abbatem revestire de ea, & de omnibus ad eam pertinentibus. Interim autem venerunt quatuor ex canonicis illius ecclesiæ ad domnum abbatem, obsecrantes eum & monachos, qui cum eo erant, ne paterentur eos emitti ab ecclesia illa. Domnus igitur abbas & alii monachi precibus canonicorum ad pietatem commoti, renun-

renunciaverunt episcopo per domnum VVillelmum priorem, & per domnum Andream de Gommez, se nullo modo velle, ut ipse, vel per placitum, vel per aliam occasionem, emitteret umquam canonicos illos ab ecclesia illa quandiu viverent, & honeste se haberent: illis autem vel obeuntibus, vel ad monachicam vitam se convertentibus, veniret ecclesia in dominium B. Martini & nostrum. Quod totum ipse episcopus concessit. Porro parvo post tempore canonici illi divinitus, ut credimus, inspirati, accepto inter se consilio, providentes ne post decessum eorum redigeretur ad sæcularitatem locus ille: consuluerunt domnum Gaufridum inclusum, vitæ laudabilis virum, quid facerent de ecclesia illa data monasterio nostro, sicut superius prædictum est. Responditque eis eos parum consulte egisse, quod ex toto non dimisissent se & ecclesiam in potestate nostra: quia forsitan peccatis impedientibus post decessum eorum reverteretur ecclesia illa ad miserabile dedecus irreligionis: & quia hoc per eos evenisset, pessimum detrimentum animarum suarum incurerent. Quapropter canonici illi transmiserunt ad nos mandantes, quid consilii de illa ecclesia accepissent. Unde & nos destinavimus illuc domnum VVillelmum priorem & domnum Andream de Gommez, ut audirent canonicos illos. Convenerunt itaque iidem monachi nostri & canonici illi ad præfatum inclusum, & per consilium ejus de augmento religionis sollicitiores effecti, elegerunt duos canonicos ex numero eorum Laurentium priorem & Fulcodium, quos ad nostrum capitulum destinarent, & per eos & se & ecclesiam & omnia appenditia ejus nostro monasterio condonarent. Igitur anno MCX. incarnationis Dominicæ venerunt duo illi canonici ad capitulum nostrum, & dederunt, & subjecerunt, & concesserunt se & concanonicos suos, & ecclesiam supradictam, & omnia appenditia ejus, in perpetuum monasterio nostro per quemdam baculum, quem posuerunt super majus altare nostrum, prorsus omni proprietate postposita, & dispositione sui, & totius illius ecclesiæ, & appenditiorum ejus dimissa in arbitrio Domni Abbatis nostri VVillelmi & successorum ejus; in tantum ut domnus abbas noster & statuat, & destituat cum

consilio eorum priorem illius ecclesiæ sive obedientiarum ejus quemcumque ex eis elegerit more cellarum nostrarum. Remanebunt autem in canonicali ordine, quandiu eis placuerit: & si quis eorum elegerit monasticam vitam, recipiemus eum. Si quis vero in canonicali ordine obierit, faciemus de eo quantum de monacho nostro, & eos insuper qui jam defuncti sunt ex eis scribemus in martyrologio nostro. Ipsi similiter de unoquoque defunctorum nostrorum facient tantumdem, quantum & de canonico suo. Quod si quis alius voluerit fieri canonicus inter eos, non recipient eum, nisi per consilium & concessionem domni abbatis nostri, nisi forte ad succurrendum. De illo etiam qui factus fuerit canonicus ad succurrendum propter timorem mortis ita erit. Ipse & omnia quæcumque condonaverit illi ecclesiæ, venient ad manum vel ad voluntatem abbatis nostri, & de eis fiet secundum ordinationem ejus. His ita concessis, requisivit domnus abbas à canonicis illis, si ecclesia illa esset debitis aggravata an non. Responderunt illi se debere XXII. duas libras denariorum & X. solidos pro faciendis vineis, & aliis quæ necessaria fuerant illi ecclesiæ. Adquietavit igitur domnus abbas noster ecclesiam illam sicut cellam nostram à debito illo; & dedit eis sex boves ad excolendas terras & duos modios annonæ ad seminandum. Adquietata igitur domo illa sicut nostra: fuit convenientia inter nos & eos quod nihil ultra mutuo acciperent, nec venderent aliquid, aut emerent sine consilio abbatis nostri, aut sine consilio unius de prioribus domorum nostrarum, illi ecclesiæ vicinarum, cui utili consilio domnus abbas providebit tractanda esse negotia illius ecclesiæ. Quod si forte ad tantam paupertatem redacta fuerit ecclesia illa, quod absit, ut ex reditibus ejus non possint canonici procurari: mittet Domnus abbas de eis quantos sibi videbitur in quascumque voluerit domorum nostrarum, & ibi procurabuntur honeste, sicut monachi nostri. Et iterum quando sufferre potuerit facultas ecclesiæ, revertentur ad eam.

NOTITIA

De pœnitentia Guegoni Vicarii & donatione ab eo facta ecclesiæ Aletensi.

Notum sit tam præsentibus quam futuris hominibus, quam emendationem fecerit Guegonus Vicarius, Herhadi filius super infractura ecclesiæ B. Petri Aletensis, quam in diebus sanctæ Quadragesimæ infra ipsam ecclesiam facere præsumsit anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. Cum itaque in subsequenti æstate divino judicio graui plaga in capite esset vulneratus, & mori inde timeret: vocans & obnixe per nuncios deprecans præsulem præfatæ ecclesiæ *Benedictum nomine, qui tunc forte apud S. Maclovium de insula morabatur, ut ad se visitandum veniret, super tanti sacrilegii crimine, quod in Deum & in prædictam ecclesiam exercuerat, emendationem reciperet. Cum in primis venire contemneret, tandem ad eum venit. Plorans igitur peccatum suum, ab Episcopo & à presbyteris secum adstantibus confessionem canonicam suscepit, sub ea conditione, ut omnia quæ in prædicta ecclesia rapuerat, & pauperibus abstulerat, in proximo redderet, & arma non ferret, nisi cum consilio & licentia Episcopi. Ecclesiæ vero Aletensi B. Petri hoc modo satisfecit. Concessit enim totam terram liberam absque aliqua calumnia in perpetuum, quam prius dederat Robertus Bresellі filius in eleemosynam episcopo Benedicto, & omnibus successoribus sibi episcopis, investiens episcopum de hoc per virgam ejus pastoralem. Præter hoc etiam dedit ipse Guegonus & frater ejus Haimo ecclesiæ S. Petri & episcopis ejus in eleemosynam perpetuam duas partes decimæ præfatæ terræ, quas in manu sua tenebant, dedit quoque episcopo in eleemosynam ipse Guegonus duas partes decimæ carrucæ suæ, concessit etiam fieri

Circa annum 1108.

Nota confessionem pluribus sacerdotibus factam.

* Benedictum eo nomine secundum qui ecclesiæ Aletensi præfuit circa annum 1108.

cimiterium de una corda juxta ecclesiam in terra sua. Super his itaque omnibus sunt hi testes. Benedictus episcopus, qui hoc donum suscepit, Galterius monachus, atque Racuilius, Robertus Clericus, Inhois, Hugo presbyter, Guillelmus presbyter, Mensintot presbyter, Anschetil presbyter, Kemmarocus presbyter, Hingant presbyter, Bleu Bastardus, Guillelmus filius Ingomari, Lunguens presbyter filius Kemmaroci, Lungomarus filius Halanau, Berhaudus Præpositus, Dungomarus filius Eveni, Paganus filius K.... vandi, Ingomari H. & uxor ejus M. Evouus filius Judicael, Guillelmus Mal.... quicumque abstulerit hoc donum præfatæ Ecclesiæ.

NOTITIA

De donatione ecclesiæ Aletensi à Roberto filio Bresel facta.

NOtum sit tam futuræ quam præsenti generationi hanc scripturam legenti vel audienti, Robertum filium *Bresel* de Plohierno pro salute animæ suæ & filii sui Hingandi atque uxoris suæ E. & omnium parentum suorum in eleemosynam perpetuam B. Petro civitatis Aletæ atque ejus episcopo nomine Benedicto, qui tunc ecclesiam Aletensem regebat ejusque successoribus dedisse quamdam terram juxta præfatæ urbis portam sanctique Servatii cimiterium sitam, quam hæreditario jure à Vicario nomine VVigono libere tenebat, eo videlicet tenore, ut ipse ipsiusque successores omnium supradictæ ecclesiæ beneficiorum in perpetuum particeps permaneat, cunctisque episcopatus illius ecclesiarum dedicationibus ejus memoria perennis fiat, & quando ad finem pervenerit, ejus corpus pro alterius crimine inhumatum non existat, quod ne temporum prolixitate, seu successorum livore corrumpi valeat, scripti memoriæ commendavimus. Hujus rei testes sunt ipse Benedictus episcopus, qui de manu Roberti hanc eleemosynam suscepit, fratresque ipsius, Eudo videlicet monachus, & VVinhe-

nocus, Boistardus presbyter, Evenus presbyter de Dinan, Simon & Lucas capellani, Hamen presbyter de Ploemo, Vuillelmus de Melbraio. Judicael Talvagu. Tanet medicus, aliique Ut igitur hoc donum inconvulsum magisque confirmatum existat, ipse Robertus ejusque filius Hingandus hæc signa manibus propriis fecerunt. † Signum Roberti. † Signum Hingandi.

Quicumque hanc eleemosynam infringere vel auferre prædictæ ecclesiæ tentaverit, à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ separatus sit, nisi ad emendationem canonicam venerit.

CHARTA FUNDATIONIS SAVIGNIENSIS MONASTERII.

Anno 1112

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Ego RADULFUS Fulgeriensis universorum consummationem & finem attendens, & in futurum saluti meæ providens, simul ac consulens, quod propriis meritis obtinere non possum, à pauperibus spiritu regnum cælorum, quod ipsorum est, emendum putavi. Eos enim in illa cælesti curia semper advocatos habere desiderans, utpote cujus ipsi sunt concives simul & præsules, ad eosdem tamquam ad sanctæ munitionis azilum confugio, ut eorum saltem merear opitulatione salvari, qui de meis meritis non nisi mortem & damnationem invenio. Dono igitur ego RADULFUS cum uxore mea AVITIA, & filiis meis MAINONE, FRANSGALONE, HENRICO, & ROBERTO, Deo & Domno VITALI eremitæ in possessionem & cœnobiale domicilium monachorum, videlicet forestam de Savigneio, sicut ex una parte fluvius, qui vocatur Chamba, ipsam forestam à Cœnomannia disterminat; & ex altera parte Chambesneta fluviolus ab ipso vico separat, qui Savigneium appellatur. Sicut enim Spiritus-sanctus ait in psalmo, cedros Libani Deus plantavit, ut in earum ramis nidificare sancti passeres permittantur. Quam nimirum ob incolumitatem corporum & salutem animarum, mei videlicet, & uxoris,

à filiorum meorum, & dominorum, & amicorum meorum, & pro animabus patrum nostrorum, & matrum, & dominorum, & amicorum, & baronum meorum, & omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum, ita ab omni tam clericorum infestatione, quam laicorum, quiete reddimus. Et ut nemo contra hanc donationem sit, qui servos Dei inibi commorantes inquietare vel audeat vel præsumat. Quam nimirum quietem & tranquillitatem TURGISIUS Abrincensis sedis episcopus ab omni consuetudinum episcopalium exactione ratam & inviolabilem possidendam concessit. Si quis autem contra hanc donationis nostræ paginam temerario ausu venire, vel eamdem ecclesiam infringere, vel diripere, vel nocere tentaverit, perpetui feriatur anathematis ultione donec ad plenam satisfactionem & congruam emendationem redierit.

† Signum RADULFI Fulgeriensis.
† Signum AVITIÆ uxoris ejus.
† Signum FRANGALONIS.
† Signum HENRICI.
† Signum ROBERTI.

Hæc donatio confirmata est & signata apud Savigneium anno ab Incarnatione Domini MCXII. Indictione V. Epacta XXI. octavo Calendas Februarii anno regni primi HENRICI Regis Anglorum & Ducis Normanorum XIII. anno vero Archipræsulatus GAUFRIDI Rothomagensis archiepiscopi III. TURGISII quoque Abrincensis episcopi anno præsulatus XVIII. Hujus itaque donationis & confirmationis sunt testes legales & veridici Hamelinus de Meduana. Juhellus frater ejus. Harscoitus de S. Hilario, & filius ejus Philippus, Robertus Abrincensis, Bozardus de Castellerio, Maino de Polleio, VVillelmus filius Guidonis, Hamelinus filius Pinelli, Sensatus de Maisnilio Helduini. Gaufridus Viator. Eudo de Monte Fulcherii. Hervæus de Lineriis. Gunterius Frumenterius. Paganus de Amero. Stephanus filius Alveredi. Guillelmus filius Ilgerii.

PASCHALIS II.
Ad Vitalem abbatem Savigneiensem.

Permittit ut tempore interdicti divina celebrent officia.

PASCHALIS episcopus Servus servorum Dei dilecto filio VITALI Abbati S. Trinitatis de Savigneio salutem & apostolicam Benedictionem.

In nemore quodam deserto & invio ecclesiam ædificatam & religiosos fratres per tuam industriam in Dei servitio illic congregatos audivimus : unde omnipotenti Deo gratias agimus, cujus gratiæ est bonum omne quod agimus, & quieti vestræ pro officio providere curavimus. Vestræ si quidem religioni concessionem hanc litterarum præsentium auctoritate concedimus, ut pro interdicto communi parrochiæ, in qua manetis, ecclesia vestra nullo modo officiis debeat carere divinis. Tu igitur in Christo venerabilis, tam pro nobis quam pro universa Ecclesia omnipotentis Dei misericordiam instantius exorare memineris, qui nos per gratiam suam in dilectione sua semper custodiat. Dat. Lateranis x. cal. Aprilis.

HONORII PAPÆ II.
Ad Gaufridum abbatem Savigneiensem.

Confirmat bona monasterio Savigniensi concessa.

HONORIUS episcopus Servus servorum Dei dilecto filio GAUFRIDO abbati S. Trinitatis de Savigneio ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Ad hoc nobis à Deo pastoralis officii cura commissa est, ut & beneplacentem Deo religionem laboremus sta-

tuere, & stabilitam exacta diligentia conservare. Ea propter, dilecte in Domino fili GAUFRIDE abbas, venerabilis fratris nostri TURSTINI Eboracensis archiepiscopi precibus inclinati, tuis rationabilibus postulationibus duximus annuendum. Statuimus enim ut monasterium B. Trinitatis de Savigneio, cui Deo auctore praeesse cognosceris, quaecumque inpraesentiarum juste & legitime possidet firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant: quaecumque praeterea in futurum largiente Deo, concessione pontificum, liberalitate regum, largitione Principum, poteritis adipisci, firma vobis & integra conserventur, salva nimirum diocesani episcopi justitia & reverentia. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed & omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis autem huic nostrae constitutioni sciens temerario ausu contraire tentaverit, anathematis sententiam se noverit incursurum. Datum Lateranis v. Idus Decembris.

EPISTOLA JOHANNIS CONSTANTIENSIS Ad Gaufridum abbatem, Richardum Priorem, & monachos Savigniensis monasterii: seu Praefatio in librum de Computo ecclesiastico.

REverendissimo Domino & Dei servo abbati Savigniensi GAUSFRIDO, nec non & ejusdem coenobii Venerando Priori RICHARDO, Universoque Conventui JOHANNES Constantiensis sic de virtute in virtutem proficere, ut Deum Deorum mereantur in Sion videre.

Gratias & laudes divinae misericordiae refero; quoniam olivae fructiferae domus Domini, nec non & altitudo cedrorum libani, quin immo & montis Sion cypressi, me servum

servum pigrum, arborem pene inutilem & ulmi similitudine infructuosam, saltem ad Domini vineam sustentandam invitare & supponere gratia sua dignantur. Petitis etenim, Domini mei, ut de mari magno & spatioso compotorum ea quæ necessariora sunt sustentationi regiminique sanctæ Dei Ecclesiæ, compendiose decerpta vobis in unum conscribam, & scribendo planiore vulgatiorique sermone sicut introducendis pueris fieri solet, etiam nomina rerum & verba interpretando, vel ethymologias enucleando, cunctis patefaciam. Quamvis itaque multorum dentes & cachinnos, qui in multis aliter quam ego sentiunt, in me scienter commoveam; libenter tamen de Domini pietate confisus vestrisque meritis & orationibus adjutus, onus & opus expetitum subeo, & prout Deus dederit complebo. Si igitur aliquantisper longius quam putatis illud complere distulero; quæso suppliciter ne tædeat Dominos meos. Graviter namque mediæ hiemis algore & intemperie impedior & ecclesiastico servitio. Vos autem Domini mei beati & vere Philosophi, quorum vera Philosophia in humanis atque divinis jam longe lateque diffunditur, si quid inutile in hoc opusculo videritis, illud corrigite, vel corrigendum mihi notificate, novi enim sanctum venerandumque collegium vestrum, multos honestos & eruditos viros habere: qui si placuisset vobis, hoc opusculum potuissent sufficientius explere, & ubi fuerit opus iidem poterunt emendare. Volo autem vos præmonere, ut prænoscatis de veterum regulis & tabulis & laterculis in hoc opere me multa postponere, quia quandoque fallunt & veritatis tramitem nequeunt conservare, & quoniam de his quæ juvant ecclesiasticum compotum tractabitur, titulus hujus operis erit *Compotus ecclesiasticus*. Intentio vero tractare de eodem compoto secundum solis & lunæ cursus, & ea quæ ex his colliguntur. Utilitas quippe est ut hoc compoto lector edoctus sanctam Paschalem solemnitatum solemnitatem, reliquasque præcipuas anni festivitates, & natalitios dies sanctorum ecclesiastica sanctione constitutos, propriis temporibus & diebus denunciare sciat & observare. Cursum quoque temporum & statum computare, sed & hæreticos & quoslibet devian-

tes ad viam catholicæ veritatis auctoritate & ratione constringere, orantem pro nobis caritatem vestram misericors Dominus exaudire dignetur.

LUCII PAPÆ II.

Ad Henricum Fulgeriensem & Juhellum de Meduana.

Commendat eis monachos Savignienses.

LUCIUS Episcopus servus servorum Dei nobilibus viris HENRICO Fulgeriensi & JUHELLO Meduanensi salutem & apostolicam benedictionem.

Gratum vobis est, quod religiosos fratres Savigniensis monasterii, sicut dilecto filio nostro SERLONE abbate referente cognovimus, in terra potestatis à Deo vobis commissæ juvatis, & manutenetis, & de facultatibus vobis à Deo commissis optata eis solatia ministratis. Quia igitur non incœpisse, sed perfecisse virtutis est; per apostolica scripta vobis mandamus atque in peccatorum remissionem injungimus, quatenus juxta bonum initium, locum & fratres ibidem Domino servientes ab omnibus injustis calumniis & oppressionibus defendatis, & ad ejusdem loci augmentum studiosius intendatis. Sic enim & in futuro sempiternam à Domino retributionem promereri poteritis, & in præsenti bonorum temporalium abundantiam & incrementum honoris obtinere. Datum Lateranis VII. Idus Decembris.

EUGENII PAPÆ III.

Ad Serlonem abbatem Savigniensem.

Ut observantia Cisterciensis ordinis in ejus monasterio & ab eo dependentibus teneatur.

EUGENIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio SERLONI Savigneiensi abbati, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Apostolicæ Sedis, cui divina gratia præsidemus, nos auctoritas admonet, beneplacentem Deo religionem statuere, & stabilitam exacta diligentia conservare. Quocirca, dilecte in Domino fili SERLO abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus & Savigneiense monasterium, cui præesse dignosceris, scriptorum nostrorum patrocinio communimus: Statuentes ut Ordo monasticus secundum institutionem Cisterciensium Fratrum tam in præfato monasterio, quam in his quæ sub ejus potestate consistunt, futuris temporibus inviolabiliter conservetur, & ut abbatiæ quæ ad jus tui monasterii pertinere noscuntur, in tua tuorumque successorum obedientia & subjectione permaneant: quarum nomina duximus exprimenda, abbatia de Furum. Abbatia de Busert. Abbatia de Biluvvas. Abbatia de Noth. Abbatia de Carreia. Abbatia de Strafort. Abbatia de Cogherhala. Abbatia de Basingvver. Abbatia de Cumbremare. Abbatia de Behelande. Abbatia de Suineshenad. Abbatia del Caldrei, & abbatia insulæ de Man. Has itaque abbatias cum omnibus earum pertinentiis, tibi tuisque successoribus in perpetuum confirmamus. Nulli ergo hominum fas sit super hac nostra constitutione vestrum monasterium perturbare, aut aliquam ei exinde contrarietatem inferre, sed omnia in perpetuum ita intemerata serventur, quemadmodum præsentis scripti sanctione noscitur institutum. Si quis sane hanc nostri privilegii paginam sciens

contra eam temere venire tentaverit; secundo tertiove commonitus, nisi congrue satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantes autem eidem loco quæ sua sunt, à remuneratore omnium bonorum Deo, intervenientibus Beatorum Petri & Pauli meritis, æternæ vitæ præmia consequantur. Amen. Amen. Amen. † Fac mecum signum in bonum. S. Petrus. S. Paulus Eugenius Papa III.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus SS.

† Ego* Linarus Tusculanus episcopus SS.

*l Ymarus

† Ego Oddo Diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum SS.

† Ego Octavianus diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano SS.

† Ego Johannes Paparo diaconus cardinalis S. Mariæ Novæ SS.

† Ego Guido diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu SS.

† Ego Iacinctus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin SS.

† Ego Ffubaldus presbyter cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli SS.

† Ego Aribertus presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ SS.

† Ego Julius presbyter cardinalis tituli S. Marcelli SS.

† Ego Guido presbyter cardinalis tituli Pastoris SS.

Ego Bernardus presbyter cardinalis tituli S. Clementis SS.

Datum Remis per manum Guidonis S. Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii IIII. Idus Aprilis. Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVIII. Pontificatus vero Domini Eugenii Papæ III. anno quarto.

ANASTASII PAPÆ IIII.

Ad Richardum abbatem Savigniensem.

Ejusdem argumenti.

ANastasius episcopus servus servorum Dei dilecto filio RICHARDO Savigneiensi abbati ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Apostolicæ Sedis, cui divina gratia præsidemus, nos auctoritas admonet, beneplacentem Deo religionem statuere, & stabilitam exacta diligentia conservare. Quocirca, dilecte in Domino fili RICHARDE abbas, tuis justis petitionibus clementer annuimus: & Savigneiense monasterium, cui Deo auctore præesse dignosceris, scriptorum nostrorum patrociniis communimus: statuentes ut ordo monasticus secundum ordinem Cisterciensium fratrum tam in præfato monasterio, quam in his quæ sub ipsius potestate & disciplina consistunt, futuris temporibus inviolabiliter conservetur, & ut abbatiæ, quæ ad jus tui monasterii pertinere noscuntur, in tua tuorumque successorum obedientia & subjectione permaneant; quarum nomina duximus exprimenda. Abbatia de Belbreh, & abbatia de Briostel cum pertinentiis earum, abbatia de Sarnago, abbatia de Brollio, & abbatia de Trappe cum appenditiis earum, abbatia de S. Andrea de Goffert, & abbatia de S. Clemente de Tyrunhel cum appenditiis earum, abbatia de Fulcardi monte cum appenditiis suis, abbatia de Luncuiler cum pertinentiis suis, abbatia de Chalocheio cum pertinentiis suis, abbatia de Busseria cum pertinentiis suis, abbatia de Fontibus cum pertinentiis suis, abbatia de Veteri Villa cum pentinentiis suis, abbatia de Alneto cum pertinentiis suis, abbatia de Fuanesio, abbatia de Holanda, abbatia de Caldra, & abbatia de Man cum pertinentiis earum, abbatia de Bella Lauda, & abbatia de Joreval cum pertinentiis earum, abbatia de

Cumbra mara, abbatia de Basinvverch, abbatia S. Matiæ de Durelina, & abbatia de Pultuna cum pertinentiis earum, abbatia de Bilduvvas cum pertinentiis suis, abbatia de Neth cum pertinentiis suis, abbatia de Buffestren cum pertinentiis suis, abbatia de Quarraria, & abbatia de Drogonis fonte cum pertinentiis earum, abbatia de Straforth cum pertinentiis suis, abbatia de Quoquosala cum pertinentiis suis. Has igitur abbatias cum omnibus pertinentiis suis ad exemplar prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Papæ Eugenii tibi tuisque successoribus in perpetuum confirmamus. Nulli ergo hominum fas sit super hac nostra confirmatione vestrum monasterium perturbare, aut aliquam ei exinde contrarietatem inferre; sed omnia in perpetuum ita intemerata serventur, quemadmodum prædicti prædecessoris nostri pagina noscitur institutum, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si quis sane hanc nostri privilegii paginam sciens contra eam temere venire tentaverit; secundo tertiove commonitus, nisi congruè satisfecerit; potestatis honorisque dignitate careat: reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguin Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, conservantes autem eidem loco quæ sua sunt à remuneratore omnium bonorum Domino intervenientibus Beatorum Petri & Pauli meritis æternæ vitæ præmia consequantur. Amen, Amen, Amen.

† Custodi me Domine ut pupillam oculi. S. Petrus.
† S. Paulus. Anastasius Papa IIII.

Ego Anastasius catholicæ ecclesiæ episcopus SS.
† Ego Ymarus Tusculanus episcopus SS.
† Ego Oddo Diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum SS.
† Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli S. Callisti SS.
Ego Hugo Ostiensis episcopus SS.
† Ego Cencius Portuensis episcopus & S. Silvæ candidæ SS
† Ego Guido Diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu SS.
† Ego Ffubaldus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis SS.
† Ego Gregorius diaconus cardinalis & Sabiniensis electus SS.

Ego JOHANNES diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi SS.

† Ego JULIUS presbyter cardinalis tituli S. Marcelli SS.

† Ego ODO diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano SS.

† Ego VVIDO presbyter cardinalis tituli Pastoris SS.

† Ego ASTALDUS presbyter cardinalis tituli S. Priscæ SS.

† Ego HENIRICUS presbyter cardinalis tituli SS. Nerei & Achillei SS.

Datum Lateranis per manum ROLANDI sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii XII. Calend. Mad. Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCLIIII. Pontificatus vero Domini ANASTASII Papæ IIII. anno primo.

ALEXANDRI PAPÆ III.
Ad Savigneienses.

Eximit eos à solvendis decimis ex terris quas propriis manibus colunt.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati & fratribus ecclesiæ Savigneiensis, quæ est de Ordine Cisterciensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu, sunt prosequente complenda. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate apostolica indulgemus, ut de laboribus vestris quos propriis manibus aut sumtibus colitis, de nutrimentis animalium vestrorum, nullas omnino à vobis decimas exigere audeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit; indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ IIII. calendas Decembris.

CHARTA GAUFRIDI EPISCOPI Carnotensis de ecclesia Belfordii.

Anno 1122

NOtum sit universis tam clericis quam laicis per temporum tempora successuris, quod ego GOFFRIDUS Dei gratia Carnotensis ecclesiæ humilis minister monachis ecclesiæ B. Martini Majoris-monasterii capellam de Villa Berfordii quæ antea lignea erat, lapideam fieri permisi, concessi etiam ut ibi tintinnabula haberentur, & proprii famuli illius domus audirent servitium salvo Pontificali & parrochiali jure. Et ut carta rata & inconvulsa persisteret; hi testes affuere GIRARDUS abbas de Josaphat, STEPHANUS abbas S. Johannis, VVILLELMUS abbas de Tiron. Magister Rainardus, Hugo præpositus, Bernardus capicerius, Augerus arch. Hugo Vindocinii decanus, Gigomarus monachus, Odo monachus, Goffridus qui tunc erat prior de Villa Berfordii.

EPISTOLA ENCYCLICA MONACHORUM S. Albini Andegavensis, de obitu Marbodi episcopi Redonensis, necnon & S. Gerardi ejusdem cœnobii monachi.

Anno 1123

UNiversis unius sacrosanctæ Ecclesiæ filiis humilis Congregatio Beati Albini Andegavorum episcopi plenam de hoste victoriam & de victoria coronam.

Apostoliea nos informat auctoritas, ut pro invicem orantes alter alterius onera portemus, & sic adimplebimus legem Christi. Legem igitur Christi nos servi Christi pia sollicitudine adimplere satagentes, denuntiamus vobis obitum Domni MARBODI venerabilis episcopi, semper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, hone-

honestate præclari, litterarum eruditione doctissimi, cujus sermo sale semper conditus erat, & ex ore illius omni melle dulcior semper fluebat oratio; & quamvis eodem tempore variis studiis tota Gallia resonaret, ipse tamen oratorum rex Gallicanæ arcem eloquentiæ specialiter optinebat. Tertio si quidem Idus Septembris infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens à sæculo, vivens in Christo sua nos viduavit præsentia; & amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque vernantium exercitia, quibus in Andegavensi civitate, cui famosissimus ac nominatissimus extitit magister, efficacissime claruit, electus à Reverendissimo Papa URBANO in Turonensi concilio sanctæ sedis ecclesiæ Redonensis, annuente Domino, Pontifex ordinatus est. Quàm ipse dignitatem, immo onus accinctus gladio Spiritus-sancti, licet inter barbaros & naturali quadam armatos feritate per annos viginti octo fideliter prudenterque gubernans, superborum colla justitiæ censura perdomuit, arguendo, obsecrando, increpando, dissidentia pacificavit. Tandemque longævo confectus senio, plenus dierum in sancta confessione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressurus itaque viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentiens, onere Pontificali deposito, sanctissimi BENEDICTI habitum humilitatemque suscepit, Monachumque professus Beato ALBINO se tradidit; ac sic exoneratus, pauperem Christum pauper & ipse secutus est. Ante quidem ut Martha sollicitus erat & occupatus erga plurima, nunc vero velut altera Maria unum esse necessarium recognoscens, optimam partem elegit, quæ non aufferetur ab eo.

Commendamus etiam orationibus vestris transitum Domni GERARDI fratris nostri, viri plane mirabilis, quem profecto temporibus nostris prolixum vidimus traxisse martyrium. Rebus pauper, meritis dives, parcus sibi, largus egenis: cujus honesta conversatio in cælis erat, dùm angelicam in terris vitam gerebat: ubi enim erat thesaurus ejus, illic & animus; qui juxta Apostolum semetipsum exhibuit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; cui jejunando, vigilando, & orando jugiter assistens, oneratus ferro, vinctusque

catenis, rationabile reddidit indefessus obsequium, & ut magna breviter explicemus, mirabilem vitam mirabiliter inchoavit & mirabilius consummavit, bonis meliora, melioribusque semper adjiciens optima. Obiit autem eodem anno pridie nonas Novembris in senectute bona virtutum floribus adornatus, cæloque spiritum reddens, terram terræ mandavit.

Certum quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit inhabitatio terrena sensum multa cogitantem; & nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram; dilectissimam nobis caritatem vestram per viscera misericordiæ Dei nostri petimus & rogamus, ut pro illis fundatis ad Dominum preces, & contra cuncta eis adversantia orationum vestrarum clypeos opponatis. Insuper admonemus, ut vanitantium vanitates & nugarum nænias penitus recidatis, ne quod utiliter nimis institutum est, notam habeat levitatis. Nos enim vota precum animabus profutura, non verborum phaleras postulamus, quæ defunctis nihil proficiunt & vivis plurimum solent obesse, cum scriptum sit de omni verbo otioso reddituros nos rationem. Latori quoque præsentium pro amore Dei & mirandi Pontificis honore necessaria ministrate, ne si dimiseritis vacuum, quod absit, deficiat in via. Denique præsenti rotulo titulos vestros apponite, defunctorum nomina breviter annotate, ut quod nostris salubriter petimus, vestris devotissime persolvamus: & ne forte de rotuli procrastinatione, miremini sciatis hoc indubitanter ob expectationem pontificalis ecclesiæ contigisse: sed quia nullus extitit eorum qui hoc faceret, maluimus nos esse quam neminem.

EPITAPHIUM.

Sancti Gerardi Monachi S. Albini

Transiit è mundo vir magnæ relligionis
 Sacri Gerardus numinis hospitium,
Eloquio simplex, habitu despectus, honoris
 Impatiens, pacis mansio, verna crucis.
Cuncta caduca nihil, magni cælestia pendit,
 Subtraxit vitiis pectus, & ora dolis.
Bis geminos & tres sine potu transiit annos,

Et totidem panis usibus abstinuit.
Cujus longa fames, sitis, algor, vincula fletus,
Assiduæque preces, promeruere Deum,
Clarus, inops, vernans; cruce, rebus, virginitate;
Juste, sacra, polum; vixit, amavit, habet.
Festa dies obitu foret ejus quarta Novembris,
Ad quæ transivit tantus ad astra pater.

ALIUD:

Floruit indutus corpus mortale Gerardus,
Nec minus exutus operum capiet quia fructus.
Huic fuerat panis recreatio spiritualis,
Posthabitis variis quibus utimur hic alimentis.
En legit ossa lapis hominis tantæ pietatis
Quæ merito sacris essent condenda sub aris.

VERSUS MAGISTRI ULGERII ANDEGAVENSIS EPISCOPI.

De Marbodo.

SI quis quantus erat MARBODUS noscere quærat:
Postulat hoc quod ego dicere posse nego.
In toto mundo non invenietur eundo
Ullus compar ei nominis atque rei.
Omnes facundos sibi vidimus esse secundos.
Nullus in ingenio par, nec in eloquio.
Cessit ei Cicero, cessit Maro, jucundus Homero.
Ut dicam breviter, vicit eos pariter,
Per cunctas metas, per quas sua se tulit ætas
Nulla sibi placuit res nisi quæ decuit.
Curans ut fieret virtutem quod redoleret,
Transtulit huc studium, transtulit ingenium.
Illi sic noto dedit ejus sed sine voto
Christi judicium Pontificum solium.
Hic Præsul factus, nolens licet atque coactus
Effecit melius quæ bene cuncta prius.
Æqua mensura mensurans omnia jura
Lenis erat placidis, & rigidus tumidis.

Jugiter orabat, jejunabat, vigilabat,
Quodque sibi minuit, pauperibus tribuit.
Hic tam laudari dignus, tam dignus amari,
Sorte cadens hominum, transiit ad Dominum.
Omnes personæ, quæ sunt in relligione,
Ingemuere nimis planctibus & lacrymis.
Nobilitas flevit, nec plebs à flendo quievit,
Tam gemit & plorat, quam bona commemorat.
In cunctis annis nova mors erit ista Britannis:
Quos vivens tenuit, quos aluit, docuit.
Præcipue Redonis proprii quæ morte patroni
Est velut ægra jacens, factaque muta tacens.

ITEM DE EODEM.

MARBODI vita doctrinæ luce perita
Enituit mundo, sensu fœcunda profundo.
Natus erat quorum decus. extitit Andegavorum,
Post Redonum turbis & clero præfuit urbis.
Dum studio vixit quæ prosunt, plurima dixit,
Occidit antistes: facit hoc occasio tristes.
Sed succurrat ei Deus & societ requiei.

VERSUS RIVALLONIS REDONENSIS ARCHIDIACONI.

De Marbodo.

REddidit ingenium sapientem, lingua disertum,
Mens memorem, vigilem sollicitudo gregis,
Ætas longa senem, jucundum gratia moris,
Ordo Pontificem, relligioque sacrum.
Sobrietas parcum sibi, munificentia largum
Pauperibus, rectum regula justitiæ.
Hic basis Ecclesiæ pondus portabat, & idem
Mansuetudine bos, & feritate leo.

FULCONIS COMITIS ANDEGAVENSIS ad Gaufridum abbatem & monachos Vindocinenses.

Fundat anniversarium suum in monasterio Vindocinensi & in cella Andegavensi ab eodem cœnobio dependente.

FULCO Dei gratia Andegavorum comes & AREMBURGIS comitissa ejus dilectissima uxor, filiusque eorum major natu GOFFRIDUS. GOFFRIDO Abbati & universæ congregationi Vindocinensis monasterii salutem.

Anno 1124

Quotienscumque homines ea quæ in hoc mundo possident Deo offerunt, non debent quasi contristari de præsenti munere; sed gaudere ex fideli redditione. Reddunt enim suo creatori temporalia, ut ab ipso recipiant sempiterna. Hac igitur consideratione offerimus Patri & Filio & Spiritui-sancto, Sanctæ & Individuæ Trinitati, uni Deo, & vobis, vestrisque successoribus jure perpetuo possidendas aquas omnes & piscationes fluvii Meduanæ à muro civitatis Andegavæ usque ad rupem Canciacensem. Ad supplementum victus, & vestitus, & aliarum necessitatum cellæ vestræ quæ Andegavis in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis sita est. Constituimus itaque & præcipimus ut in eisdem aquis nemo deinceps piscare præsumat absque vestra licentia & voluntate. Sed sint in vestra potestate integræ & quietæ. Eo siquidem tenore ut de piscibus qui ibi capientur meliores in cotidianum Generale fratribus ejusdem cellæ sufficienter eligantur; reliqui verò ad ceteros usus eorumdem fratrum deputentur. Vos autem vestrique successores in perpetuum post obitus nostros Anniversaria nostra tam in Andegavensi cella, quàm in Vindocinensi monasterio facietis sicut alicujus Abbatum vestrorum facitis. Et in ipsis Anniversariis habebit tota Congregatio Vindocinensis de reditu piscationis ejusdem pidantiam Generalem. Præterea tumbam FULCONIS comitis qui in Monasterio vestro Andegavis

sepultus jacet, vestro sumptu talem facietis, si non meliorem, qualis est tumba HELIÆ Cenomannensis comitis, qui in Monasterio de Cultura sepultus est. Anniversaria quoque patrum nostrorum & matrum nostrarum facietis. Et ut hæc Eleemosyna nostra sine cujusque retractatione inviolabilis omni tempore maneat, sigillis nostris eam firmavimus.

Actum Turonus in Turre comitis anno Incarnationis Dominicæ MCXXIIII. Indict. II. VII. Kal. Decembris Et interfuerunt ipse FULCO comes. AREMBURGIS comitissa. GOFFRIDUS major filius eorum. GOFFRIDUS abbas Vindocinensis. PAGANUS Alerici. SAVARICUS prior Villæ Dei. PETRONILLA abbatissa Fontis-Ebraldi & ALGARDIS priorissa. RADULFUS de Balgentiaco; & de suis duo, GANILO & GERVASIUS Dapifer. GUILLIELMUS de Passavant. GERVASIUS de Troea. GOFFRIDUS filius Garini. PETRUS de Monte Sesberti. ADAM Nutritius.

EPISTOLA S. VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI, ad Albericum Ostiensem episcopum.

De variis criminibus accusatus ad concilium venire recusat, appellatque ad Sedem Apostolicam.

A. Dei gratia Ostiensi episcopo S. Viennensis ecclesiæ minister indignus salutem.

Post Bellicense concilium ubi archiepiscopus Lugdunensis adversum me, Reverende Pater, tanta impietate malignatus est, ad Dominum papam humiliter veniens, novissime obtinueram ut causa mea ante vestram præsentiam discussa fine canonico terminaretur. Sperabam enim, ut quod furor debacchantis præcipitaverat, vestræ discretionis mansuetudo ad modum & ordinem reduceret, & persona mea ab æmulis malitiose vexata, apud vos vel cum justitia requiem inveniret. Sed dum fugio arma ferrea, videor mihi incidisse in arcum æreum: litteras enim magnitudinis vestræ suscepi terribiliter me non

invitantes, ſed potius urgentes, ut infra quinque hebdomadas omni occaſione ſublata, extra Viennenſem provinciam inter hoſtium laqueos ad remotiſſimas Lugdunenſis provinciæ partes veniam non judicari ut apparet; ſed iterum crucifigi. Illic mihi contra accuſatores meos conflictus indicitur, & adverſus eos quos nunc penitus ignoro defenſionis jubeor arma corripere. De numeroſo quoque LXXII. teſtium populo mihi ſermo non fit, quorum examinatio licet ubique difficilis ſit, & longam multorum dierum ſolemnitatem requirat, in externis tamen finibus multo mihi difficilior extat. Præterea in horum omnium defectu cum canonice & evangelice abſolvi debeam & audire, *Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo*, rurſus mihi novus & ſingularis modus purgationis ingeritur, & à ſacris canonibus penitus alienus, ut quæram ſcilicet religioſos & ſanctos epiſcopos, quorum major pars de Viennenſis eccleſiæ ſuffraganeis exiſtat. Memento igitur, Pater, quoniam de religione & ſanctitate omnium decernere non meum, ſed illius tantum qui ſolus ſcrutatur renes & corda, & qui ſolus novit qui ſunt ejus. Multi enim in eccleſia Dei ſpecie tenus tantum in veſtimentis ovium veniunt, ſed teſtimonio ipſius Jeſu Chriſti reprobantur, quoniam intus mihi ſunt lupi rapaces. In Viennenſi quoque provincia cum non ſint niſi tres epiſcopi habitu religionis induti, qualiter ex tribus vel quinque ad purgationem meam aſſumere valeam prorſus ignoro: & cum eorum quidam adverſum me ſcriptis ſuis Dominum papam & eccleſiam meam ſollitaverint, ut eos ſubito partis meæ defenſores & perſonæ meæ purgatores efficiam, ſupra vires humanas fore intelligo. Ipſa etiam capitula nihil expreſſum, nihil determinatum habentia, quid certum, quid ſpeciale oculis meis oſtendunt, cum paſſim & indiffinite dicatur de ecclaſiarum venditione, de immunditia corporis mei, de perjurio militum meorum, de fide promiſſa & mentita, & falſificatione monetæ? nonne hæc omnia magis odium & ſimultatem æmulorum ſignificant, quam alicujus canonici & legitimi examinis formam demonſtrant? ut cum magis ad omnia imparatus ſim, non dicitur quas eccleſias vendiderim; & cum incontinentia corporis multi-

formis sit, cujus fuerim incontinentiæ reus; cum etiam multos habeam milites, quos vel qualiter ad pejerandum compulerim: & cum sæpius habitum sine culpa & nota deponere liceat, quando & qualiter & quem habitum deposuerim; & monetarius cum non sim, nec fuerim umquam, quando vel qualiter vel cum quibus monetam falsificaverim. Quod si totam vitam meam ab ineunte ætate confuse & indeffinite sub hujusmodi purgationis difficultate concluditis; ego quoque evangelica vos omnes alloquor sententia, Qui sine peccato est vestrum, primus in me lapidem mittat. Nunc igitur velut inobediens & contemptor præceptorum Domini papæ Vizeliacum venire refugio, quoniam si omnia illa quæ prædiximus essent portabilia mihi, domus tamen mea hoc tempore multipliciter afflicta ad tot & tantos sumptus non sufficit, nec velle penitus debeo, ut residuum locustæ comedat bruchus. Omnis quippe obedientia possibilis debet esse, & loco & tempori congruens: pro his itaque gravaminibus vocem appellationum exhibeo, & ne quid contra me statuatis ex parte Domini papæ liber interdico. Quod si hæc apud vos locum non habuerint, pro certo scio quia pugnabit pro me contra vos ipsa conscientia vestra, & in conspectu æterni judicis vos causa mea præcipites fuisse convincet. Mundus etiam me tacente clamabit, quia egressa est iniquitas de Babilone à senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Ego vero etsi non fuero episcopus, ero tamen matris ecclesiæ humilis & obediens filius, & redeunti mihi de tenebris & angustiis hujus mundi occidetur in domo B. Rufi vitulus saginatus, ut accensa lucerna comedamus similiter & epulemur post paululum per Dei misericordiam ad æterni regis convivium intraturi.

Dan. 13. 5.

EPISTOLA GUARNERII ABBATIS & fratrum Majoris-monasterii ad fratres Cellæ Briensis.

Ne sacristiæ assignata bona alio distrahant.

FRatres Capituli Majoris-monasterii & eorum humilis minister frater G. dilectis filiis suis & fratribus capituli Cellæ Briensis à regularis observantiæ tramite nusquam declinare.

Circa annum 1138.

Sicut in earum adquisitione rerum, quæ ad utilitatem & decus ecclesiæ spectant, indefesso nos convenit studio laborare; ita nihilominus circa ea quæ sunt adquisita, ne cujuslibet incuria dilapidentur, seu negligenter administrentur, diligentiori nos decet observantia vigilare. Proinde statuendum atque præsentis paginulæ auctoritate sanciendum decrevimus, quatenus universa quæ sacristariæ vestræ obedientia tam in thesauro, quam in ornamentis, seu aliis redhibitionibus, vel possessionibus, inpræsentiarum possidet, aut in futurum poterit adipisci, eidem obedientiæ perpetuo jure inviolabiliter conserventur. Interdicentes omnimodis ac prohibentes ne quislibet priorum vel sacristarum de prælibatis sacristariæ rebus quippiam absque capituli nostri & nostra permissione distrahere præsumat, aut ingadiare, seu quolibet ingenio alienare, vel prioratus usibus applicare. Quod ut à vobis præsentibus atque futuris irrefragabiliter observetur, hujus cartulæ scripto mandare studuimus, nostrique sigilli impressione munitum vobis ad monimentum transmittendum curavimus. Valete.

PRIVILEGIUM CONANI DUCIS Britanniæ, de fundatione Buzeensis Monasterii Ordinis Cisterciensis in diœcesi Nannetensi.

QUoniam sæpius contingit, ut quod à nobilibus viris retroactis temporibus bene gestum esse constat, à sensu mortalium simul & memoria quantocius transit ac labitur, nisi litterarum apicibus cauta ac provida commendatione commendetur: Ego CONANUS, ALANI comitis filius, ac Britannorum dux, justum fore sum ratus ac commodum, ut quod, juvante Deo, corde proposui consummare, præsentis membranulæ stylo posteritatis pandam notitiæ. Dudum est quod ego & ERMENGARDIS mater mea pro salute animarum nostrarum & omnium parentum nostrorum abbatiam quæ BUZEIUM vocatur ædificare statuimus: sed propria negligentia, & quorumdam sinistro decepti consilio, cœptum opus, ut debuimus, ad effectum usque non duximus: immo multa, quæ habitatoribus prædictæ abbatiæ prius dederamus, subtraximus. Veniens igitur olim visitationis gratia apud Britanniam domnus BERNARDUS abbas Clarævallis, ad cujus abbatiam Buzense cœnobium spectat, considerans eumdem locum non juxta promissionem, quam feceramus, constructum & ædificatum; sed pene desolatum; supramodum vehementer doluit, & me quasi perfidum & mendacem austerissimis increpationibus redarguens, abbati ac fratribus qui ibidem morabantur, ut locum relinquerent, & apud Claramvallem unde advenerant, citius redire festinarent, imperavit. Quod ego audiens vehementer tristis effectus, simulque verecundia maxima repletus id omnimodis fieri prohibui, & me deinceps abbatiam ædificaturum, ac multa bona eidem largiturum, in prædicti abbatis Clarævallensis multarumque aliarum personarum præsentia promisi, & insulam *de Caberon*, quam in principio apud Britanniam adventus Clarævallensium monachorum libere dederam, sed postea abstuleram, & quingentos nihilominus

solidos, quos in reditibus Namnetensis fori tandiu prædictæ abbatiæ annuatim reddendos promiseram, donec omnia ædificia consummarentur, & hujusmodi censu locus ipse non indigere evidenter cognosceretur, reddidi, & dona omnia quæ prius dederam, ipsam videlicet Buzei insulam, &c. Verum si quis quærat cur hoc secundum privilegium post primum scribi, nostroque sigillo muniri voluimus; sciat me hoc fecisse rogatu & intercessione Ermengardis carissimæ matris meæ, &c. Hujus donationis testes sunt, Rotaudus venerabilis Venetensis episcopus, Alanus Redonensis episcopus, Johannes Macloviensis episcopus, Hesius Namnetensis episcopus, Radulfus Redonensis archidiaconus, Robertus Grimium canonicus Namnetensis, Petrus abbas ejusdem cœnobii, Andreas Monachus, Paganus præpositus comitis, Guillelmus S. Albini.

EPISTOLA ADELÆ BLESENSIS COMITISSÆ & postea Marciniacensis sanctimonialis ad Gaufridum Carnotensem episcopum.

Ut non permittat monachos Majoris-monasterii molestari à Canonicis S. Carilefi.

Carissimo Domino & patri G. Dei gratia Carnotensi episcopo & Sanctæ Romanæ ecclesiæ legato A. Marciniacensis monacha comitis T. mater fidelium munus orationum.

Pervenit ad nos, quod canonici S. Carilefi decimam de dono eleemosynæ de Francavilla, quam venerabilis scilicet comes & socius noster & ego Majoris monasterii monachis dedimus, calumniantur. Unde noverit vestra paternitas hanc calumniam in præsentia nostra, cum adhuc in sæculo agerem, sic ventilatam & omnino definitam esse, ut nullatenus super hoc præfati monachi inquietari debeant. Quippe quia canonici illi nobis coram positis & pluribus legitimis testibus hanc querelam monachis eisdem prorsus quiete dimiserunt. Quocirca vestræ

Sanctitatis paternitatem exoro, ne super hoc jam dictos Majoris-monasterii monachos ulterius ullomodo fatigari permittatis. Vale.

EJUSDEM
Ad Theobaldum comitem Blesensem.

Ejusdem argumenti.

CArissimo suo Blesensium comiti A. Marciniacensis monacha maternæ dilectionis affectum.

Memor sum quidem, Fili Carissime, quod cum adhuc in sæculari habitu degerem, canonicos S. Carilefi de decima super dono eleemosynæ de Francavilla, quam socius noster, comes scilicet, pater tuus, & Ego Majoris-monasterii monachis dedimus, conquestos fuisse. Super quo noverit dilectio tua quod iidem canonici hanc querelam in præsentia nostrâ dictis monachis ita prorsus dimiserunt, ut eadem querimonia deinceps sine reclamatione perpetuo sopiretur. Ea propter te, dilectissime fili, exoro, ut eleemosynam nostram, quam libere monachis dedimus, sic illis libere custodias, ne ulterius aliqua controversia super hoc ecclesia Majoris-monasterii fatigetur. Vale.

ODONIS CARDINALIS EPISTOLA
Ad Joannem episcopum Maclovienſem.

Arguit eum quod monachis Majoris-monasterii infestus sit.

ODO Dei gratia Sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis Sedis apostolicæ legatus venerabili & dilecto fratri J. Aletensi episcopo Salutem & dilectionem in Domino.

Præter alias oppressiones, quas ecclesiæ Majoris-mona-

sterii contra prohibitionem Sedis Apostolicæ irrogatis, in oratorio *de Becherel*, quod in oratorio de Ploasno constructum est, fratres prædictæ ecclesiæ sub interminatione excommunicationis, licet vobis, aut alii episcopo id non liceat, divina officia celebrare prohibetis. Quia vero privilegia eidem ecclesiæ indulta conservari volumus, auctoritate apostolica & nostrâ in jam dicto oratorio fratribus, qui apud *Becherel* conversantur, divina officia peragere concessimus & præcepimus. Vobis quoque mandamus, ut aquam benedictam ad aspergendum in eodem oratorio donetis; quam si dare nolueritis, à quolibet episcoporum eam auctoritate apostolica & nostra accipiant.

LUDOVICI VII. FRANCORUM REGIS Litteræ de Satisfactione Simonis de Nealfa pro occisione Simonis de Malrepast militis.

Anno 1176

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Regiæ dignitatis est beneficia ecclesiis collata litterarum memoriæ commendare, ut perpetuæ robur obtineant firmitatis. Notum igitur fieri volumus præsentibus & futuris, quod Simon de Nealfa in præsentia nostra constitutus, pro compositione facta cum amicis & consanguineis defuncti Simonis militis de Malrepast, quem interfecerat, ut toti generi satisfaceret, & ut compositio inter eos facta firmior stabiliorque de cetero permaneret, quicquid in potestate ecclesiæ de Basenvilla habebat in dominio, redditibus, procurationibus, consuetudinibus, & exactionibus, pro anima prædicti defuncti eidem ecclesiæ in manu nostra publicè quitavit & dimisit, & de voluntate uxoris suæ & heredum suorum perpetuo possidendum concessit, exceptis feodis. Si quis vero contra hanc regiæ confirmationis paginam venire attentaverit, nos eleemosynam præscriptam secundum rationem & justitiam in curia nostra manutenebimus,

ne quod per nos factum est, cujusquam præsumtione valeat infirmari. Quod nos inviolabiliter observari volentes, subtus inscripto nominis nostri caractere, sigilli nostri auctoritate præcipimus communiri. Actum Parisius anno ab Incarnatione Domini MCLXXVI. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Signum comitis THEOBAUDI Dapiferi nostri. S. RAGINAUDI camerarii. S. GUIDONIS buticularii. S. RADULFI constabularii.

Locus monogrammatis.

Vacante cancellaria.

Infra pendet Regis sigillum.

SIMONIS EBROICENSIS COMITIS LITTERÆ De eadem Satisfactione.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. SIMON Dei gratia Ebroicensis comes. Principum congruit dignitati beneficia ecclesiis collata litterarum memoriæ commendare, ut perpetuæ robur obtineant firmitatis. Notum igitur fieri volumus præsentibus & futuris, quod Simon de Nealfa in præsentia Domini regis & nostra constitutus, pro compositione facta cum amicis & consanguineis defuncti Simonis militis de Malrepast, quem interfecerat, ut toti generi satisfaceret, & ut compositio inter eos facta firmior stabiliorque de cetero permaneret, quicquid in potestate ecclesiæ de Basenvilla habebat in dominio, redditibus, procurationibus, consuetudinibus, & exactionibus, pro anima prædicti defuncti eidem ecclesiæ in manu Domini regis publice quietavit & dimisit, & de voluntate uxoris suæ & heredum suorum perpetuo possidendum concessit, exceptis feodis militum. Si quis vero contra hanc nostræ confirmationis paginam ire attentaverit, nos eleemosynam præscriptam secundum rationem & justitiam in curia nostra manutenebimus, ne quod per Dominum regem & nos factum est cujusquam præsumptione valeat infirmari : quod

nos inviolabiliter observari volentes, ut fidejussor sigilli nostri auctoritate præcepimus communiri. Actum Parisius publice anno ab Incarnatione Domini M C LXXVI. astantibus in palatio Domini regis quorum nomina supposita sunt & signa. S. Comitis THEOBAUDI, S. RAINAUDI camerarii, S. GUIDONIS buticularii, S. RADULFI constabularii. In curia vero nostra præsentes aderant. SIMON noster filius, FULCO capellanus, RAINALDUS Delabaate, & plures alii.

VVILLELMI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI litrera de eadem satisfactione.

VVILLELMUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus Apostolicæ Sedis legatus priori & fratribus de Basenvilla dilectis filiis suis in prerpetuum.

Quia dignum est ut beneficia ecclesiis pie collata perpetuæ robur obtineant firmitatis, litterarum apicibus dignum duximus commendare, quod cum Simon de Nelfa miles in præsentia Domini regis & nostra constitutus compositionem fecisset cum amicis & consanguineis defuncti Simonis militis de Malrepast, quem interfecerat, ut toti generi satisfaceret, & ut compositio inter eos facta firmior & stabilior de cetero permaneret, quicquid in potestate ecclesiæ de Basenvilla habebat in dominio, redditibus, procurationibus, consuetudinibus, & exactionibus, pro anima defuncti Simonis militis eidem ecclesiæ, exceptis feodis militum, coram Domino rege & nobis quietavit ac dimisit, & absque ulla in posterum reclamatione possidendum concessit, & tam ipse, quam frater ejus Milo, & patruus eorum Amalricus, omnia prædicta abjuraverunt. Juravit etiam ipse Simon quod eamdem quietationem ab heredibus suis ecclesiæ concedi faceret & laudari. Fratres vero ipsius ecclesiæ propter sibi collatum beneficium pro anima præfati

Simonis defuncti unam missam singulis diebus celebrare promiserunt. Ne autem super his aliqua deinceps controversia possit oriri, eadem præsenti paginæ commendavimus & sigilli nostri auctoritate confirmavimus. Statuentes & sub anathemate prohibentes, ne quis huic nostræ confirmationi in aliquo contraire præsumat, salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Actum publice Parisius anno ab Incarnatione Domini MCLXXVI.

LUCII PAPÆ III. BULLA
de eadem satisfactione.

LUcius episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis priori & fratribus de Basenvilla, salutem & apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem decet nos præbere assensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, immunitatem & absolutionem in redditibus, procurationibus, consuetudinibus, exactionibus, & aliis, exceptis feodis militum, à nobili viro Simone de Naefla pro anima nobilis viri Simonis de Maurepast in præsentia bonæ memoriæ L. quondam illustris Francorum regis & venerabilis fratris nostri VV. tunc Senonensis, nunc vero Remensis archiepiscopi vobis. & successoribus vestris pia devotione factam, sicut in authenticis rescriptis prædictarum personarum habetur, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit; indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Velletri IIII. Nonas Junii

CHARTA

CHARTA GALCERI DE CASTELLIONE.

Monachis S. Mauritii Remensis dat duo sextaria frumenti ad confaciendas hostias & duo modia vini ad missam celebrandam.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego GUALCERIUS de Castellione notum facio tam futuris quam præsentibus, quod monachis S. Mauritii Remensis dedimus duo sextaria frumenti ad faciendas hostias, & duo modia vini singulis annis ad celebrandas missas; & hoc dedimus in eleemosynam possidendum in perpetuum pro animabus patris & matris meæ, & pro salute animæ meæ, & uxoris meæ, & amicorum meorum. Et recipiantur in villa, quæ *Columpne* vocatur, de meis propriis redditibus, ad mensuram ipsius villæ in festo S. Remigii vindemiarum reddenda. Hæc quæ prædiximus concessit uxor mea HELVIDIS & filii mei GALCHERUS, GUIDO, & MILLO. Hujus rei testes sunt Theobaldus prior de Nantolio & Gregorius presbyter. De militibus Clarembaldus de Ivenna, Reinaldus, Couardus, Paganus de villa. Ex parte monachorum Fulcodius prior, Laurentius, Hilduinus, Oddo, Johannes, & Tetbaldus conversus. De famulis Gislibertus &.... & quidam alii. Actum anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIIII.

an. 1184.

CHARTA HARCULFI DE COMBURNIO.

Confirmat donum Roberti de Capella factum monachis Majoris-monasterii in prioratu S. Martini de Comburnio demorantibus.

HARCULFUS Dei gratia Dominus Comburnii & signifer S. Sansonis, omnibus fidelibus salutem.

Nota. Cum de jure Iseldis uxoris meæ ad me pertineat vacante ſede Dolenſi res regere pontificales, & de terris & hominibus archiepiſcopi, tamquam archiepiſcopus diſponere: ea quæ me concedente in præſentia mea fiunt, tantum vigoris & roboris, efficaciæ & juris habent, & ita rata ſunt, dum vacat ſedes, tamquam ſi coram archiepiſcopo & eo concedente fierent. Unde univerſitati fidelium notificare curavi, quod Robertus de Capella, & Alanus, & Guido fratres ejus dederunt terras & homines, & quicquid juris habebant in parrochia de Eſpinac Deo, & S. Martino de Comburnio, & monachis Majoris-monaſterii ibi manentibus in perpetuam eleemoſynam poſſidendum, acceptis de caritate monachorum XXII. libris, & pacto ſibi facto, quod ſi vellet monachus fieri, cum pannis monachilibus & palefrido ſuo reciperetur, vel unus fratrum ſuorum, mortua promiſſione ipſius, vel unus filiorum ſuorum ſine pannis: ita tamen quod x. annorum eſſet, & ſciret pſalterium, & datis ſingulis concedentibus de genere ſuo donis caritativis. Hoc donum Roberti conceſſit Petrona uxor ſua & filii ejus Alanus, Guilermus, Bauterius, Rolandus, & filiæ ejus Iſabel, Agnes. Conceſſit etiam hoc Alanus frater ejus primogenitus, & filii ejus Guilermus, Petrus, & filiæ ejus Aales, Oſanna, Haois. Conceſſit & Guido frater ejus & filii ejus Alanus, Bartholomæus, Richardus, Guillermus, & filiæ ejus Agnes, Johanna. Conceſſit hoc ſoror eorum Iſabel, & filius Guilermus. Conceſſerunt hoc Thomas Thaun, & Stephanus filius Mahe. Conceſſit hoc etiam mater Alani, Roberti, & Guidonis Agnes, & nepotes ejus Guilermus Higurt, & Robertus, & Oſanna ſoror Thomæ Higurt. Quam eleemoſynam cum dediſſet Robertus, & conceſſiſſent Alanus, & Guido, & & quantum in ipſis eſt dediſſent, juraverunt ſupra altare S. Martini, & ſuper ſacroſancta evangelia, & corpus Domini bona fide, & ſine dolo hanc eleemoſynam cuſtodire & protegere, prout melius poſſent omnibus diebus vitæ ſuæ. Poſtea hanc eleemoſynam poſuerunt in manu mea ſtatuentes, ut ego & Domini ſemper Comburnii cuſtodes & protectores hujus eleemoſynæ eſſent. Hujus rei teſtes ſunt iſti Gaufridus Rotelereus Dolenſis tunc Siniſcallus meus, Gaufri-

dus Spina, Jordanus de Machua, Oliverius de Maglechat, Monachorum Hugo prior de Polle, Johannes nepos ipsius, Heudo de Botenigel, Gaufridus de Toſcheto, Tehel, Heudo Vilicus, Guilermus de Liſtreio, Johannes Gladan, Guillermus de Laugan, Herreus Ramart, Fremulus Serviens monachorum. Robertus Carbonel, Guilermus malus clericus, Radulfus de Moa & multi alii.

EPISTOLA

ELIÆ ABBATIS S. MAGLORII PARISIENSIS Ad Albertum epiſcopum Macloviensem & R. Dominum Dinani.

Rogat ut permutationem factam cum monachis Majoris-monaſterii de cella S. Maglorii Lehonenſis pro tribus obedientiis confirment.

DOminis & amicis ſuis A. Dei gratia epiſcopo S. Maclovii & illuſtri viro R. Domino Dinnanenſi He. eccleſiæ S. Maglorii Pariſienſis humilis miniſter, & ejuſdem eccleſiæ conventus ſalutem & orationes in Domino.

Dilectioni veſtræ ſignatis apicibus indicamus quod de voluntate & conſenſu Domini regis Francorum, communicato etiam conſilio cum diſcretis & prudentibus viris, permutationem fecimus cum dilectis fratribus noſtris monachis Majoris-monaſterii, tres ab eis accipientes obedientias in terra Domini regis Francorum pro eccleſia Lehonenſi cum omnibus pertinentiis ſuis. Rogamus autem dilectionem veſtram quatinus & vos idem velitis, & prædictæ permutationi veſtrum præbeatis aſſenſum, & præfatos monachos in poſſeſſionem bonorum prædictæ eccleſiæ, quam nos ei concedimus cum pertinentiis ſuis auctoritate veſtra introducatis. Valete.

HEBERTI REDONENSIS EPISCOPI LITTERÆ De satisfactione Andreæ de Vitreio pro illatis monachis S. Crucis damnis.

an. 1196. UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis H. Dei gratia Redonensis ecclesiæ minister humilis in salutis auctore salutem.

Noverint præsentes & futuri quod cum ANDREAS Vitreii pro quibusdam injuriis & excessibus monachis S. Crucis de Vitreio & eorum hominibus irrogatis in persona sua fuisset excommunicatus, & tota terra ejus interdicto supposita; tandem cum eisdem monachis & hominibus in hunc modum in nostri præsentia composuit. Pro damnis siquidem eis xx libras quas homines de vico illo de Tallia ei & heredibus suis annuatim debebant omnino quittandas usque ad decem annos. Et quia mater ejusdem Andreæ illas xx libras in dotem reclamabat sibi datas fuisse; juravit dictus Andreas quod usque ad determinatum terminum eos de xx libris illis à matre liberaret, & quod monachos, & eorum homines & sua usque tunc fideliter & in pace custodiret & defenderet. Nullamque eis violentiam interim sive injuriam inferret. Hanc itaque compositionem inviolabiliter observandam post ipsum juraverunt Alanus de Dinagno, & Robertus frater ejus VV. vero filius pagani, & Gaufridus de Liberta, Robertus de S. Desiderio, Gaufridus de Vvasto, Herveus de Torce, Herveus Pilet, Herveus de Thesneriis milites. Reginaldus Grualem, Herveus carus filius, Gaufridus Salomonis, Herbertus Ermenfredi Hi omnes tam milites quam burgenses juraverunt, quod si Dominus Andreas ab hac compositione resiliret, ipsi sese redderent obsides mandato nostro & monachorum: nos vero super ipsum & terram ejus sententiam poneremus, sicut erat antea. Quod ut ratum esset & illibatum, præsens scriptum sigilli nostri & sigilli Domini Andreæ munimine roboravimus. Actum anno MCXCVI.

LITTERÆ ANDREÆ DOMINI DE VITREIO.

De satisfactione monachis S. Crucis facta pro illatis injuriis.

UNiversis præsentes litteras inspecturis ANDREAS Dominus Vitreii salutem in Domino. 1197.

Noveritis quod super contentionibus quæ vertebantur inter me ex una parte, & religiosos viros abbatem & conventum Majoris-monasterii Turonensis, priorem & monachos S. Crucis de Vitreio, & homines eorumdem de Burgo S. Crucis de Vitreio, ex altera super damnis, quæ ego, & gentes meæ, & gentes regis Franciæ, dictis monachis, & eorum hominibus de Vitreio, occasione guerræ Domini regis Franciæ & comitis Britanniæ intuleram; de consilio bonorum virorum pacificatum est in hunc modum. Ego pro bono pacis dedi hominibus dictorum monachorum de Burgo S. Crucis de Vitreio centum quinquaginta libras usualis monetæ pro damnis dictis hominibus illatis: & priori & monachis S. Crucis de Vitreio dedi centum quinquaginta libras usualis monetæ ad ecclesiam suam & claustrum S. Crucis de Vitreio faciendum. Dedi etiam de nemoribus meis sæpedictis monachis quantum eis necesse fuerit ad ecclesiam suam & claustrum faciendum solum vice ista. Præterea excambiavi, & concessi hominibus supradictorum monachorum de Burgo S. Crucis de Vitreio & heredibus eorumdem viginti quatuor plateas in campo Gorantoni ad domos, si voluerint, ædificandas pro viginti quatuor plateis, quas ego occupaveram pro muris, fossatis & aliis meis ædificiis faciendis, in quibus viginti quatuor plateis sive domibus ego habebo tale jus & talem redhibitionem, sicut habebam in plateis antedictis. Et dicti homines & hæredes eorumdem tenebunt dictas plateas jure hereditario à priore

*Iste Andreas de Vitreio omnino diversus videtur à præcedenti. Nam plures hujus nominis Dominos de Vitreio reperimus in chartis Majoris-monasterii.

& monachis S. Crucis de Vitreio tali modo, & tali censu, & cum tali Dominio, quo priores plateas de priore & monachis antea tenuerunt. De viginti vero libris usualis monetæ, quas ego habebam singulis annis in Burgo dictorum monachorum de tallia, quitavi hominibus dictorum monachorum & eorum heredibus in perpetuum quindecim libras tantum modo, ita quod dicti homines dictorum, & heredes eorumdem hominum reddent annuatim mihi & heredibus meis residuos centum solidos usualis monetæ, in festo nativitatis B. Mariæ, tali modo & cum tali redibitione, qua prædictas viginti libras prius reddere tenebantur. In cujus rei testimonium & munimen præsentes litteras conscribi feci & sigilli mei munimine roborari. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo septimo mense Augusto.

EPISTOLA PHILIPPI AUGUSTI REGIS Francorum ad Baillivos Normaniæ.

De modo dirimendi lites circa præsentationes beneficiorum.

an. 1207.

PHILIPPUS Dei gratia Franciæ rex universis baillivis suis Normanniæ, ad quos litteræ præsentes pervenerint salutem.

Noveritis quod dilecti & fideles nostri * VUALTERIUS Rotomagensis Archiepiscopus & ejus suffraganei Episcopi Normanniæ nos requisierunt, ut super ecclesiis vacantibus de præsentatione quarum fuerit contentio, recognitio fiat per quatuor presbyteros & quatuor milites, ita videlicet quod archiepiscopus sive episcopus, in cujus contentio episcopatu erit super præsentatione ecclesiæ, & baillivus noster illius diocesis eligant bona fide presbyteros & milites fideliores & legaliores, quos potuerint invenire: & illi quatuor præsbyteri & quatuor milites super sacrosancta jurabunt, & archiepiscopus sive episcopus † excommunicabit,

f. examinabit

* Litteræ Vualterii Rotomagensis archiepiscopi & suffraganeorum ejus habentur in Spicilegii. Tom. 9. p. 154.

quod illi octo dicent ad quem debeat spectare donatio ecclesiæ de jure patronatus. Archiepiscopus vero sive episcopus & baillivus noster singulos presbyterorum & militum, qui juraverint, pro recognitione diligenter examinabunt seorsum unum post alium, & in quem major pars convenerit, ille habebit jus patronatus. Et si illi octo non possent scire ad quem debeat spectare donatio ecclesiæ de jure patronatus, ipsi dicerent quis ultimam fecerit præsentationem ecclesiæ, & inde ille habebit saisinam. Et si aliquis clericus contra hujusmodi institutionem venire præsumeret; archiepiscopi & episcopi sui essent in nocumentum eidem clerico de querelà illa ipsi etiam concesserunt unanimiter bona fide, quod ipsi hujusmodi negotium sine dilatione terminabunt. Et si aliqua contentio inde emergerit; ad nos referretur, & nos exinde faceremus sicut videremus expedire. Nulla vero ecclesia, de qua contentio fuerit, interim donari poterit ab archiepiscopo vel episcopo antequam diffinitum fuerit, sicut supradictum est, nisi vacaverit per sex menses, salvo etiam tunc jure patronatus ei, qui patronatum obtinuerit. Archiepiscopus vero vel episcopus non posset se exoniare super his, nisi haberet exonium proprii corporis: & si exonium proprii corpotis haberet; tunc loco suo mitteret bona fide fideliorem & legaliorem, quam posset invenire ad id faciendum. Nos autem ad archiepiscoporum & episcoporum Normanniæ petitionem id concedimus, & sicut hic continetur firmiter volumus observari. Unde vobis præcipientes mandamus quatenus ita observetis & observari faciatis. Actum apud Gisorem anno Domini MCCVII. mense Octobri.

INNOCENTII PAPÆ III.
Ad Johannem Anglorum regem.

INnocentius III. Johanni regi Anglorum. Tacti sumus dolore cordis intrinsecus & vehementi mœrore turbati, quod cum ex illa speciali prærogativa dilectionis, qua te an. 1209

ſedes apoſtolica diligebat inter ceteros principes, ut verſa vice rependeres ei reverentiam & honorem ; odium pro dilectione ei retribuis ; & quaſi conjuraveris in te ipſum, tuo non parcis honori, ut noſtro valeas derogare. Quin immo tuam & famam negligens & ſalutem in præjudicium utriuſque temere contra noſtram, & eccleſiæ, immo Dei diſpoſitionem erigeris: non attendens quod in vanum eam evacuare moliris, cum extentam manum Altiſſimi nemo poſſit avertere,&quicquid fuit ab illo decretum nullus valeat immutare. Sane quantum & qualiter ſuper negotio Cantuarienſis eccleſiæ tuæ regali celſitudini detulerimus, etſi tu forſan hoc non recolis ut ingratus: de memoria tamen univerſalis eccleſiæ facile non poterit aboleri, quæ bonitate malitiam non vincente, noſtram circa te patientiam admiratur. Heu quæ, cariſſime fili, duritia tuum obturavit auditum, ut ſalutaria monita tibi à nobis totiens inculcata non caperes? Quæ duritia tuum abſorbuit intellectum, ut diſcreta conſilia tibi à nobis ſuggeſta ſæpius non ſervares? Jam ſic induratus eſſe conſpiceris, ut creſcentem vulneris tui plagam non ſentias. Ita faſcinatus eſſe videris, quod nec medicaminis opem vel operam medicantis admittas; ut quaſi de te conqueri poſſimus cum propheta dicendo: Cui loquemur, & quem conteſtabimur amplius? incircumciſæ ſunt aures ejus & audire non poſſunt. Piget te verbi quod pro tua tibi ſalute ſuggeritur. Tædet boni quod pro tua tibi honorificentia ſuadetur, dum nec animæ detrimentum te miſeret ; nec famæ quam nec infamiæ dixerimus mundanæ te pudet : unde tanto magis ſuper tanta duritia miſeramur; quanto in crudelem ipſe tibi mutatus miſereri tui hactenus miſerabilius refugiſti. Licet autem paterna caritas ex qua tibi iſta ſuggerimus tibi ſit forſitan odioſa, circa te tamen prudenti amantis medici vices agimus, qui infirmum quamvis invitum & improvidum & reluctantem ſalubriter ſecat & urit. Ideoque, quod abſit, ſi morbum tuum invenerimus induratum violentiori nos coges inſiſtere medicinæ juxta quod neceſſaria cura depoſcet. Cujus aſperitatem etſi forſitan in præſenti refugias; ſanitate tamen recuperata, ipſius collaudabis effectum, ac peritum quoque medicum

medicum benedices. Ut autem adhuc sermonis apportamus unguentum; si forsitan ipso inolitus asperiora molimina non expectes: serenitatem regiam rogamus attentius & monemus per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, obtestantes quatenus usus consilio saniori, a tanto revoceris errore: saltem in ipso negotio procedendo juxta continentiam litterarum, quas filius abbas Belli-loci à nobis dudum tuo nomine impetravit. Quia procul dubio præter culpam priorem, hoc ad culpam alteram tibi poterit imputari, si ab eo recedere videaris: quod sub tuarum litterarum testimonio tam expresso, cum tanta fuerat instantia postulatum: per quas videlicet litteras nobis humiliter supplicabas, ut quod ipse abbas de negotio ipso tuo nomine nobis diceret, firmiter crederemus: propter quod debueras sine difficultate qualibet adimplere, quod per suam fuerat sollicitudinem impetratum: præsertim cum hoc demum visus fueris acceptare; quandoquidem propter illud à te prius auditum diligenter & examinatum prudenter delegatos nostros ad præsentiam tuam postea quasi pro complemento negotii venire fecisti. Quapropter, fili carissime, ne sis durus, & negotio ipsi difficultatem nullam ingeras, ne te, quod absit, in illam difficultatem inducas, de qua non facile valeas expediri. Alioqui quantumcumque personam tuam in Domino sincere diligamus, & canonicam disciplinam indignanter sis forsitan recepturus: quia tamen cum is qui diligitur castigatur, tunc circa eum pietas exercetur, eo quod amor habeat plagas suas, quæ dulciores sunt cum amarius inferuntur: nisi usque ad tres menses post harum susceptionem vel recusationem præsentium, quæ præmisimus adimpleveris; ex tunc ex parte Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus-sancti, & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, quorum licet indigni auctoritatem habemus, te anathematizatum decernimus, & à communione fidelium præcidimus: venerabilibus Fratribus nostris firmiter dantes in præceptis, ut sententiam ipsam, appellatione remota non differant publicare: facientes eam singulis Dominicis ac festivis diebus, pulsatis campanis, & candelis accensis usque ad satisfactionem condignam solemniter innovari. Quam

M

etiam & nos ipsi, auctore Domino, ore proprio publicabimus, ut sic certius & validius pœna ejus in omnem ecclesiam innotescat, cujus culpa generalem ecclesiam noscitur offendisse. Ad hæc cum adjutorio Dei contra te multipliciter processuri, si nec sic tuum corrigere festineris errorem. Ecce tensus est arcus; fuge, fili carissime, à sagitta, quæ non consuevit abire retrorsum; ne sauciatus ab illa graviter infirmeris, ut non solum non possis ad meliora proficere; verum etiam vix valeas ad priora redire, cujus utique plaga sine deformi non poterit cicatrice sanari. *Alia manu.* Actum anno gratiæ M CC IX. quando plebs fideles contra hæreticos Albigenses arripuit iter, Philippo regnante in Francia, magistro Stephano de Langantenoie à Domino Papa in archiepiscopum Cantuariensem ordinato contra voluntatem Johannis regis Angliæ, propter quod terra ipsius posita fuit sub interdicto.

FORMA INTERDICTI AB INNOCENTIO III. in Angliam constituta.

HÆc est generalis interdicti per Angliam forma constituta ab Innocentio III. propter contumaciam Johannis regis. Quod clerici quando voluerint sine omni solemnitate & sine nota omnes horas in ecclesiis dicant, & legant evangelium ostiis tamen clausis, ita ut nullus laicus ingrediatur, nec causa orandi, nec aliter, nisi sit aliqua potens persona non excommunicata, quæ cum omni devotione petat ingressum, ex cujus repulsa graviter lædi posset ecclesia. Tunc autem solus ineat, sed nihil audiat à Sacerdote nisi verbum prædicationis, ut plus Deo obediat quam homini & cetera hujusmodi. Item convocent capellani parrochianos suos singulis diebus Dominicis & præcipuis festivitatibus ad crucem aliquam in villa vel in cimiterio, & prædicent eis cum omni diligentia patientiam & obedientiam, quia Christus factus est obediens Patri &c. Et doceant plus esse obediendum Deo

quam homini, nolite timere eos qui potestatem habent occidendi corpus &c. Facta autem prædicatione, dicant Sacerdotes preces devotissime pro pace ecclesiæ, & pro Domino rege, ut Dominus Jesus Christus dirigat pedes ejus in viam salutis, & det ei spiritum consilii, ut quæ agenda sunt secundum Deum videat, & ad implenda quæ viderit convalescat. Dicant etiam preces pro vivis & pro defunctis sicut consueverant omnes flexis genibus & diligentissime populum moneant, ut die ac nocte talibus orationibus insistat, ut defectum missarum vigiliis & orationibus suppleant; quia omnes illi qui obedientes erunt ecclesiæ Dei & viam salutis ingrediuntur. Qui autem rebelles extiterint vindictam Domini poterunt formidare. Maledictus enim puer qui matri verberanti pugno resistit. Capellani etiam festa denuntient, sed neque panem faciant neque aquam benedictam. Item parvuli baptizentur in domibus cum chrismate & unctione, & cum omni debita solemnitate. Et conveniant omnes Archidiaconi & Decani in die cœnæ sicut consueverant, & ibi eis dicetur quid eos oporteat facere: vetus autem chrisma ubique reservetur. Habeant autem parochiani vas commune ad baptizandum pueros, quod possit deferri per domos: aqua autem baptismatis honeste reponatur, & vas honeste custodiatur. Quicumque confessionem petierit, habeat quandocumque voluerit, & legitimum testimonium faciat, & omni sollemnitate; sed sine eucharistia, & sine extrema unctione. Corpora defunctorum tam clericorum quam laicorum ponantur ubi amici eorum voluerint extra cimiterium, præcipue ubi transeuntes possunt commoveri, ita quod nullus Sacerdos in sepultura laicorum præsens sit. Sed corpore jacente in domo, poterit Sacerdos, sed sine cruce & sine aqua benedicta, facere privatim commendationem animæ. Clerici defuncti bene possunt reponi in truncis signatis, vel plumbeis vasis super arbores cimiterii, vel super murum. Et corpora religiosorum ponantur infra septa sua, terra cimiterii non aperta. Item altaria denudentur in ecclesiis. Mulieres autem ad purificationem non admittantur. Sponsalia & ma-

M 2

trimonia non contrahantur. Ubicumque videbitis vel audieritis violentiam factam in rebus ecclesiasticis, statim faciatis damnum appretiari & commendari scripto, & nomina eorum malefactorum redigatis in scriptum, & ipsos publice denuncietis excommunicatos. Qui si pœnituerint ad Episcopum mittantur. Magistri scholarum, si à laicis permittantur, recipiantur honorifice, legant & doceant. Illis autem qui potuerint recipere corpus Domini, quibus denunciatum est ut reciperent, & contemserint; non licet comedere carnes sine consilio episcopi vel alicujus auctenticæ personæ in die Paschæ nec deinceps. Hoc autem eis publice denuntietis sine districtione tamen. Teneantur à Decanis capitula, & extirpentur crimina tam clericorum quam laicorum in quantum fieri poterit. Poterunt autem puniri per excommunicationem. Capitula autem in cimiteriis in domibus Sacerdotum & non in ipsa ecclesia teneantur. Omnes vero Episcopi Angliæ solemniter excommunicabunt, excepta persona Domini Regis, & Reginæ, & persona justiciarii Domini Regis, quicumque miserint violentam manum in ecclesias, vel in possessiones clericorum, vel catalla eorum, & quicumque invitis clericis aliquid de bonis eorum à raptoribus emerint, vel de domo malefactorum receperint, vel amoverint, vel asportaverint, vel ad custodiendum receperint, nisi de voluntate clericorum vel ad opus eorum. Hoc autem publice denuncient capellani quotiens prædicabunt. Corpus Domini sicubi residuum fuerit, reservetur honeste in ecclesia, donec dicatur quid inde fieri debeat, ita quod à nullo sumatur, nec à Sacerdote, nec ab alio. Clerici sua reponant in ecclesiis & cimiteriis, quæ ibi, Deo dante pacem, habebunt. Si dies Hospitaliorum evenerint, diligenter admoneant Sacerdotes populum, ut conveniat extra ecclesiam ad eorum prædicationem, & confraternitatem illam devotissime observent: ostia tamen ecclesiæ eis non aperiantur, nec aliquem in cimiterio sepelire permittantur; sed aliter quibus modis fieri poterit clerici eorum coadjutores existant, & eis ostendant Sacerdotes quod hoc interdictum Domini papæ est, cui nullus potest resistere. Ita generale & ita violentum est, quod

nullum privilegium, nulla permissio missarum vel aliarum libertatum potest observari. Nihilominus tamen eleemosynas & promissas parochiani teneantur persolvere, ne Deus ob duritiam illorum durius irascatur; & cum Deus pacem dederit ecclesiæ, tam vivis quam defunctis omnia recompensentur. Fugitivi etiam quicumque ad pacem ecclesiæ confugerint, cum omni diligentia in protectionem ecclesiæ admittantur. Benedictiones in prandiis & gratiarum actiones more solito licet facere. Valete.

EPISTOLA
MONACHORUM GRANDIMONTENSIUM
Ad Innocentium III. Papam.

De conversorum pravis moribus.

SAnctissimo Patri ac Domino I. Dei gratia universalis Ecclesiæ summo pontifici pauperes clerici Grandimontis cum omni reverentia salutem de tribulationibus compati miserorum.

Circa an. 1215.

Ad eum oportet in tribulationibus recurrere, qui potens est oppressos de tribulationibus liberare. Clamaverunt ad Dominum filii Israel de Ægypto, & Dominus exaudivit eos, suscitans eis principem qui liberavit eos de potestate Pharaonis & de domo pariter servitutis. Quid vero faciemus nos miseri, abjectiores omnibus, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt sub dira laicorum servitute constituti? Clamare non cessamus omnes & singuli, sed nihil proficimus, quia nullus intelligit clamorem nostrum: dolorem ostendimus, & nemo succurrit: quippe non est propheta in Israël: Moïses nobis mortuus est, nec reliquit successorem sibi, qui ejus opera imitetur. Josue namque noster non stat pro populo suo, fœdus pepigit eum alienigenis, & corruptus pecunia eorum, contra nos factus est advocatus. Non est princeps in populo suscitatus à Domino

qui liberet nos de manu laicali. Ipsi siquidem laici nos opprimunt ultra quam credi potest & affligunt & de die in diem suis astutiis suæ nos satagunt subjicere servituti. De servientibus facti sunt Domini ; magistri de discipulis, fratres de nuntiis, & divites de egenis. Nolunt corrigi, sed corrigere ; non doceri, sed docere. Volunt videri philosophi, cum sint omnino stolidi. Sapientes tamen sunt ut faciant mala : bona autem facere nesciunt, quia à Deo non sunt. Domos siquidem ordinis quibus præsident destruunt, instituta religionis violant, bona communia dissipant ; consanguineis, notis, & amicis sæcularibus ea nequiter erogantes : & sic Hebræos spoliant abutentes præcepto Domini, & Ægyptios ditant : & ideo de receptis & expensis juxta mandatum tuum, Domine, nolunt reddere rationem ; sed contradicunt dicentes quod curam habent temporalium de mandato tuo, & prout voluerint dispensabunt. Licet autem hæc fere intolerabilia sint omni habenti zelum Dei ; quædam tamen alia graviora restant, in quibus nos affligunt gravius & molestant : manus scilicet in nos injiciunt violentas, & minantur fundere cerebrum, si in aliquo eorum pravæ voluerimus resistere voluntati : cibos nostros coinquinant, ut sic nos perimant. Temporalia omnino sibi vendicant, & etiam spiritalia nihilominus usurpare præsumunt. Ad collationem enim pulsant, processiones ordinant, sanctuaria portant, & quod ita debeat fieri dicunt pariter & affirmant. Ipsi etiam nos accusant simul & judicant : & si forte aliquem illorum nos reprehendimus ; vel pro aliquo delicto imposuerimus ei judicium, quod in aliquo sit suæ voluntati contrarium ; & contradicet nobis aperte asserens se scire quo modo debeat judicari. Longum siquidem esset evolvere contumelias & opprobria, minas & verbera quæ passi sumus à falsis fratribus, & maxime in hoc anno. Sed fratres nostros viros boni testimonii, fideles & religiosos, præsentium portitores ad te, Pater Sancte, transmittimus, qui de iis & aliis quæ brevitatis causa supprimimus plenius certificare te poterunt ; quibus fideliter & indubitanter credere poteris, tamquam expertis, propriis in personis. Sanctitatis tuæ igitur pedibus obvoluti rogamus suppliciter

& devote quatenus, si qua sunt tibi viscera pietatis prædictorum fratrum nostrorum petitionibus quas de communi assensu partis nostræ tibi facturi sunt, pium auditum præbeas & effectum cœli impleas quod rogabunt. Spes enim nostra tu es ab ipsa promotione tua refugium nostrum & virtus, & venia, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. Eripe nos Domine de potestate barbarica & à servitute laicali in qua manemus diu, & nostris forsan peccatis exigentibus coacti pariter & inviti. Si enim nobis deficis; non est alius qui adjuvet, nec scimus alium apud quem post te credamus aliquem invenire recursum. Pone, Domine, finem causæ nostræ, quæ usque nunc determinata non fuit per aliquem plenarie nec decisa. Verum quia verba nimis prolixa sæpe sunt tædio; jam ideo cartulæ nostræ finem facimus nos servi tui humiles & despecti tentati supra modum & anxii. Tu autem, Domine, miserere nostri.

INNOCENTII PAPÆ III. EPISTOLA Ad Robertum de Corchon Cardinalem.

Arguit ipsum quod Conversis Grandimontensibus plus æquo faveat.

INNOCENTIUS III. Magistro R. de Corchon presbytero cardinali Apostolicæ Sedis legato. an. 1215.

De tua prudentia mirari cogimur & moveri, quod cum aliis debeas esse vivendi forma, & religionis & honestatis exemplar; tu sicut ex tuarum rescriptis perpendimus litterarum, materia dissensionis & scandali dignosceris esse factus. Nam cum conversi Grandis-montis jamdudum calcaneum suum erexerint contra priorem & clericos loci ejusdem, tu conversos ipsos, ut majoris elationis cornua assumerent, & in fastuosam mentem ascenderent superbiæ grandioris, ipsos protinus, cum fuisti legationis tuæ fines ingressus, sub tua protectione suscipiens, inhibuisti præfato priori, ne quid

contra ſtatum fratrum ordinis permutare modo quolibet attentaret; mandans tam archiepiſcopis, quam epiſcopis ceteriſque eccleſiarum prælatis, ac univerſis Chriſti fidelibus, ut contra ipſum priorem ipſos fideliter tuerentur, moleſtatores & contradicentes eorum excommunicationis ſententia compeſcendo. Priori etiam eidem inſuper præcepiſti, ut ipſe qui juxta ſui ordinis ſtatuta non audet exire ambitum domus ſuæ, in feſto S. Hilarii ubicumque te fore contingeret, accederet ſufficienter in tua præſentia reſponſurus. Sic quoque ſuum ordinem infringendo, ipſum non citatum, non convictum, non confeſſum, nec alicujus cognita culpa contra juſtitiam ab executione ſui ordinis ſuſpendiſti, criminando contra ipſum totius ordinis diſciplinam. Cumque idem prior tuum animum contra ſe indebite commotum attendens, ac merito pejora formidans, ſe ac ſtatum ſuum apoſtolicæ protectioni ſupponens, contra te ad noſtram audientiam appellaret, ac excommunicaſſet, poſtmodum G. de Bruis, & G. de Marzac, ac quoſdam alios ordinis ſui converſos, qui citati tertio coram ipſo comparere, de pecunia quadam à ſua domo ſubtracta, & aliis pluribus exceſſibus reſponſuri, contumaciter contempſerunt, aliis in locis ipſorum juxta ordinis ſtatuta in curatorum officio ſubſtitutis, ac facto ſuo à dioceſano epiſcopo roborato & noſtræ protectioni ſubmiſſo, tu contra ipſum gravius es commotus, & appellatione ipſius contemta, quam decreviſti per tuæ voluntatis arbitrium nullam eſſe, ipſum ab omni adminiſtratione à te ſuſpenſum præcepiſti publice vitari; mandans univerſis ipſius ordinis fratribus tam clericis quam laicis, ut priori prædicto in nullo penitus obedirent, ac ad mandatum ejuſdem circa curioſos & converſos non crederent aliquid immutandum, quibus debitam & ſolitam reverentiam exhiberi mandaſti, propter quod curioſi & converſi quos excommunicaverat idem prior, ſicut accepimus, in tantam veſaniam prorupperunt, quod à pleriſque domibus fratres ſubſtitutos ab ipſis verberibus & vulneribus afflictos crudeliter ejecerint, ipſos per violentiam detinentes. Quid ergo dicemus ad hæc? cum in te aperte quodammodo confundamur, cum audimus

mus te talia operari, quæ numquam audire putavimus, & quæ aliquis idiota agere penitus formidaret. Quis enim te constituit judicem super appellationibus nostris, ut eisdem contemtis, sic temere de ipsis judicares? Quis umquam sapiens & discretus auderet in tantum virum post appellationem ad nos legitime interpositam tam præcipitem suspensionis sententiam fulminare? recalcitrantes conversos auctoritate sua subducens ab obedientia prælatorum. Nonne Dominus qui omnia novit antequam fiant descendisse legitur, ut videret utrum Sodomitæ clamorem, qui de perversis eorum actibus ad ipsum ascenderat, opere complevissent? Exemplo suo nos instruens, ne facile causa incognita ad temeraria judicia procedamus. Nonne sapiens ille Job & Dei familiaris amicus causam quam nesciebat, investigare se diligentissime fatebatur. Nonne ipse Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Scribis & Pharisæis servare voluit sua jura, populum ab ipsorum obedientia non subducens, sed eis præcipiens, ut quæcumque præciperent observarent, ac insuper decem leprosis injungens, ut Sacerdotibus ostenderent se mundatos, ipsis munus quod in lege præceptum est offerendo. Quantumcumquelibet tibi deferre velimus, ne tamen propter hanc causam religio illius ordinis dissolvatur; & percusso vel suspenso pastore, oves penitus dispergantur, & totus grex in præceps miserabiliter simul ruat: Suspensionem illam; utpote post appellationem ad nos legitime interpositam latam in prædictum priorem, & sicut attentasti indebite contra ipsum, auctoritate præsentium decrevimus non valere, tibi districtius inhibentes, quatenus cavens de cetero à consimilibus diligenter, non attentes in dictum priorem gravare ulterius manus tuas, vel fovere aliquos conversos ipsius ordinis contra ipsum. Nos enim præcipimus & de novo mandamus Venerabili fratri nostro Bituricensi archiepiscopo & conjudicibus suis, ut quod super præmissis contra dictos Conversos à priore prædicto regulariter actum esse dignoscitur, vel de cetero provide duxerit faciendum, auctoritate nostra faciant, appellatione remota, firmiter observari: contradicentes & rebelles, si qui fue-

rint, per censuram ecclesiasticam compescentes. Quia vero qui audit increpationes libenter possessor cordis existit, gaudere debes, quod super iis te duximus arguendum, cum in hoc reprehensibilis esse proberis. Sic enim dum virgæ non parcimus, tuum profectum in Domino diligere comprobamur, eo quod pater filium quem diligit corrigit, & Deus quos amat arguit & castigat. Vellemus enim quod de te dicere possemus, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: ad quod obtinendum cum Dei adjutorio debes totis viribus laborare, ut cum exultatione ad nos rediens manipulos tuos portes nulla ambustos uredine vel nociva nebula obfuscatos. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Martii Pontificatus nostri anno XVII.

EPISTOLA
LUDOVICI VIII. REGIS FRANCORUM Ad Romanum Sedis Apostolicæ Legatum.

Ne fraudes in persolvendis debitis fieri patiatur.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum Rex carissimo & speciali amico suo ROMANO S. Angeli Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, Salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Ad vestram notitiam pervenire (credimus) quod in quibusdam regni nostri partibus usque adeo quorumdam excrevit malitia, quod cum sub sacramenti vel fidei religione ad certum terminum suis sint creditoribus obligati: paulo ante terminum coram judicibus delegatis à vobis seu ordinariis suos conveniunt creditores, liberatione petita pro eo quod asserant contractus, quibus obligentur, continere usuras. Unde contingit interdum quod creditores per hujusmodi fraudem creditum suum amittere compellantur, & quandoque eis invitis differtur solutio in termi-

num longiorem. Proinde dilectionem vestram rogamus, quatenus per vestras dignemini litteras prohibere, ne qui judices ordinarii seu delegati à vobis quemlibet audiant contra fidem præstitam vel sacramentum proprium vincentem, sed potius debitores ad observandum juramentum auctoritate vestra compellant, & postea si quas actiones adversus creditores suos se habere confidunt, eis secundum juris ordinem liceat experiri. Meminimus enim vos super hoc ipso scripsisse Domino Papæ ad petitionem nostram.

ROMANI LEGATI EPISTOLA Ad R. Archidiaconum Bajocensem.

Ut procurationes non exigat à priore de Tortavalle.

ROMANUS miseratione divina S. Angeli Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, dilecto in Christo R. Archidiacono Bajocensi Salutem in Domino.

Cum sicut accepimus in prioratu de Tortavalle Bajocensis dioecesis archiepiscopi vel episcopi procurationes aliquas non consueverint aliquando percipere vel habere, nolentes quod ex facto nostro eis in posterum aliquod præjudicium generetur, discretioni vestræ, auctoritate qua fungimur, mandamus, quatenus, si est ita, ab ipso prioratu nomine procurationis nostræ nihil exigas vel requiras: & si forte propter hoc contra ipsum in aliquo est processum, auctoritate nostra studeas revocare. Datum Abrincis anno Domini MCCXXVI.

GARINI EPISCOPI SYLVANECTENSIS DECRETUM DE JUDÆIS.

an. 1225.

IN scacario de termino Paschæ MCCXXV. præceptum fuit à Domino Sylvanectensi episcopo quod Judæis non respondeatur per cartam confectam tempore retroacto

ante quatuor annos elapsos ante prædictum scacarium, nisi carta cognita fuerit. Si vero carta negata fuerit, & dicatur à christiano quod Judæis cartam illam non monstraverit, vel inde querimoniam fecerit, non in assisia, quæ recordationem habet, vel coram baillivo se tertio militum per institutionem Domini Regis fiat recordatio, & si recordatum fuerit quod Judæis cartam illam monstraverit, vel exinde querimoniam fecerit; tunc ei per cartam respondebitur. Si vero non fuerit recordatum; tunc ei non respondeatur.

S. LUDOVICI DECRETUM De Judæis.

ANno Domini MCCXXXIV. hoc institutum est à Ludovico filio regis Ludovici. Sciendum est quod Dominus rex Francorum pro salute animæ suæ, & animæ patris sui, & omnium antecessorum suorum, quietavit omnibus Christianis, qui debebant Judæis, quando ultimo capti fuerunt, & debita fuerunt irrotulata, tertiam partem totius debiti quod debebant Judæis: ita videlicet quod tertia pars redderetur illis, qui totum persolverunt; & illis qui adhuc debent, tertia pars quietata erit, & de duabus partibus remanentibus habebunt terminum, videlicet de prima medietate usque ad instans festum omnium sanctorum, & de alia medietate usque ad purificationem proxime sequentem. Præceptum est etiam districte omnibus Baillivis, ne corpora Christianorum capiantur pro debito Judæorum, & quod Christiani non cogantur pro hoc ad vendendum hæreditates suas. Præceptum est autem quod Judæi nullum vadium accipiant, nisi per testimonium bonorum hominum & fide dignorum; quia si aliqua vadia penes ipsos inventa fuerint, de quibus bonam garanticationem non habuerint; catallum suum amittent, & per jus tamquam Christiani deducentur. Præceptum est etiam Baillivis quod ipsi nihil capere præsumant pro supradicti

fideliter adimplendis, ſicut carum habent Dominum Regem, & ſicut diligunt corpora ſua, terras, & omnia mobilia ſua. Valete.

Aliud de Judæis ſtatutum edidit S. Ludovicus anno 1230 vulgatum à Cheſnio Hiſt. Franc. tom. 5. aliud antea Philippus auguſtus Spicilegii Dacheriani tomo 6. cujus ex noſtro MS. hic lectiones variantes accipe.

Edit. pag. 471.	MS
Linea 4. In antea mutuo tradet	In anno mutuo tradat
Lin. 6. Sutor, carpentarius	Sutor, pelliparius, carpentarius
Lin. 8. niſi propriis manibus	niſi propriis manibus laborent
ibid. curret	currat.
Lin. 9 lucrabitur	lucretur
Pag. 472 lin. 1. Capituli	capitanei
Lin. 7. accipiet.	capiat
Lin. 13 aſſignamentum	*deeſt*
Lin. 24 coram ſe	Ut veniant coram ſe
Lin. 36 aut culturæ	nec culcitra

HONORII PAPÆ III.
Ad Epiſcopos Galliæ.

Petit ab eis unam præbendam in ſingulis eccleſiis Cathedralibus & collegiatis.

HOnorius &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopis epiſcopis & dilectis filiis univerſis eccleſiarum prælatis per regnum Franciæ conſtitutis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. an. 1225.

Super muros Jeruſalem cuſtodes poſiti, quanto eminentiorem ſpeculam dignitatis attendimus, tanto in eminentiori debito ſollicitamur officii, ut vigilanti cuſtodia nobis & aliis vigilemus, nobis quoque per meritum, aliis per exemplum, quatenus in conſpectu Altiſſimi conſcientiæ puritas conſervetur, & in facie propriæ famæ integritas non lædatur. Multum enim cedit ad commodum, ut & conſcientiam fama non deſerat, & famam conſcientia contemni non exponat. Sed potius mutuis promoveantur ſuffragiis & mutuis ſibi promotionibus ſuffragentur: propter quod in veſtibus Aaron mala punica cum tintinnabulis depende-

bant. Porro dum attendimus, quid onus honoris exposcat, quid sarcina dignitatum desideret, multa nos cura sollicitat, multæ nos sollicitudinis urgemur instantia, qualiter Deo satisfaciamus & homini, & si non ut volumus & debemus, saltem pro ut permittimur & valemus. Sane multos multotiens & audivimus & vidimus murmurantes propter expensas, quas venientes ad Sedem Apostolicam faciebant. Scimus autem quid ex talibus inferebat præsumtio detractorum: quid labia dolosa, quid lingua magniloqua præsumebant, cum nonnulli sermones in publico monstrantes, & mittentes periculosius jacula in occulto, Romanam niterentur mordere ecclesiam, parati non solum ea quæ vigor justitiæ, sed etiam quæ judicium æquitatis, nec non benignitatis gratia consummabat suis loquutionibus depravare, præsertim apud eos, qui aures prurientes habebant & graves & erectas ad malum. Illos quoque in talibus frequenter experti sumus ostendere, qui missi procurare negotia, dum ea quæ illis ad necessarias deputabantur expensas, suis voluptatibus applicabant, ad miserabile subsidium mendatii recurrentes, alienis moribus impingebant quod proprie defraudaverant. Quia vero in iis contra Sedem Apostolicam detractionis obrepebat occasio; & ecclesiis, & ecclesiarum prælatis, nec non & aliis videbatur imminere gravamen; cum fratribus nostris diligenter curavimus habere tractatum, quo studio, qua cautela, secundum Deum & hominem inveniremus in talibus salubrem provisionis effectum: & tandem, prout Domino placuit, communi & unanimi deliberatione consilii rem non novam, nec inexcogitatam à prædecessoribus nostris sumus aggressi, volentes quod illi salubri consilio providerent efficaci opere consummare, videlicet ut ad opus Sedis Apostolicæ in singulis cathedralibus ecclesiis & aliis præbendalibus singulæ præbendæ reserventur, & interim donec id fiat competentes in eis redditus assignentur. In monasteriis vero, & ceteris domibus regularibus, ac aliis collegiatis ecclesiis, nec non de bonis episcoporum secundum facultates suas constituantur certi reditus præbendas æquantes quorum proventus in commune recepti tam in

nostras quam fratrum nostrorum necessitates, capellanorum, nec non cancellariæ, ostiariorum, aliorumque Sedis Apostolicæ officialium convertantur; ut sic & provideantur nostris in vitæ necessariis & gratis omnibus omnia pro quibuscumque venientibus negotiis ministrentur, nec sit qui per se, vel per alium, expresse, vel tacite, aliquid exigat, vel etiam sponte oblata recipiat præter villæ redditum consuetum. Quod si quis Gieziacus tantæ cupiditati animam audebit exponere, tantæ pœnæ duritiæ subjacebit, quod præter publicæ confusionis opprobrium, culpam in pœna cognoscet. Quis igitur frater gratiæ, quis devotionis filius, quis sponsi & sponsæ dilectus, ad hujusmodi statum ecclesiæ consilio & auxilio non assurget? An non licet, non decet, non expedit, ut sic filiæ dextram porrigant ad subsidia matris, quæ occupationibus multis & magnis involvitur pro necessitatibus filiorum? Nonne id quam plures ecclesiarum prælati magnique testimonii viri tempore generalis concilii sua dabant? Nonne ad id toto videbantur desiderio aspirare? Tunc tamen Sedes Apostolica distulit, ne videretur ad hoc concilium evocasse. Ne igitur tam pii, tam sancti propositi consummatio retardetur, per quod crescere poterit decor ecclesiæ Dei, multaque subtrahi occasio detrahendi; universitatem vestram monemus, rogamus, & exhortamur in Domino per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus ad exsecutionem provisionis hujusmodi tam in cathedralibus, quam in aliis ecclesiis, ut dictum est, impendentes sic opere ut operam efficacem, quod interprete facto monstretur quantum domus Dei vos decor alliciat, quantum sponsi & sponsæ amor accendat, quantum multorum relevatio moneat, quantumque utilitas generalis inducat. Ceterum cum ad relevanda ecclesiarum onera & gravamina prælatorum, pro ut possumus, intendamus; de præbendis clericis Romanis vel aliis à Sede Apostolica concessa duximus providendum, ut postquam fuerint supradicta completa, cum eos vacare contigerit, ad proprias ecclesias revertantur, ne si successive conferantur extraneis, sicut aliquando consuevit, filiis ecclesiarum, qui continuo servitio resident, redderentur inuti-

les, & voluntate quodammodo fierent alienæ. Datum Lateranis V. Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno nono.

VVILLELMI ABRINCENSIS EPISCOPI Ad R. Abbatem S. Michaelis in periculo maris.

Significat ei mandatum Romani legati, quo excommunicat omnes regno & regi Franciæ adversus Albigenses cruce signato molestiam inferentes, eique decimam bonorum ecclesiasticorum concedit.

VILLELMUS Dei gratia Abrincensis episcopus dilecto in Christo viro religioso & honesto R. Abbati Montis S. Michaelis de periculo maris salutem in Domino.

Mandatum Domini Legati per venerabilem patrem nostrum Dominum Th. Rothomagensem archiepiscopum recepimus in hunc modum. Th. Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus venerabili fratri VV. eadem gratia Abrincensi episcopo salutem, gratiam & benedictionem. Noverit Fraternitas vestra quod nos litteras Domini Legati nuper recepimus in hæc verba: Venerabili in Christo Patri Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo ROMANUS eadem gratia S. Angeli Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis legatus salutem & sinceram in Domino caritatem. Rex Regum & Dominus dominantium Jesus Christus, qui se cum ecclesia sua promisit usque ad finem sæculi permansurum, nec permissurum quod adversus eam mortis portæ prævaleant, nolens eamdem in fluctuum turbationem deficere: in cujus manu sunt omnium corda regum, & quo voluerit vertit illa; diebus istis ad revelationem ejusdem, quæ miserabiliter peccatis nostris exigentibus erat ab inimicis pacis & fidei depressa, mirabiliter operando. Regis Franciæ illustris cordi ratione suæ gratiæ ex alto infudit, quod divina gratia faciente, negotium pacis & fidei contra

hæreticos

hæreticos terræ Albigensis in se assumens, ad honorem Dei & ecclesiæ, crucis vivificæ à nobis est caractere insignitus ad purgandam terram illam ab hæretica pravitate, & ad revelationem in illius partibus ecclesiæ Dei quæ jam esse submersa penitus videbatur; cum quo plures archiepiscopi, episcopi, comites, & barones, & magnates regni Franciæ crucis similiter assumserunt (insignia), propter quod eumdem regem, familiam suam, & regnum suum, & omnes qui in hoc negotio ibunt, & personaliter laborabunt, in ecclesiæ protectione suscepimus quandiu fuerint in servitio Jesu Christi. Excommunicamus & excommunicatum denunciamus R. filium R. quondam comitis Tolosani, fautores, complices suos, & omnes, qui consilium & auxilium eidem dederint contra ecclesiam Dei, & fidem christianam, & contra Regem Franciæ, qui pro eadem defendenda laborat. Item excommunicamus omnes illos, qui guerreabunt vel invadent regnum Franciæ, sive sint de regno, sive de extra regnum; statuentes ut à sententia excommunicationis nullatenus absolvantur, donec de damnis & injuriis dicto regi & suis satisfecerint competenter, & egrediantur regnum illi guerreatores vel invasores, qui sunt de extra regnum. Item excommunicamus omnes illos, qui sunt de regno Franciæ, qui inter se guerram moverint, nec trengam vel pacem fecerint ad mandatum dicti regis. Quia vero regnum magnum est, & magnos sumtus exigit & expensas, promisimus, sacro approbante concilio Bituricis congregato, eidem Regi dare decimam omnium proventuum ecclesiasticorum legationis nostræ, usque ad quinquennium, si negotium tantum duraverit, deductis expensis illis, quæ proveniunt ex cultura vinearum & agrorum. Decimam autem illam prælati non solvent, nec clerici de familia sua, qui personaliter in hoc negotio laborabunt, nec alii quos nos & rex prædictus elegerimus ad personaliter laborandum in negotio supradicto. Fiet autem solutio decimæ duobus terminis per annum, videlicet in festo Omnium sanctorum & in Pascha: & incipiet prima solutio in instanti festo Omnium sanctorum. Quocirca paternitatem vestram rogamus & monemus attentius,

qua fungimur auctoritate mandantes, quatenus excommunicationis sententias prædictas per vestram provinciam denominari publice facientes, verbum crucis per personas discretas & litteratas, nec ecclesiis onerosas in eadem prædicari faciatis. Concedentes illis catholicis, qui crucis assumto caractere ad exterminium eorumdem supra hæreticorum se accinxerint, & in personis propriis laboraverint, & expensas (contulerint) nec non & illis, qui in personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis juxta facultatem & quantitatem suam viros idoneos demonstraverint; ut illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, ut illa gaudeant libertate, illoque privilegio sint muniti, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur. Hujus quoque remissionis denunciantes esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, qui ad subventionem prædicti negotii Jesu Christi de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint optimum. Monemus etiam discretionem vestram & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus suffraganeos vestros ad hujusmodi Christi obsequium invitetis, ut signum crucis tam vos quam episcopi accipiatis pro amore illius, qui pro vobis sanguinem suum fudit. Sic enim studeatis in hoc opere sollicitius vigilare, quod proximos ipse caritatis vestræ ardor accendat, vosque præter bonæ famæ mercedem æternum possitis præmium à Domino expectare. Scientes quod præfatus rex ad mensem post festum Resurrectionis Dominicæ proximum erit Bituris personaliter cum exercitu suo, concedente (Deo,) profecturus viriliter & prudenter contra hæreticos supradictos, nosque similiter tunc ibidem personaliter erimus cum eodem. Datum Parisius nonis Februarii. Hujus igitur Mandati auctoritate vobis mandamus quatenus prædictas sententias excommucationis per vestram Diocesim denunciari publice faciatis, verbum crucis in eadem per personas discretas, litteratas, & ecclesiis non onerosas prædicari faciatis, & exponi libertatem & privilegium, quæ eis, qui crucem contra hæreticos assumserint, conceduntur; fraternitatem vestram in

Domino nihilominus exhortantes, quatenus crucem ad prædicti negotii subsidium salubriter assumatis pro amore illius, qui in crucis angustia nos redemit, ut vestræ devotionis exemplo ad prædicti negotii succursum subditi nostri facilius inducantur. Datum anno gratiæ MCCXXV. Dominica qua cantatur *Circumdederunt me*. Hujus itaque mandati vobis auctoritate mandamus, quatenus per Decanatum Abrincatino juxta formam ipsius mandati verbum crucis prædicantes, nec non & prædictas excommunicationis sententias publice denunciantes, fideles Christi ad sumendum crucis signaculum invitetis. Datum die festo S. Gregorii anno gratiæ prædicto apud Abrincas. Valete.

VVILLELMI ABRINCENSIS EPISCOPI.

Jubet perturbatores ecclesiasticæ pacis excommunicari.

VEnerabili in Christo &c. Affectio specialis, quam semper habuimus ad ecclesiam Gallicanam, dolorum nobis aculeos subministrat, dum nonnullos consideramus in ipsa, qui inter nobiliora membra ipsius ecclesiæ censebantur, ad illius innobilitatis devenisse miseriam, ut propriæ malignitatis excæcati caligine, fidem pro cujus tuitione seipsos exponere debuerant, modis quibus possunt impugnent: vias sequentes erroneas atque vagas, quæ ipsos in errorum & confusionum pertrahunt labyrinthum. Dolendum quippe est in eis refriguisse taliter caritatem, sicque induratum esse insipiens cor eorum, ut à suo non possint retrahi errore, in concepta malitia de die in diem pertinaciter debaccantes: cumque ipsis improperantur hujusmodi, ad sui deffensionem errores in pietatem pallian tes, sub nomine pietatis velamen malitiæ libertatem impendunt. Dicunt enim se pro suarum ecclesiarum libertate pugnare, servitutem sibi æstimantes inflictam, si eos quandoque oporteat in prosecutionem negotii Domini nostri Jesu Christi de proprio ipsius patrimonio, quod suo sanguine acquisi-

an. 1227.

vit partem vel modicam erogare, cum potius deberent advertere, quod Deo servire regnare est; & ei obsequium impendere, non est servitus, sed libertas. Ad suæ quoque perversitatis augmentum, sicut nuper pro certo intelleximus, propria malitia non contenti, alios per conjuratores & conspiratores alliciunt, & astringunt juramentis, litteris, vel cartis, seu promissionibus interpositis contra leges publicas, & sacrorum canonum instituta, in perturbationem seu potius detractionem negotii pacis & fidei, quod est propriæ propitiationis Jesu Christi: non attendentes quod in rebus etiam licitis sint conjurationes inhibitæ per constitutiones canonicas & civiles, & ea sola dici debeant congrua & accepta, quæ non cartulæ conscriptæ & conjuratæ, sed solo caritatis glutino colligantur. Licet autem turbatores negotii pacis & fidei & hæreticornm fautores tam per generale concilium, quam per Summum Pontificem & nos etiam sint excommunicationis vinculo innodati, ut tamen dictorum perversorum malitiis obviemus, omnes illos, qui ut præmissum est, conjuratores, colligatores, conspiratores, fautores, seu frateas, interpositis juramentis, litteris, sive cartis, seu aliis promissionibus composuerunt, immo etiam consentientes eisdem cum per ipsos negotium pacis & fidei perturbetur, excommunicamus, processuri modis omnibus quibus decuerit tam per Dominum Papam, quam per nos dum ista detecta fuerint, ad alias pœnas contra ipsos per canones promulgatas. Ne igitur aliqui circa hæc per ignorantiam valeant se tueri, paternitati vestræ auctoritate qua fungimur, districte in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, ut dictam excommunicationis sententiam tam in capitulo Abrincensi quam in aliis ecclesiis nostræ diœcesis publicetis, & faciatis per bonos viros ad hoc idoneos sollemniter publicari. Qualiter autem super his processeritis, nobis per litteras intimetis. Datum apud Recol. V. calendas Augusti anno Domini MCCXXVII.

GREGORII PAPÆ IX.
Ad M. Cenomanensem episcopum, & magistros de la Vale, & R. de Danfront canonicos.

Mandat confirmari sententiam excommunicationis in ducem Britanniæ & interdicti in terras ejus latam. Et si non resipuerit vasallos ejus ab obedientia illi debita absolvi.

GREGORIUS episcopus Servus servorum Dei venerabili fratri M. episcopo, & Magistris de la Vale, & R. de Danfront canonicis Cenomanensibus Salutem & Apostolicam Benedictionem.

an. 1228.

Si nobilis vir comes Britanniæ potentiam recognosceret à Domino sæculorum, studeret utique ipsam in ejus beneplacitis exercere, diligendo justitiam, quæ diligit diligentes se, & sectando quæ ad omnia valet pietatem. Sed quod dolentes referimus, gratiæ gratis ingratus, quasi de industria recessit à Deo, nec attendens quod sit malum & amarum Dominum reliquisse, nec ejus apud ipsum esse timorem, cor suum contra ipsum pertinaciter elevavit, & spiritu ad superbiam obfirmato, se contra omnipotentem patenter erexit, eique manifeste rebellans, non solum tetendit contra eum damnabiliter manum suam, verum etiam alios ad rebellandum iniquis conjurationibus sibi colligans animavit. Cum enim sciat vel scire debeat, quod unica Christi sponsa cum sponso unum est corpus, nec alteri sine altero injuria vel molestia valeat irrogari: dictus Comes, ut sponsam provocet ecclesiam liberam utique, ut pote sanguine Christi redemtam, nititur de terra sua damnabiliter ancillare, non attendens quod non est dignus cum filiis liberæ testamento patris heres adscribi, qui matrem gestit subjicere servituti. Alias quasi filius degenerans in privignum, matrem multipliciter tribulat & affligit. Præcisos si quidem ab ecclesiæ corpore per excommunicationis sen-

tentiam sibi quasi gratanter incorporans, non solum eis gratanter communicat; sed alios excommunicare compellit, quia in curia sua illos ad agendum admittit, nec patitur ut eis excommunicationis sententia opponatur. Quin etiam quemcumque in excommunicatione perderent, monitus ab ecclesia redire ad unitatem ecclesiæ compellere, parvipendit, nec à baillivis vel subditis suis compelli permittit. Et sic contemtis ecclesiæ clavibus, enervatur in partibus illis vigor ecclesiasticæ disciplinæ in enorme dispendium fidei & grave scandalum ecclesiæ generalis. Cum autem venerabiles fratres nostri Redonensis, Macloviensis, Dolensis, Briocensis, & Trecorensis episcopi, proinde attendentes quod si non annunciarent impietatem suam impio; ille quidem in impietate sua moreretur; sanguis autem ejus requireretur de manu eorumdem; ipsum monuerunt diligenter, ut ad ecclesiæ rediens unitatem, ab hujusmodi ejus præsumtionibus abstineret: ille renuens accipere disciplinam, eligensque perire potius quam parere, non solum monitis nullatenus acquievit; sed exinde gravius indignatus novas nocendi maneries adinvenit. Ut enim alios in errorem suum alliceret multos complices, cum baronibus & aliis militibus apud Rothenense monasterium colloquium celebravit, multis inique suggessit, quod ecclesia gravabat eumdem, excommunicans fere ne faveat prohibendo, astruens quoque fallaciter omnes laicos ab ecclesia multipliciter aggravari & specialiter in tertia parte judicii defunctorum, nec non in decimis subtrahendis de manibus laicorum, sophisticum impium & nequissimum juramentum præstitit, & recepit ab eis, quod servabunt sessivas suas, nec de cetero ecclesiasticorum soprisas tolerabunt: ut sic sub velamento justitiæ quod de bonis ecclesiasticorum habent, inique retinerent, & qui tenentur reddere, non persolvant. Conjuratores autem hujusmodi se reputant obligatos ad excommunicatos minime devitandos, nec compellendos quantocumque tempore in excommunicatione perstiterint, indurati & ad tertiam partem judicii defunctorum ecclesiis parochialibus non reddendam, laudabilem consuetudinem pietate fidelium nequiter infringen-

do, & ad alia multa teneri se credunt quæ vergunt in periculum animarum. Baillivi vero & senescalli comitis supradicti juramentum prænotatum à militibus & aliis hominibus ejus, qui apud Rothonense monasterium non convenerant, extorquentes, eos expresse ad prædictos articulos obligarunt. Quare prædicti episcopi nolentes, sicut nec debebant, tantam nequitiam contra Deum & ecclesiam concinnatam æquanimiter comportare, in omnes illos, qui præstiterant vel præstarent hujusmodi sacramentum, seu præstitutum in ecclesiarum præjudicium observarent, generalem excommunicationis sententiam pertulerunt: excommunicantes nihilominus comitem nominatum pro eo quod quasi contemnens claves ecclesiæ*, excommunicatos non solum non vitat, sed nec evitari permittit, eos passim ad agendum & ad alios actus admittendo compellit ut tenetur, vel compelli permittit redire ad ecclesiæ unitatem. Licet prædictus Redonensis episcopus in personam ejusdem comitis excommunicationis & interdicti in terram, quam tenet de Demanio in diœcesi Redonensi, sententias promulgasset, pro damnis & injustitiis, quas sibi & Capitulo Redonensi super hominibus & possessionibus suis temere irrogarat: propter quod etiam idem episcopus ad vos nostras litteras impetravit, ut easdem sententias facientes firmitus observari, illos, qui eidem comiti faverent in crimine, censura percellatis eadem: nec permittentur prædictos episcopum & Capitulum ab eodem comite vel fautoribus suis temere molestari: molestatores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo: contestaturi nihilominus quod nisi comes ad cor rediens mala attentata celeriter revocaret, & Deo & hominibus satisfaceret competenter, nos absolveremus à fidelitate vasallos ipsius. Ceterum quamvis mandatum apostolicum fideliter exsequentes, sæpedictum comitem super hiis monueritis diligenter; ipse tamen nolens intelligere ut bene agat, non solum memoratis episcopis & Capitulo satisfacere, & alia revocare, quæ contra ecclesiam egerat, non curavit: verum etiam factus de protervo protervior, eosdem Redonensem, Briocensem, Trecorensem episcopos suis redditi-

bus ſpoliatos ab eccleſiis ſuis exſulare compellit, propter quod exſules ipſi in prædictum comitem excommunicationis ſententiam promulgantes, ſinguli diœceſes ſuas ſuppoſuerunt eccleſiaſtico interdicto. At dictus Comes percuſſus non dolens, immo malleum velut ſtipulam reputans, eccleſias & eccleſiaſticas perſonas odio proſequitur nequiori: quia ſi qui de terra ſua injuriantur eiſdem, quod frequentius & tutius faciunt, ſcientes ſe inde illi placere, non ſolum injuriam paſſis defenſionis auxilium denegat requiſitus: verum etiam faciens injuriantibus non patitur decimas trahi de manibus laicorum, nec permittit eos in foro eccleſiaſtico ſuper decimis conveniri: & pietatis inviſor terrarum eleemoſynas eccleſiis non ſuſtinet fieri conſuetas, eccleſias modis omnibus quibus poteſt evacuat & enervat. Clericorum autem parentes & alios conſanguineos, ſi laicos ſuper aliquibus injuriis auctoritate apoſtolica ſeu metropolitanica extra ſuam diœceſim trahunt in cauſam, comes & baillivi ejus capi faciunt, & à ſubditis ejus capi permittunt, & tandiu detineri captivos, donec renuntient quæſtioni: alias eccleſias, breviter, intolerabilibus cruciat injuriis & jacturis, ſicut nobis prædictorum epiſcoporum lacrymoſa querela & aliorum prælatorum fide dignorum ſolemnis inſinuatio patefecit. Cum igitur tanta ſævitia vel perfidia non ſit ulterius toleranda; cum etſi ex ſe minus ſit enormis; multo tamen propter exempli perniciem exiſtens enormior, facile poſſet in ſubverſionem fidei & eccleſiaſticæ libertatis exterminium redundare: Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictas & excommunicationis & interdicti ſententias ſolemniter publicantes, & facientes per partes publicari vicinas, renovetis eaſdem ſingulis Dominicis diebus & feſtivis, & faciatis auctoritate noſtra, ſubmoto appellationis obſtaculo uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari, totamque terram ejus, nec non loca ad quæ idem Comes pervenerit ſuperponentes eccleſiaſtico interdicto: ita quod ibi nullum divinum officium celebretur, præter pœnitentiam morientium & baptiſmata parvulorum, donec idem Comes ſuper præmiſſis omnibus ſatisfaciat competenter.

tenter. Prænotatum autem juramentum apud Rothonense monasterium celebratum, quod præsumtum illicite, licite servari non potest, mutantes, juratores ut id abjurent, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam compellatis. Clericos quoque in ejus servitio familiariter commorantes, ut ab ipso recedant, monitione præmissa, per subtractionem beneficiorum & excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogatis. Alios quoque complices & fautores, nisi moniti resipuerint, sententia simili percellatis. Quod si forte dictus Comes nec sic ad cor redierit, ut Deo, & ecclesiæ, & injuriam passis super præmissis omnibus intra quatuor menses postquam à vobis monitus fuerit, satisfactionem exhibeat competentem; vasallos & confœderatos ejus à fidelitatis & confœderationis ipsius juramentis penitus absolvatis. Quod si non omnes hiis exequendis potestis interesse: tu ea, frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Verum quia qui medicinalem Petri gladium non formidant, sæculari sunt gladio comprimendi, ne de sua malitia glorientur; Serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur attente, quatenus prudenter attendens, quod nisi præfatus comes in hujusmodi protervia confundatur, gravia inde pericula possent formidari, fidei zelo succensus & parentum tuorum exemplis inhærens, illum ut ad ecclesiæ redeat unitatem tradita tibi cœlitus potestate compellas, ita prosecuturus com....Christi, quod exinde propitiationem divinam uberius merearis, & nos sinceritatem tuam debeamus merito commendare. Datum Assisii IIII. Calendas Junii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ IX.
Ad Henricum Frederici imperatoris filium.

De quibusdam hæreticis Germaniæ.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro HENRICO, carissimi in Christo filii nostri FREDERICI Romanorum imperatoris, illustris

semper Augusti, Jerusalem & Siciliæ Regis filio Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Vox in Rama audita est, ploratus multus & ululatus, Rachel plorat, videlicet pia mater Ecclesia, filios quos diabolus mactat & perdit, quasi consolationem non recipit, quia filii more vipereo matris viscera lacerantes, ipsam interimere maluerunt. Nam multitudo dolorum urgentium, quibus ut parturiens mater ipsa circumdatur, vociferari eam, & dicere, ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, cum propheta compellit. Cum enim omnis creatura usque adhuc ingemiscat secundum Apostolum & parturiat; genitricis ecclesiæ sacer uterus viscerum suorum dolore turbatur, quæ feri singularis morsibus discerpuntur. Ille siquidem coluber tortuosus, quem, obstetricante manu Domini, de cavernis propriis, carnalibus scilicet hominum cordibus eductum legimus, & contra eos pugnat extrinsecus, in quibus extrinsecus jam non regnat, & quorum dominium intus perdidit; bella molitur foras, novam persecutionem ecclesiæ sponsæ Christi: immo verius sponso Christo per ministros suos operarios iniquitatis instaurat. Ipse enim qui à principio in veritate non stetit, sed mutare in mendacium nititur veritatem, ut latius suæ fraudis virus effundat, perdere pugnantes animas elaborat, ne fœtus fidei, quam ex amore divino conceperant, ad partum valeant consummati operis pervenire. Unde nos, qui causam tenemur fœcunditatis ejus habere, quasi secantis perfidiæ mucrone conscindimur, dum in suis visceribus hæreticorum scindentium ejus uterum venenatis sagittis novi erroris & confusionis appetimur inauditæ; totusque in amaritudine funditur spiritus: effusum est in terra jecur nostrum, turbata est anima nostra valde, ac impletus est doloribus venter noster. Defecerunt præ lacrymis oculi nostri, & super tam nefandis abominationibus contremuerunt renes, omnia viscera sunt commota: reprimere lacrymas & continere suspiria non valemus. Sicut enim litteræ venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Moguntini, & episcopi Hyldesensis, ac dilecti filii nostri

* Magistri Coraudi de Marburch, prædicatoris verbi Dei, grandi mœrore plenæ & immenso dolore non vacuæ nobis exhibitæ continebant, inter diversas hæresum species, quæ peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, una sicut detestabilior ceteris, sic & generalior universis, quæ non solum referentibus, sed etiam audientibus est horrori, in nobilibus menibris Ecclesiæ ac valde potentibus jam erupit. Hæc enim omni est dissona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, cœlestium omnium & terrestrium inimica, contra quam non solum homines ratione utentes, verum etiam ratione carentia, cum hæc pestis eorum excedat insaniam, immo & ipsa elementa debent insurgere & armari. Hujus pestis initia talia perferuntur. Nam dum novitius in ea quisquam recipitur, & prædictorum primitus scholas intrat; apparet ei quædam species ranæ, quam bufonem consueverunt aliqui nominare. Hanc quidam à posterioribus, & quidam in ore damnabiliter osculantes, linguam bestiæ infra ora sua recipiunt & salivam. Hæc apparet interdum indebita quantitate, & quandoque in modum anseris vel anatis: plerumque etiam furni quantitatem assumit. Deinde novitio procedenti occurrit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus & macer, quod consumtis carnibus sola cutis relicta videtur ossibus superducta. Hunc novitius osculatur, & sentit frigidum sicut glaciem; & post osculum catholicæ fidei memoria evanescit de ipsius corde totaliter. Ad convivium postmodum discumbentibus & surgentibus, completo ipso convivio, per quamdam statuam, quæ in scholis hujus esse solet, descendit retrorsum ad modum canis mediocris catus, niger, retorta cauda; quem à posterioribus primo novitius, post magister, deinde per ordinem singuli osculantur, qui tamen digni sunt & perfecti. Imperfecti vero qui se dignos non reputant, pacem recipiunt à magistro, & ceteris singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, ac versus catum capitibus inclinatis, per se nobis dicit magister & proximo, quis hæc præcipit? respondente ac dicente tertio, Summus Magister; quartus ait, & nos obedire debemus. Et his ita peractis

* De eo vide vitam S. Elizabeth Regis Hungarorum filiæ apud Surium 19. Nov.

extinguntur candelæ, & proceditur ad fœdissimum opus luxuriæ, nulla discretione habita inter extraneas & propinquas. Quod si forte virilis sexus supersunt aliqui ultra numerum mulierum, tamdiu in passiones ignominiæ in desideriis suis invicem exardentes masculi in masculos turpitudinem operantur. Similiter & fœminæ immutant naturalem usum in eum, qui est contra naturam, hoc ipsum inter se damnabiliter facientes. Completo vero tam nefandissimo scelere, & candelis iterum reaccensis, singulisque in suo ordine constitutis, de obscuro scholarum angulo, quo non carent perditissimi homines; quidam homo procedit à renibus sursum fulgens, & sole clarior, sicut dicunt, & deorsum insipidus sicut catus, cujus fulgor illuminat totum locum. Tunc magister excerpens quid de veste novitii, fulgido illi dicit, Magister hoc mihi datum do tibi. Illo fulgido respondente, bene mihi servivisti: pluries & melius servies, tuæ committo custodiæ quod dedisti. Et his dictis protinus evanescit. Corpus etiam Domini singulis annis in Pascha de manu recipiunt Sacerdotis, & illud ad domos suas ore portantes, in latrinam projiciunt in contumeliam Redemptoris. Ad hæc infelicissimi omnium miserorum gubernantem cœlestia pollutis labiis blasphemantes, asserunt delirando cœlorum Dominum violenter, contra justitiam, & dolose luciferum in inferos detrusisse. In hunc credunt etiam miseri, & ipsum affirmant cœlestium conditorem, & adhuc ad suam gloriam, præcipitato Domino, rediturum, per quem cum eodem & non ante ipsum se sperant æternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda quæ odit. Proh dolor quis umquam audivit talia? quis tam nefaria cogitare, quis tantam non poterit abominari perfidiam? quis tantæ perfidiæ poterit non irasci? quis contra hujus proditionis & perditionis filios poterit non accendi? Ubi zelus Moysi, qui una die idolatrarum viginti tria millia interfecit? Ubi est zelus Phinees, qui Judæum cum Madianitide uno pugione confodit? Ubi est zelus Eliæ, qui quadringentos quinquaginta prophetas ad torrentem Cison gladio interemit? Ubi est Mathatiæ zelus, cujus

furor secundum legis judicium adeo est accensus ut insiliens trucidaret Judæum immolantem idolis super aram? Ubi est auctoritas Petri, qui Ananiam & Saphiram pro eo quod Spiritui-sancto mentiri non timuerint exarsit? Certe si contra tales terra consurgeret, & iniquitates ipsorum cœli sydera revelarent, & manifestarent eorum scelera toti mundo, ut non solum homines, sed etiam ipsa elementa conjurarent in eorum excidium & ruinam, ipsosque delerent de terræ facie, non parcentes sexui vel ætati, ut essent cunctis gentibus in opprobrium sempiternum, ultio de ipsis sumi non posset sufficiens sive digna. Ceterum licet magna sit horum pestilentium contritio velut mare: Scientes tamen quod non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit, & excoquere ad purum scoriam eorumdem, & omne stannum auferre compatiendo ex intimo cordis super contritione eorum pervalida, ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum fasciis neglexerimus, & mansuetudinis oleo confovere: ac sperantes quoque ut ille, qui etiam iratus non desinit misereri, non semper continebit suæ pietatis viscera super eos; sed de illorum manu transfert calicem iræ suæ: circa correctionem illorum prævidimus laborandum. Quia vero in ore dictorum archiepiscopi, episcopi, & Magistri CORAUDI non est verbum Dei alligatum, qui in eo infundente gratiæ suæ imbrem, qui dat omnibus affluenter, potentes sunt opere ac sermone: ipsos rogandos, ac monendos duximus in Domino, ac hortandos, in remissionem eis peccaminum injungentes, ut sumant resinam ad mitigandum dolorem, & vulnera ipsorum sananda. Accedant angeli pacis ad exhibendam eorum plagæ medelam, & ad correctionem eorum diligenti sollicitudine ac sollicita diligentia elaborent. Quod si forte, ut ferrum per monitionem eorum extrahatur de vulnere, non fuerit desuper eis datum; & ipsorum computruerint adeo cicatrices, quod plaga ipsa quasi penitus desperata noluerint ad sinum matris ecclesiæ prona mente redire, tantam ac talem cautionem de conversione sua & perseverantia exponentes quod de recidivo ipsorum perfidorum de cetero nullatenus sit

verendum quia in tam grandi & gravi morbo recurrendum est ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non profuerunt; & apponendum ferrum & ignis vulneribus, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, putridis carnibus, ne partem sinceram attrahant, amputatis, advocent contra eos receptatores, defensores & ipsorum spiritualis & materialis gladii præstantem. *Videtur hic aliquid deesse.*

COMPOSITIO
APUD PONTEM AUDOMARUM
Inter Archiepiscopum Rothomagensem & ejus suffraganeos facta.

an. 1256.

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Frater ODO Rothomagensis ecclesiæ minister indignus, GUIDO Bajocensis, FULCO Lexoviensis, & JOHANNES Constantiensis ejusdem gratia episcopi salutem in Domino Jesu Christo.

Noveritis quod cum inter nos dictum archiepiscopum ex una parte, & nos dictos episcopos pro nobis, ecclesiis, & subditis nostris ex altera, controversia verteretur super articulis infra scriptis, tandem inter nos intervenit amicabilis compositio sub forma inferius annotata.

Primus articulus est de executione mandatorum nostri archiepiscopi, & officialis, seu officialium Rothomagensium, & receptione commissionum à nobis & eisdem officialibus faciendarum subditis suffraganeorum nostrorum.

Secundus de compulsione & receptione testium in caussis per appellationem ad nos, vel officialem, seu officiales nostros Rothomagenses devolutis, seu alias ad nos & ipsos de jure pertinentibus.

Tertius est de recipiendis appellationibus interpositis ad nos archiepiscopum, officialem, seu officiales prædictos à subditis suffraganeorum prædictorum, omissis mediis.

Forma autem dictæ compositionis talis est.

I.

Subditi suffraganeorum prædictorum in ipsorum diœcesi commorantes seu existentes, scilicet Decani Rurales in suis parochiis & contiguis, priores non conventuales, & aliæ personæ ecclesiasticæ beneficiatæ in suis locis, nostra & officialium nostrorum, seu officialis Rothomagensis exsequutiones & mandata facere & commissiones à nobis & eisdem officialibus factas tenebuntur recipere. Nullus abbas, nullus officialis suffraganeorum prædictorum, nullus prior conventualis, nullus canonicus seu persona ecclesiæ cathedralis, nullus vicarius deserviens minori altari ecclesiæ cathedralis de civitatibus seu diœcesibus suffraganeorum prædictorum, nullus clericus de propria familia eorumdem suffraganeorum, aliqua mandata nostra, vel curiæ nostræ Rothomagensis recipere tenebitur aut exsequi, nec commissionem recipere in quocumque casu, salvo nobis & officialibus nostris seu officiali Rothomagensi circa personas officialium suffraganeorum prædictorum jure communi, si quis casus emerserit, in quo nobis & dictis officialibus nostris Rothomagensibus jurisdictio competat contra ipsos.

II.

Item, subditi singuli suffraganeorum prædictorum compelli poterunt ad perhibendum testimonium veritati in causis delatis ad nos archiepiscopum, & officiales nostros, seu officialem Rothomagensem per appellationem seu alias ad nos & dictos officiales de jure pertinentibus, in diœcesibus suis & non extra, nisi agatur de crimine hæreseos..... simoniæ, homicidii, seu de promotione vel amotione prius perfectæ seu perficiendæ per electionem in loco collegiato: in quibus casibus poterunt ad nos & Rothomagensem curiam evocari, perhibituri ibidem testimonium veritati.

III.

Personæ supra exceptæ dictarum civitatum & diœcesis tenebuntur perhibere testimonium veritati, scilicet abbates & priores conventuales in suis locis & non aliter: ecclesiasticæ vero personæ supra exceptæ eorumdem civitatis & diœ-

cesis in suis civitatibus & non alibi. Hoc salvo quod in casibus immediate exceptis, videlicet de crimine hæreseos & ubi testes poterunt compelli de jure communi.

IIII.

Omnes personæ supra exceptæ evocari poterunt ad sedem Rothomagensem, vel ibi prope, ita quod nos dicti archiepiscopus seu dicti officiales nostri prædictis personis vocatis ad perhibendum testimonium veritati expensas ministrabimus, seu faciemus ministrari.

V.

Si autem aliquis subditus de suffraganeorum prædictorum dicatur contumax, negligens, vel rebellis in his quæ facere vel exsequi tenetur, sicut superius est expressum, per nos, Officiales nostros, seu officialem Rothomagensem canonice punietur, si culpabilis inventus fuerit per nos, vel eosdem officiales, vel per aliquem idoneum destinatum à nobis, vel ab ipsis, seu eorum altero, inquisita primitus super eo veritate.

VI.

Item officiales Rothomagenses, qui pro tempore fuerint, jurabunt nobis archiepiscopo & successoribus nostris, seu capitulo Rothomagensi, sede vacante, & qui duos menses apud ..... in officio constituti, qui occasione negligentiæ, rebellionis, seu contumaciæ prædictorum scienter non punient non puniendos ultra quam fuerint puniendi.

VII.

Dies autem qua præstare debent hujusmodi sacramentum significabitur competenter suffraganeis prædictis & eorum successoribus; & capitulis dictarum ecclesiarum cathedralium, sede vacante, ut veniant vel mittant Rothomagum ad videndum præstari hujusmodi juramentum. Si vero non venerint, nec miserint; nihilominus dictum juramentum præstabitur eo die.

VIII.

Item nos archiepiscopus & successores nostri & officiales Rothomagenses, qui pro tempore fuerint, non recipiemus appellationes ad nos, seu successores nostros, seu officialem

ve

vel officiales prædictos, qui pro tempore fuerint, interpositas à subditis suffraganeorum prædictorum & successorum ipsorum, mediis vel medio prætermisso.

Nos vero archiepiscopus prædictus dictam compositionem pro nobis & successoribus nostris & ecclesia Rothomagensi, quantum in nobis est, ratam habentes in verbo veritatis juramus, quod ipsam inviolabiliter observabimus, & bona fide pro nostris procurabimus, & efficaciter inducemus, & in quantum in nobis est, capitulum Rothomagense quod supra scriptam compositionem ratam habeat, comprobet, & confirmet. Nos vero episcopi supradicti eamdem pro nobis, successoribus, ecclesiis, & subditis nostris, quantum in nobis est & ecclesiis nostris, ratam habentes, & in verbo veritatis promittimus, quod nos eam inviolabiliter observabimus, & bona fide, pro posse nostro procurabimus, & quantum in nobis est, vel erit, inducemus efficaciter capitula nostra & alios subditos nostros, quod ipsi sæpedictam compositionem ratam habeant, confirment, & approbent, & si in aliquem seu in aliquos subditorum nostrorum in hoc contumaces vel rebelles latæ fuerint suspensionis, interdicti, vel excommunicationis sententiæ per dictos archiepiscopum, officialem seu officiales suos; ipsas sententias observabimus, seu faciemus observari. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Actum apud Pontem-Audomarum die lunæ post nativitatem B. Johannis anno Domini M CC LVI.

LITTERÆ GUILLELMI SOUBRIC De fundatione monasterii de *la Dausinaie* Ordinis B. Mariæ Regalis.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis vel audituris GUILLELMUS dictus *Soubric* Miles, Redonensis diocesis, æternam in Domino Salutem. an. 1257.

Q

Noveritis quod cum nos proponeremus ad honorem Dei & B. MARIÆ Virginis ædificare de novo quamdam domum religiosam de Ordine B. Mariæ Regalis Pictaviensis diocesis apud *la Daufinaie*, in parrochia B. Martini de Romaigneio, Redonensis diocesis ; cujus parrochiæ ecclesia S. Martini ad patronatum religiosorum virorum abbatis & conventus Majoris-monasterii dignoscitur pertinere : quia sine volumptate & assensu ipsorum religiosorum nos non poteramus propositum nostrum in hac parte effectui mancipare. Iidem religiosi ob favorem religionis & augmentum cultus divini nobis & fratribus B. Mariæ Regalis apud *la Daufinaie* Deo famulari proponentibus pium ad hoc præbuere consensum. Sed quia nos & prædicti fratres occasione fundationis domus ejusdem *de la Daufinaie* jam consecuti sumus temporale emolumentum non modicum, & ipsi religiosi damna incurrerunt & incursuri sunt majora, ut creditur, in futurum. Nos prædictus Guillelmus *Soubric* fundator domus ejusdem & dicti fratres *de la Daufinaie* hoc attendentes, promittimus dictis abbati & conventui Majoris-monasterii, interveniente decreto Venerabilis patris Domini JOHANNIS Dei gratia episcopi Redonensis, dare in recompensationem damnorum hujusmodi XL. olidos-monetæ currentis annui redditus, & ipsos reddere annuatim priori ipsorum S. Salvatoris de Landis dictæ diocesis, vel ejus certo mandato in prioratu eodem per manum prioris *de la Daufinaie* vel præsidentis ibidem, qui pro tempore fuerit, vedelicet annuatim in festo Omnium sanctorum XX. solidos, & in Resurrectione Dominica alios XX. solidos, pœna ex parte nostra apposita V. solidorum Turonensium reddendorum ipsis religiosis de qualibet die contra ipsorum voluntatem solutionis dilatæ post terminos supradictos, rato nihilominus soluta pœna priore remanente contractu, nos & quoscumque successores nostros, ac præfatam domum *de la Daufinaie*, & omnia bona nostra sponte & specialiter quo ad hoc obsignantes. Voluerunt insuper & concesserunt prædicti religiosi Majoris-monasterii, quod dicta domus *de la Daufinaie*, quantum in eis est, oratorium & cimiterium habeat cum campanis, salvo jure

parrochialis ecclesiæ supradictæ. Volumus insuper & concedimus, quod dicti religiosi, seu prior ipsorum S. Salvatoris, habeant & percipiant in futurum libere, & quiete omnes primitias & decimas, tam majores, quam minores, locis & terris, quos vel quibus dicti fratres *de la Dausinaie* per se vel per alios excolent, & tenebunt infra metas parrochiæ supradictæ. Nec poterimus nos vel dicti fratres *de la Dausinaie*, vel aliquis ratione seu vice nostra super detentione vel acquisitione decimarum terrarum, quas dicti fratres propriis manibus aut sumptibus excolent, seu excoli facient, seu etiam super primitiis aliquid impetrare, vel uti impetratis, vel in posterum impetrandis litteris à sede apostolica, seu à quocumque altero, vel quoquomodo super hoc nos tueri, quin dicta domus *de la Dausinaie* decimas solvat & reddat annuatim priori S. Salvatoris prædicto, & rectori ecclesiæ de Romaigneio, & quod si quicquam fuerit impetratum super hoc; ipso facto non valeat; sed potius careat robore firmitatis. Nec licebit prædictis fratribus *de la Dausinaie*, nec poterunt aliquid acquirere in feodis dominiis prioratus prædicti S. Salvatoris de Landis ratione donationis, emptionis, legati, aut cujuscumque alterius acquisitionis titulo, vel donata, legata, seu aliter acquisita retinere, nisi hoc de ipsorum prædictorum religiosorum abbatis & conventus Majoris-monasterii voluntate processerit, & expresso consensu. In cujus rei memoria, nos prædictus Guillelmus fundator prædictæ domus *de la Dausinaie*, & frater PETRUS tunc temporis ejusdem domus prior, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboravimus; & illas dedimus supradictis abbati & conventui Majoris monasterii in veritatis testimonium & munimen. Datum anno Domini M CC LVII.

. Extant in archivis Majoris-monasterii in area S. Salvatoris de Landis litteræ Gaufridi abbatis & capituli Majoris monasterii, datæ anno 1256. mense Januario; quibus consentiunt prædictæ fundationi. Item litteræ Petri abbatis B. Mariæ Regalis Pictaviensis diœcesis anno 1257. datæ, quibus idem quod hic adstruitur.

EDUARDI ANGLORUM REGIS LITTERÆ
Quibus Scotiæ regno renunciat.

an. 1328.

UNiversis præsentes litteras inspecturis EDUARDUS Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ salutem in Domino sempiternam.

Cum nos nonnullique prædecessores nostri reges Angliæ jura regiminis, dominii, seu superioritatis regni Scotiæ conati fuerimus obtinere; ob hocque motarum dira guerrarum discrimina Angliæ & Scotiæ regna diutius afflixissent. Nos attendentes cædes, occisiones, scelera, ecclesiarum destructiones, & mala innumerabilia quæ hujusmodi occasione guerrarum regnicolis utriusque regni multipliciter contingebant, bonaque quibus regnum utrumque mutuis compendiis abundaret perpetuæ pacis stabilitate connexum, ac per hoc contra conatus noxios rebellare vel impugnare volentium interius vel exterius majori firmitate securum; volumus & concedimus per præsentes pro nobis hæredibus & successoribus nostris quibuscumque de communi consensu & assensu prælatorum, & procerum, comitum, & baronum, & communitatum regni nostri in Parlamento nostro, quod regnum Scotiæ per suas rectas marchias, prout temporibus bonæ memoriæ ALEXANDRI regis Scotiæ ultimo defuncti fuerunt habitæ & servatæ magnifico principi Domino ROBERTO Dei gratia regi Scotorum, illustri confœderato nostro & amico carissimo, suisque hæredibus & successoribus divisum à Regno Angliæ, integrum, liberum, & quittum remaneat in perpetuum absque qualicumque subjectione, servitute, clamore, vel demanda. Et si quod jus nos vel antecessores nostri in regno Scotiæ retroactis temporibus petierimus, vel petierunt quoquomodo præfato regi Scotiæ, hæredibus, & successoribus suis, renunciamus & dimittimus per præsentes. Omnes autem obligationes, conventiones & pacta initas & inita qualitercumque cum

Et premierement que là où les messages de France pour appaisier tous les debas de la terre de Belleville & de toutes autres terres contencieuses entre les deux Roys, ont offert au Roy d'Angleterre la commune païs de Rovergne, le chastel de la Roche sur Yonne, la conté de la Marche, & les terres du Conte d'Estampes en Aquitaine, voirs est que laditte commune païs de Rovergne par mandement du Roy de France a esté baillée & livrée au Roy d'Angleterre par la paix; & ainsi le tient-il & possede à present. Si semble audit conseil qu'elle lui devra demourer à perpetuité sans y estre mis aucun empeschement. Et semble aussi que ledit chastel de la Roche qui est notoirement assis dedens la terre & le païs de Poittou luy devra demeurer par laditte paix. Et quant à la conté de la Marche & les terres d'Estampes, le Roy d Angleterre ne son conseil n'en ont aucune congnoissance de la valuë: mais le Roy envoyera pour s'en informer; & se lesdittes terres soient de si convenable value, qu'ils pourront neques

prés recompenser la terre de Belleville selon l'entention du traittié de paix, ledit conseil pense bien que le Roy se prendra assez prés de les recevoir, ou cas que la terre de Belleville ne se pourra rendre en aucune maniere en propre substance. Et supposé que laditte conté de la Marche & les terres d'Estampes ne soient notablement de laditte valuö; si pense toudis le conseil du Roy que le Roy de France y ordonnera d'autres terres en ce cas dont le Roy d'Angleterre se tendra content pour laditte terre de Belleville en accomplissant quant ad ce le traittié de la paix; & aussi les autres terres & lieux qui estoient encores à baillier & delivrer ou païs d'Aquitaine soit baillée ou souffisante recompensacion pour icelle dont le Roy se pourra tenir content.

Et quant aux hommages & fiez de Cahieu, Viergiez, Arreraigues & autres que restent encore à baillier en Pontieu & aussi la ville de Monsterueil sur la mer; & oultre ce l'Angle qui est par expres comptins dedens les mettes, & bondes de Calais & de Merle; Semble audit Conseil que toutes lesdittes choses sont tant évidemment au Roy, & dont il a bonne & claire congnoissance, selon l'effeo & l'entention de la paix susdite, que il ne les devra par nulle voie laissier.

Et oultre ce ledit conseil sceu aparfondement pourpense par merveillant tres entierement contre le Roy de France a receu ou voulu recevoir les appeaulx du Conte d'Armignac, du Sire d'Elebret & de leurs adherens & complisses, attendu qu'il estoit & est tenus & obligiez par laditte paix d'avoir baillié & delivré oudit Roy d'Angleterre ou à ses deputez toutes les terres comprises és lettres avec la clause. C'est assavoir. Et icelles delivrées & bailliées tantost avoir renoncié expressement aux ressors & souverainetez, & cependant avoir sursis de user de souveraineté & de ressort és terres susdittes; & de recevoir aucunes appellacions, & de restraire à icelle, si comme toutes ces choses & autres sont assez clerement comprises és lettres devant dittes. Si a partant sursis le Roy de France, tant que en ce a de user lesdittes souverainetez &

ressors. Et est tout vray que le Conte d'Armignac & le Sire d'Elebret, & tous les autres vassaulx & subgiez des seigneuries & terres Acquitaine en ont fait l'hommage lige au Roy d'Angleterre comme a Seigneur souverain & lige, & encontre toutes les personnes qui pourront vivre & mourrir, & depuis il est fait aussi hommage au Prince retenu & reserré par exprés la souveraineté & le ressort au Roy d'Angleterre, dont par lesdittes causes & autres raisonnables semble au conseil le Roy d'Angleterre, que consideré la fourme de laditte paix, qui tant estoit honorable & profitable ou royaume de France & à toute crestianté, que la reception desdittes appellacions n'a mie esté bien faite, ne passée si ordeneement, ne à si bon affection & amour, comme il doit avoir esté faite de raison parmi l'effet & entencion de la paix, & les alliances affermées & entr'eux aucuns semble estre moult prejudiciables & contraire à l'onneur & à l'estat du Roy & de son fils le Prince & de toute la maison d'Angleterre, & pourra estre évidante matiere de rebellion des subgiez; & aussi donner tres grant occasion d'enfraindre la paix, se bon remede sur ce ny soit mis plus hastivement. Et comme le Roy d'Angleterre s'en est toudis depuis la paix deporté de s'en appeller ou porter Roy de France par lettres ou autrement. Et par mesmes la maniere le Roy de France s'en deust avoir deporté d'en user de souveraineté & ressort avant touchiées. Neanmoins ou cas que le Roy de France vouldra amiablement reparer & redrecier lesdits attemptas, & remettre lesdis appellans arrieres en la vraye obeissance dudit Roy d'Angleterre, & faire expressement les renonciacions & delaissement des souverainetez & ressors accordez à faire de sa partie, & envoyant ses lettres au Roy d'Angleterre par forme de laditte paix, laquelle chose si approprement la substance & effet de laditte paix, & sans laquelle elle ne se pourra autrement tenir. Adoncques pense bien ledit conseil que le Roy d'Angleterre fera les renonciacions à faire de sa partie; & sur ce envoyra ses lettres au Roy de France, & quanques il est tenus à faire selon la forme de laditte paix susditte B.

LE SEREMENT QUI FIT MONSEIGNEUR de Berry quand le traittié se fit en Angleterre & qu'il en partit.

NOus JEHAN fils de Roy de France, Duc, &c. promettons comme vray fils de Roy sacré, & en toute loyaulté de chevallier, que nous serons demourant & nous tendrons toutes pars & devant quelques personnes loyal hostage à tres excellent prince nostre tres chier Sire & oncle le Roy d'Angleterre, & à ses hoirs tant & si longuement & jusqu'à ce que la question qui est sur le bail de la terre de Belleville par entre nostre tres redoubté le Roy de France & le Roy d'Angleterre, soit finablement determiné & enterinement & royaument, & de fait executé par forme & maniere comprise en l'accord derrain fait à Londres entre nous & l'Evesque de Nevers, Guillaume Sire de Dormens chevalier &c. de monseigneur le Roy pour sa partie, & les conseillers du Roy d'Angleterre dessus dis pour sa partie. Et sera que les lettres pourparlées & accordées pour baillier dessoubs le grant seel de nostredit Seigneur le Roy de France sur ledit accord de Belleville ne fussent baillées en la cité de Londres au chancelier d'Angleterre, ou à ses hoirs, ou à leurs commis & deputez especialement à ce, les terres & lieux, & quelxconque, sera ordené, jugié & determiné pour les commissaires, conseilliers, & subroguez, qui députez seront oudit fait de Belleville dedens les termes & par la forme & maniere compris oudit accort en chacun de ces trois cas ou defaute se aucun avendra : Nous revendrons & retournerons en propre personne arriere en la cité de Londres trois mois prouchain aprés que tel deffaut avendra sans contredit aucun, semonces, garnisement, ne requeste dudit roy d'Angleterre ou de ses hoirs, & illec ou ailleurs qui plaira audit roy d'Angleterre ou à ses hoirs

hoirs selon la forme de la paix nous demourront en hostage sans partir de la puissance dudit Roy ou de ses hoirs jusques à l'accomplissement de toutes les choses comprises oudit derrain accort de Belleville & és lettres sur ce faites. Item jurons & promettons comme dessus que jamais ne dirons, ne proposerons, en jugement ou hors que nosdits seremens, &c. aient esté faites & passées tant que nous avons esté en hostage en la puissance & garde de nostredit Sire & oncle le roy d'Angleterre ; & que nous ne userons d'autres exceptions aide, & defense, cautele, remede, ne allegation de garde, de force, de povoir contre aucunes des choses dessus dittes ainsi par nous promises & jurées, ne nous aiderons par privilege de croix prise ou à prendre ; & que nous n'empetrerons, ne ferons empetrer dispensacion, ne absolucion du Pape, ne d'autre quelconques sur nosdits seremens & promesses ; & se tieux dispensacion ou absolucion estoient empetrées, jamais ne les userons, ne ferons, ne dirons, ne soufferrons estre dit, ne fait, en jugement ne hors, aucune chose contraire à nos promesses & serement devant dis. Et se fait estoit le contraire par nous ou par autre de nostre gré, nous voulons estre tenus & reputez pour parjure, & convaincu de foy faillie en toute places, & pardevant tous seigneurs & personnes, & avoir encourru tel blasme & diffame, comme fils de Roy sacré doit encourrir en tel cas. Et pour plus grande seurté &c. de tout &c. nous avons baillé nostre foy en la main de monseigneur Jehan Dux &c. pour son pere. Ce fut fait &c.

INSTRUMENT DE LA MANIERE de la delivrance de monseigneur de Berry & d'Alençon, & y sont incorporées les lettres de l'accort comment l'on doit proceder ou fait de Belleville.

an. 1366.

IN nomine Domini, &c. EDOUARD par la grace de Dieu Roy d'Angleterre, Seigneur d'Irlande, & d'Aquitaine. A tous ceulx qui ces lettres verront & orront salut. Savoir faisons que comme sur la question qui a esté entre nous d'une part, & nostre tres chier & amé frere le Roy de France d'autre part, à cause de la terre de Belleville certain accort ait esté derrain fait à Londres entre nos conseillers pour nous & nostre tres chier & amé nepveu Jehan Duc de Berry & d'Auvergne....... de Nevers, Guillaume seigneur de Dormans chevallier & chancelier de Dalphiné, & Jacques le Riche doyen de Paris conseiller dudit nostre frere, & pour luy sur la maniere comment laditte question devoit finablement estre determinée. Duquel accort la teneur s'ensuit. Edouard &c. A tous ceulx qui ces presentes lettres verront salut. Comme parmy la paix faite entre nous & nostre tres chier & amé frere qui est apresent fussent tenus de baillier, delaissier & delivrer à nous, à nos hoirs, la terre de Belleville & ses appartenances en la maniere contenuë en ladite paix, & sur ce ait esté debat & * contens entre nous & nostredit frere sur la maniere comment nostredit frere le nous devoit bailler de fait. Nous disant que nostredit frere nous devoit baillier & delivrer laditte terre avant les terres & lieux de Lempart, de Biauvez, de la Garnache Paluel, & plusieurs autres terres & lieux comme appartenance & appendance de laditte terre de Belleville; nostredit frere disant & affermant le contraire, c'est assavoir que

* Id est contentio.

laditte terre nous avoit esté souffisamment baillée ou offerte à baillier selon le traittié dessus nommé, & que les terres dessus nommées n'estoient pas appartenances, & qu'elles ne portoient mie telles appartenances & dependances comme nous disions. Afin que laditte discorde soit determinée & mise à fin; accordé est entre nous & nostredit frere en la maniere. C'est assavoir que nous prendrons & eslirons deux commissaires & un procureur, & aussi nostredit frere deux commissaires & un procureur; lesquelx quatre commissaires & procureurs assembleront dedens le jour de la S. Jehan Baptiste prochain venant en la ville de Belleville, & d'illec se pourront transporter en autre lieu ou lieux que concordablement bon leur semblera, qui feront jurez comme dessus est; & recevront les fais, articles, & raisons que bailliez leur seront des procureurs des parties aux fins dessus dittes. Et pourra nostre partie produire XL. tesmoings ou plus,& toutes lettres, & instrumens, & minumens,que nous vouldrons; & l'enqueste faite & parfaite tant sur le principal comme sur les reprouches, se aucune en y a recevables; lesdits quatre commissaires, ou deux d'eulx pourront & devront selon ledit traittié de la paix l'enqueste & procez dessus dits jugier, sentencier, ordener, determiner dudit debat concordablement: & ce qu'en sera par eulx quatres ou trois d'eulx jugié, sententié, ou determiné, comme dit est, nous tendrons, garderons, & complirons comme chose jugiée & passée en force & auctorité de jugement sans venir encontre en aucune maniere; & envoierons audit jour & lieu de Belleville les deux commissaires de nostre partie esleus & procureurs souffisamment fondez; & iceulx commissaires & procureur tendrons & ferons tenir audit lieu de Belleville ou ailleur, & demourer, comme dit est, jusqu'à ce que laditte enqueste soit faite & parfaite, & jusques à ce que iceulx commissaires aient jugié, ordené, & determiné finablement dudit debat, ou qu'ils aient esclairci & baillié par escript, & soubs leurs seaulx au procureur de nostre partie toutes les causes & raisons pour lesqueles eulx ne

pevent estre d'accort. Et lesdits commissaires parferont & accompliront laditte enqueste, & jugeront & determineront tout ledit descort & debat, ou esclairciront au procureur de nostre partie, comme dit, est qu'ils ne pevent estre à accort dedens le jour de la Nativité de Nostre Seigneur prochain venant : auquel cas de discors nous envoyerons audit lieu de Belleville ou ailleur, comme dit est, dedens le xv. jour de Mars lors prochain ensuiant pour nostre partie trois de nos conseillers, sages, & souffisans, jurez en la maniere comme dessus, lesquels avec les trois conseilliers de la partie de nostre frere ainsi jurez avec les quatre commissaires dessus dits reprendront le procez & enqueste, & tout ce qui aura esté fait paravant en mesme l'estat qu'elle avoit esté laissié devant les quatre commissaires ; & jugeront & determineront tout ledit debat & descort : & tout ce qui en sera jugié & determiné par lesdis commissaires, conseilliers ou subroguez, ou cas que dessus, ou la plus grant partie d'iceulx, vauldra & tendra comme chose jugiée & passée en auctorité & en force de jugement ; & determineront & jugeront, ou diront, ou bailleront en la maniere que dit est leur entention final au procureur de nostre partie dedens la feste S. Jehan Baptiste qui sera l'an LX. & sept. Et se par lesdis quatre commissaires, ou par lesdis conseilliers & commissaires subroguez ou la plus grande partie d'iceulx, par la maniere que dit est, estoit dit que laditte terre de Belleville ne portast pas les appartenances que nous maintenons, & que nostredit frere nous eust souffisamment baillié ou offert à baillier laditte terre de Belleville, & fait sur ce son devoir ; nostredit frere en demourroit quitte & paisible, & ses hoirs & successeurs parmi ce que nous & nos hoirs aions & tenons à perpetuité & par la forme de la paix susdite quanque auroit ainsi esté baillié & offert à baillier. Et se par lesdis quatre commissaires ou trois d'iceulx, ou par lesdis conseilliers commissaires subroguez ou la plus grant partie d'iceulx ou cas dessus dit estoit dit & determiné que nostre dit frere nous deust baillier & à nos hoirs les terres & lieux dessus

esclaircis & autres terres & lieux comme appartenances & dependances de la terre de Belleville, oultre ce que baillié nous a, ou offert à baillier, nostredit frere les baillera à nous, nos hoirs ou deputez dedens le jour de Pasques communians l'an de grace mil ccc LXVIII. ou autres terres & lieux à la value selon l'advis, arbitrage ou ordenance demenez les commissaires, conseillers ou subroguez ou la plus grant partie d'iceulx, comme dit est dessus, à tenir & possider à perpetuité & par la forme & maniere que nous tenons & devrons tenir les autres terres, lieux & païs qui nous demourront par la paix dessus ditte. Et s'il avenoit que lesdis quatre commissaires ou conseilliers ou procureurs ou aucuns d'eulx alassent de vie à trespassement, ou ne voulsissent, ou ne peussent vaquer & entendre à laditte besoingne, & subroguerons autre ou autres en lieu des defaillans, comme dessus, le plustost que nous pourrons bonnement & sans fraude ou mal engin: & iceulx ferons vaquer & continuer en la besoingne, comme dit, tous les autres commissaires, conseilliers & subroguez, qui pour lors seront audit lieu, demourront illec sans departir jusques à la venue de celuy qui subroguez sera par nous ou cas dessus dit; & jusques à l'accomplissement de toute la besoingne, & jusques au temps & par la maniere que dit est dessus. Et feront lesdis commissaires, conseilliers & subroguez ou cas dessus dit, serement sur les saintes evangiles de nostre Seigneur; C'est assavoir les esleus d'une partie devant les esleus de l'autre partie, que bien loyaument & dignement, sans faveur, doubte ou deport d'aucunes des parties, eulx oiront les tesmoings, interrogeront & examineront, & feront loyamment escripre leurs depositions & instrumens, & autres preuves de partie recevront, & procederont, jugeront & determineront, & mettront à fin toute laditte besoingne de tout leur povoir dedens les termes dessus esclaircis, & sans departir du lieu, selon ce que par les paix, procez, & enqueste, leur semblera qu'il doit estre fait par droit & par raison. Et semblablement jureront lors les

procureurs des parties que bien loyaument & sans malice & fraude eulx feront leur devoir. Toutes lesquelles choses dessus dittes & chacune d'icelles nous promettons par nostre foy & serement tenir, enteriner, & accomplir par la maniere susdite, sans provoquer, appeller, ou reclamer de Pape, empereur, ou autre juge ou prince quelconques, ne venir, ne faire venir encontre en aucune maniere. En tesmoing de ce nous avons fait mettre nostre grand seel à ces presentes lettres. Donné à Londre le xx. jour de Janvier l'an de la Nativité de Nostre Seigneur mil ccc lx. * selon le stille de cour de Romme, & de nostre reigne le xxxix.

* l. mil ccc lxv.

Nous de la requeste de nostre dit frere, & aussi pour contemplacion de nostre tres chier nepveu & cousin Jehan fils de Roy de France, Duc de Berry & d'Auvergne, & Pierre Conte d'Alençon nos hostages, à cause de l'accomplissement de certaines choses comprises en la paix faite entre nous & nostredit frere dessus dit, avons accordé & accordons, voulons, & nous plaist que nosdis hostages s'en puissent aller & demourer en France ou aillieur où il leur plaira en l'estat & condicion que eulx sont au jour present jusques audit terme de Pasques communiant qui sera l'an de grace mil ccc lx & huit. Et ou cas qu'il seroit dit, jugié, determiné, ou ordené par les commissaires, conseilliers & subroguez ou la plus grant partie d'iceulx par la maniere contenue esdites lettres cy dessus encorporées que laditte terre de Belleville ne portast pas les appartenances que nous maintenons, & que nostredit frere le Roy Jehan, que Dieu absoille, & nostre frere le Roy de France nous eussent souffisamment baillié ou offert à baillier laditte terre de Belleville, & fait sur ce leur devoir, ou que nostredit frere nous eut baillié & delivré, ou à nos hoirs & commis & deputez especiaument à ce royaument, & de fait tout ce qui seroit ordené, jugié, & determiné par les commissaires, conseilliers & subroguez, ou par la greigneur partie d'eulx dedans le terme & par la forme & maniere com-

prises és lettres dessus encorporées en chacun des cas dessus dis ; nous desslors delivrons, & absolons, & quittons de plain nosdis nepveu & cousin de Berry & d'Alençon de tout hostage, & de toute obligacion & feremens, foys, & promesses que fait nous ont à cause dudit hostage : & pareillement desslors quittons, & delivrons nostredit frere le Roy de France de toutes choses pour lesquelles nosdis nepveu & cousin ont tenu devers nous ledit hostage. Sauf & reservé nostre droit quant aux autres choses comprises en la paix dessus ditte. Et s'il avenoit que les lettres dessus encorporées ne nous estoient bailliées, & delivrées en nostre cité de Londres à nostre chancelier qui pour lors sera soubs le grant seel de nostre dit frere à la quinzaine de la feste de Pasques communiant prochain avenir, ou que laditte question de Belleville ne fust finablement determinée dedens le temps & par la maniere dessus ditte, ou que nostredit frere ne nous eust baillié & delivré, ou à nos hoirs, ou commis, & deputez especiaument à ce royaument & de fait, tout ce qui sera fait, jugié, ordené, & determiné par lesdis commissaires, conseilliers ou subroguez, ou par la greigneur partie d'eulx dedens les termes & par la forme & maniere comprises esdittes lettres dessus encorporées, nos nepveu de Berry & cousin d'Alençon en chacun de ces trois cas seront tenus de venir & retourner, & revendront en leur propres personnes arrieres en la cité de Londres dedens trois mois prochains aprés ce que tel cas ou deffaut avendra, sans attendre aucune semonce, garnissement, ou requeste de nous ou de nos hoirs. Et illec ou ailleurs ou plus nous plaira demouront en hostage sans departir de nostre puissance jusques à l'accomplissement de toutes les choses comprises esdittes lettres dessus encorporées, si comme accordé, promis & juré nous ont, & compris est en leurs lettres seellées de leur seaulx par devers nous demourant ; & en nul de ces trois cas à deffaute de ce, nos presente lettres ne leur pourront ja profiter ou valoir à nostredit frere le Roy de France, ne a nous, ne à nos

hoirs porter préjudice ou temps avenir. Donné par tesmoingnance de nostre grant seel à nostre palais de VVeimoustier le premier jour de Février l'an de la nativité de nostre Sire mil ccc LXVI. selon le cours & stile de court de Romme, & de nostre reigne le XL. Sic signatum per ipsum Regem & consilium BAULZECRE.

HISTORIA
ARCHIEPISCOPORUM ROTOMAGENSIUM
AUCTORE ANONYMO QUI SÆCULO undecimo scripsit.

GALLIÆ provinciæ sunt decem & octo, quarum una existit Lugdunensis quæ vocatur secunda, in qua est nobilis & ampla civitas quæ vocatur Rodomus vel Rotomagus, super fluvium sequanæ sita. Hujus civitatis ecclesia in honore beatæ & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ est consecrata. Hæc vero est metropolis. Sex enim sub se civitates episcopales continet : scilicet primam civitatem Bajocatarum, secundam civitatem Abrincatarum, tertiam civitatem Evatinorum quæ dicitur Ebroicas, quartam civitatem Salanum, quæ vocatur Sagium, quintam civitatem Lexoviorum, sextam civitatem Constantinorum.

In præfata civitate Rotomagensi extitit egregius MALLONUS in ordine primus. Nonnullos horum positio verborum perturbat, non satis idonee speculantes, quoniam eorum velle, scilicet beatissimum NIGASIUM prænominatæ civitatis antistitem extitisse, nullatenus hac repugnat, si expositione quantulumcumque subtili fulciatur. Attendant igitur tam clerici quam monachi ne errent, qualiter scripturas perspicatius indagantes, utrumque posse haud inconvenienter stare dijudicent : Decenter inquam, inquiunt, qui Mallonum in sede Rotomagensi fuisse pri-

mum asserunt. Nullus enim eum præivit quantum ad archiepiscopatus usumfructum; nec tamen male prædicant qui beatum Nigasium ejusdem sedis archiepiscopum fuisse primum comprobant: quippe jam non paucis reor manifestatum esse hunc Romæ à beato papa Clemente Rotomagensium urbis antistitem ordinatum fuisse, nondum jugo pastorali cujuspiam obnoxiæ. Nec est frivolum, sed firmum & ratum, pro ut sua testatur Passio, cum beato sociatum Dionysio permissione Clementis papæ hunc eumdem ad oras Gallicas condescendisse, & priusquam ad suam quam Romæ, sicut diximus, acceperat, sedem posset pervenire, martyrium truncato capite, tamen vicinius circa fines Northmannicos cum Quirino & Scuviculo pertulisse. Quo fit ut de utroque, sed alio & alio modo, vera prædicatione prædicetur primum de Nigasio quidem secundum ordinationem: de Mallono secundum loci inhabitationem, ut sic dicatur: Nigasius fuit Rotomagensis urbis antistes primus ordinatus. At Mallonus fuit primus in sede locatus.

Sic is non versus poterit consistere versus
Extitit egregius Mallonus in ordine primus,
Moribus ornatus, clara quoque stirpe creatus,
Enituit verbis, præfulsit & actibus almis,
Dapsilis in cunctis, clemens, & largus egenis,
Mentibus infirmos curabat dogmate sacro,
Dæmone vexatos purgabat numine sacro,
Pervigil in populo pastor pius ac speculator
Pro sibi commissis murum se contulit hosti,
Compatiens ægris, collisos consolidavit,
Mactabat Domino se semper sacra litando,
Perpetuam pacem deposcens atque salutem,
Ut caros fratres servabat dulciter hostes,
Hic humilis, sobrius, necnon & corde pudicus,
Sordibus immunis virtutum lampade fulsit.

Obiit in Christo X. Calendas Novembris.

Beato vero Mallono Avidianus successit, qui sub beato papa Silvestro & Constantino imperatore præfatam rexit ecclesiam. Is vero prudens & strenuus pastor fuit in

populo, qui in Arelatensi concilio primo, quod eodem tempore, quo Nicœna synodus habita est, congregatum in canonibus invenitur, cum Materno Coloniensi episcopo interfuit. Fuit namque hic beatus pontifex ingenio probus, moribus insignis, subditorum sibi saluti providus.

Huic successit SEVERUS, Severo EUSEBIUS, Eusebio MARCELLINUS, Marcellino PETRUS, Petro VICTRICIUS. Fuit vero hic in regali curia nutritus cum beato Innocentio papa, ut in ejusdem papæ epistola de castitate conservanda, & aliis institutis christianæ religionis eidem Victricio missa invenitur. Ait enim inter cætera. Cap. 11.
„ Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales „ vel quibuslibet publicis functionibus occupatos clericos fa- „ cere contendunt: quibus postea major tristitia cum de revo- „ candis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia „ nascitur. Sit certe in exemplum sollicitudo & tristitia „ fratrum quam sæpe pertulimus imperatore præsente, cum „ pro ipsis prius rogaremus: quod ipse nobiscum positus „ cognovisti. Quibus non solum inferiores clerici ex curia- „ libus, verum etiam in sacerdotium constituti ingens molestia ut redderentur instabat. Erat enim pastor gloriosissimus in persequendis populi criminibus rigidus, viduarum & orphanorum pater mitissimus, misericors pauperibus, cunctis compatiens infirmis & dolentibus.

Cui successit INNOCENTIUS, Innocentio sanctus EVODUS, Evodo SILVESTER, Silvestro MALSONUS, Malsono GERMANUS, Germano CRESCENTIUS, Crescentio vero beatus GILDARDUS frater beati Medardi, quorum vitam magnifico stilo beatus Fortunatus scribit. Una enim die nati fuerunt, una etiam die ordinati, una quoque die migraverunt ad Christum.

Gildardo successit beatus FLAVIUS, cujus pontificatus tempore constructa est ecclesia in honore Beati Petri Apostoli in suburbio urbis Rotomagensis, anno primo Lotharii regis Francorum nobiliter ædificata, in qua corpus beati AUDOENI successoris sui sepulturæ traditum est. Hic vero beatus Flavius anno quingentesimo Dominicæ Incarnationis, multis virtutibus præditus divini amoris fla-

grantia accensus, dapsilis pauperibus, rotomagensem rexit ecclesiam.

Huic successit PRÆTEXTATUS vir magnæ sanctitatis, & omnibus iniquis odiosus. Hic vero fuit tempore Chilperici regis filii Clotharii, qui vir nimiæ crudelitatis cum Fredegunde impia uxore sua ingenti contra pontificem odio exarsit. Causa vero odii nihil aliud fuit, nisi quia fratrem suum Sigebertum regem, qui fraude Chilperici occisus fuit, multum dilexerat; & eamdem dilectionem Childeberto filio ejus & matri Brunechildi servabat. Hac de causa iratus Chilpericus sibi calumniam imposuit, scilicet quod magnam partem thesauri fratris sui Sigeberti apud se reconditam habuerat, quam postquam Childebertus nepos ejus litem contra eum inierat, ei reddiderat. Ideo in tantum prosequutus est eum, quod eum ab episcopatu destitutum expulit, & in quandam insulam in Constantinensi pago in mari sitam exsulavit, & in loco ejus MELANTIUM archidiaconum episcopum ordinari fecit. Modus expulsionis talis fuit. Rex concilium episcopos suos convocare fecit: cui vir magnæ auctoritatis & probitatis GREGORIUS archiepiscopus Turonensis interfuit. Hic vero nec callidæ machinationi qua episcopus deceptus est, nec injustæ destitutioni assensum præbuit. Rex vero impia calliditate quibusdam episcopis mandavit ei, quod si quæ sibi objecerat in concilio recognosceret, & inde coram rege prostratus se reum proclamaret, omnino ei dimitteret. Qui hortatu impiorum coepiscoporum deceptus, fraudulentis regis mandatis adquievit. Tunc Rex clamare cœpit: Audistis eum crimine convictum: nunc super hoc certam sententiam definite: & ita deposuerunt eum, & in præfatum exsilium rex retrudere jussit. Mortuo vero rege, omnium primatum & coepiscoporum concilio & judicio, nolente Fredegunde regina ad propriam ecclesiam est revocatus; & deposito Melantio in propriam sedem inthronizatus. Melantius vero in familiaritate Fredegundis impiissimæ reginæ permansit. Quæ beato Prætextato semper inimicata & insidiata est in tantum, ut pretio quorumdam mentes cum præfato Melantio corrumperet, ita ut sicut beatus Grego-

rius Turonensis in scriptis suis narrat, nocte sanctæ Paschæ in loco pontificali, ubi stare consueverat gladiis eum percuterent & ita interficerent : qui mox ut vulnera sensit ad altare cucurrit, & illud amplexatus viatico Dominici Corporis & Sanguinis se muniens, animam Deo reddidit. Corpus vero ejus omnes principes patriæ cum magno ejulatu & lamentatione de tanti pastoris patrocinii desolatione condolentes, sepulturæ honorificæ tradiderunt. Postea vero MELANTIUS qui tempore sui exsulatus episcopatum usurpaverat, consilio & ingenio præfatæ reginæ in eadem sede est restitutus.

Huic successit præsul HILDULFUS, vir prudens & honestus; Hildulfo beatus ROMANUS, nobilis ortu, & virtute præclarus; beato Romano Sanctus AUDOENUS, claris natalibus ortus, & virtutum magnitudine excelsus; beato Audoeno successit inclytus ANSBERTUS, venerabilis præsul & sanctis operibus gloriosus. Horum vero trium ac beati Gildardi memoriam tantum tetigimus; quia eorum gesta à probatissimis viris luculenter apud nos conscripta habentur. Ansberto successit venerabilis GRIPPO, Gripponi RANILANDUS vir venerabilis & honestus, Ranilando Sanctus HUGO, qui venerabilis vitæ & magnæ honestatis fuit, ut vita ejus testatur; Hugoni RATBERTUS vir prudens & strenuus; Ratberto GRIMO. Hic namque vir magnæ nobilitatis & probitatis extitit, populumque sibi creditum tam bonorum operum exemplis, quam prædicationibus optime gubernavit, ecclesiamque sanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus sedi præsederat, propriis prædiis ac pluribus beneficiis augmentavit. Fontanas etiam super fluvium Itonam sitas, cum omnibus suis appenditiis dedit. Grimoni successit RAINFREDUS vir nobili progenie ortus, & litterarum studiis imbutus, qui ecclesiam propriis beneficiis augmentavit. Dedit enim ei in territorio Vilcassino villam quæ dicitur Cramisiacum, & quamplurima beneficia ex nobilibus viris ad opus suæ ecclesiæ adquisivit.

Rainfredo successit beatæ memoriæ REMIGIUS. Hic fuit filius Caroli, qui major domus regiæ appellatus est,

frater Carlomagni, qui relicta parte regni quam possidebat, in monte Sorepte monachus effectus est, ubi ecclesiam in honore S. Silvestri construxit; & inde ad monasterium S. Benedicti in monte Cassino transiit. Fuit etiam idem Remigius frater Pipini, quem Stephanus papa regem consecravit. Hic vero Pipinus precibus Carlomagni monachi fratris sui mandavit Remigio præfato archiepiscopo, ut ad locum qui dicitur Floriacus pergeret, & corpus S. BENEDICTI, qui ibi requiescebat legatis Carlomagni redderet. Cumque ad locum veniret, & abbatem qui tunc temporis monasterium regebat, & MEDO dicebatur, vocaret, regis edicta edisserens, cum legatis Carlomagni ecclesiam ingressus est. Cumque sepulcrum beati viri appropinquassent, repentina cœcitate multati sunt. Proinde terrore valido concussi, ante præfatum abbatem, fratresque loci illius solotenus prosternuntur, misericordiam deprecantes, quatenus pro eis Dominum exorarent, ut eis indulgeret, promittitque beatus Remigius quod numquam sancti Corpus inde amplius transferret. Quid plura? Illico sunt exauditi, & beatus Remigius cum suis sodalibus pristinam sanitatem recepit. Precatusque præfatum abbatem ut corporis beati viri reliquias illis exhiberet, ne locus in quo Deo devote servierat, tanto patrocinio cassaretur. Qui libenter adquievit; sicque legatis remeantibus ad propria, beatus Remigius rediit ad sua. Ipse vero quam plura suæ ecclesiæ adquisivit beneficia, & de suis propriis largitus est multa. Super gregem sibi commissum vir nobilissimus pervigil, necnon moribus & opere clarus extitit, & beato fine quievit.

Beato Remigio MAINARDUS venerabilis pontifex successit; Mainardo GUILLEBERTUS qui tempore Carolimagni imperatoris pontificatum decenter & honorificè rexit. Guilleberto RAINOVUARDUS pontificali ordine dignus, Rainovuardo GUMBALDUS nobilis prosapia & bonorum operum clarus instantia. Gumbaldo successit PAULUS presul mitis & prudentissimus. Paulo successit VVANILO antistes Deo devotus, & in cunctis reverentissimus. VVaniloni successit ADALARDUS nepos Gumbaldi archi-

episcopi, qui religiosus in cunctis operibus fuit. Adalardo RICULFUS vir nobilis & multis dives prædiis, quibus ecclesiam sibi commissam hæreditavit. Fuit autem tempore Caroli regis, Patris Ludovici regis, cujus fuit filius rex Lotharius, in quo progenies Caroli magni à regno funditus extirpatur. Hugo enim dux qui cognominatus est magnus, regnum sibi usurpavit, & rex consecratus est. Cui successit Rotbertus in regimine filius ejus, rex Deo devotus. Præfatus vero Riculfus cartas ecclesiæ supradictum regem fecit regali sanctione corroborare.

Riculfo successit JOHANNES devotus & religiosus antistes; Johanni VVITTO, vir honorabilis, & reverentissimus pastor; VVittoni FRANCO prudens pontifex & bonus populi auxiliator. Hujus enim tempore ROLLO dux Danorum patriam invasit, quæ vocatur Francia, nunc vero Normannia, eorum nomine insignita, cujus mentis feritatem tam divinis eloquiis, quam devotis servitiis ita delinivit, ut terram sibi adquisitam cum pace & justitia regeret. Postea prædicatione præfati pontificis legem Christianam suscipiens ab eodem baptizatus est: & in fide catholica perseverans bono fine migravit ad Christum.

Franconi successit GUNHARDUS vir sapiens & in multis providus; Gunhardo successit HUGO. Hic vero fuit prosapia clarus, sed ignobilis cunctis operibus. Monachus enim apud S. Dionysium erat, quando VVillelmus filius Rollonis dux Normannorum ei episcopatum tradidit: sed postpositis sanctæ Regulæ institutis, carnis petulantiæ se omnino contulit, filios enim quamplures procreavit, ecclesiam & res ecclesiæ destruxit. Todiniacum enim, qui in dominicatu archiepiscopi erat, cum omnibus appenditiis suis fratri suo Radulfo, potentissimo viro, filio Hugonis de Calvacaput dedit; & ita à dominicatu archiepiscopatus usque in præsens alienavit.

Huic successit ROTBERTUS vir nobilissimus & potentissimus Ricardi filius. Hic vir magnæ pietatis & honestatis fuit, & in mundialibus adeo laudatus à sæcularibus viris, sed carnis fragilitate superatus, quam plures filios procreavit. Plura etiam ecclesiæ bona fecit: ecclesiam

enim præsentem miro opere & magnitudine ædificare cœpit. Ante obitum suum, gratia Dei præveniente, vitam suam correxit; feminam enim reliquit, & de hoc ceterisque pravis actibus suis pœnitentiam egit: & sic bono fine, in quantum humana fragilitas capere potest, quievit.

Rotberto successit MALGERUS nepos ejus. Filius enim Ricardi fratris sui fuit, qui quia non electione meriti, sed carnali parentum amore, & adulatorum suffragio in pueritia sedem adeptus est pontificalem, omni destitutus tutela, potius adquievit carni & sanguini, quam divinis mandatis. Voluptatem enim per omnia sequens, ornamenta ecclesiæ, ceteraque beneficia pueriliter erogavit: & ideo auctore papa Leone, VVillelmus dux Normannorum, postea effectus rex Anglorum, assistente præfati papæ legato, scilicet HERMENFRIDO Sedunensi episcopo, ceterisque provincialibus episcopis in Lexoviensi ecclesia ab episcopatu eum destituit: deditque postea illi quamdam insulam in Constantiniensi pago in mari sitam, in qua pluribus annis, non quidem ut decuit, vixit. Postea vero (quo autem divino judicio ignoratur) in mari summersus est.

Malgerio destituto, elegit dux VVillelmus quemdam monachum nomine MAURILIUM, qui nobili prosapia ex Remensi agro exortus, & in ejusdem civitatis ecclesia educatus, inde in Leodiensi ecclesia omnium liberalium artium peritia imbutus Halverstitensis ecclesiæ scholasticus effectus est: qui locus in Saxonia ditissimus habetur, in quo pluribus annis honorifice vixit. Postea vero succensus amore cœlestis patriæ, cuncta quæ mundi sunt fastidiens, monasticam vitam appetiit; sicque Fiscannense cœnobium adiens, monachus ibi effectus est, in quo sancte multo tempore vixit, ceterisque exemplum sanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæstuans acriorem vitam eligens, licentia ab abbate qui ecclesiæ præerat accepta, Italiam petiit, eremique cultor solitariam vitam ducens, opere manuum vixit. Defuncto itaque abbate Florentinensis ecclesiæ, quæ in honore beatæ Mariæ semper Virginis constructa est, elegit eum marchio BONEFACIUS vir nobilis & potentissimus; & ita licet invitus, bonorum tamen virorum ammoni-

ammonitionibus superatus, abbas ejusdem loci ordinatus est, ubi multo tempore subditos pro posse suo sancte & regulariter rexit. Sed quia vita justorum est detrimentum pessimorum; monachi qui tempore prædecessoris sui indisciplinate vixerant, constantiam Regulæ Patris BENEDICTI, qua eos regulariter constrinxerat, ferre nolentes; sed in omnibus bonis operibus sibi resistentes, detrimentum vitæ ei machinati sunt. Et quia pluribus annis in hoc laborans, nullo modo se in eis vidit proficere, saluti propriæ prospiciens, abbatiam deseruit, & ad proprium locum, scilicet Fiscannum rediit; in quo sancte, usque quo in episcopatu intronizatus est, vixit. Hic ecclesiam à Rotberto archiepiscopo incœptam complevit, & astante Guillelmo Normannorum duce postea Anglorum rege, cum omnibus suffraganeis suis, concilium in Rotomagensi ecclesia de castitate conservanda, & ceteris sanctorum patrum institutionibus pastorum incuria neglegenter postpositis viriliter restituendis, religiose celebravit. Postea perfecta ecclesia, dedicavit eam astante Guillelmo Normannorum duce, anno millesimo sexagesimo tertio Dominicæ Incarnationis, regnante Henrico nobilissimo rege Francorum, astantibus etiam comprovincialibus episcopis, scilicet ODONE Bajocensi, JOHANNE Abrincensi, HUGONE Lexoviensi, GUILLELMO Ebroacensi, IVONE Sagiensi, GAUFRIDO Constantiniensi, ceterisque venerabilibus abbatibus, præsidente etiam Sedi Apostolicæ papa VICTORE secundo. Multa etiam bona de Christianæ legis & ecclesiasticæ religionis restitutione fecit, jejuniis & orationibus & eleemosynis usque ad ultimum diem insistens, V. Idus Augusti animam Deo reddidit.

Defuncto venerabili antistite Maurilio, præfatus Guillelmus rex Anglorum LANFRANCUM reverentissimum abbatem Cadomensis ecclesiæ, omnibus liberalibus artibus imbutum, sanctis moribus & operibus ornatum, quem postea Cantiriensi ecclesiæ metropolitanum instituit episcopum & primatem Anglorum, ALEXANDRO summo pontifici & venerabili papæ misit: postulans ejus clementiam ut ei assensum præberet, quatinus ejus auctoritate JOHAN-

NEM Abrincatinæ ecclesiæ episcopum metropolitanæ ecclesiæ præficeret, eique ne aliqua occasione in hoc resisteret, litteris apostolicis mandaret. Ipse vero ejus petitioni, quia devotam vidit, adquievit. Litteras inde pontifici misit: verba quæ litteræ continent hæc sunt.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei Johanni Abrincensium venerabili episcopo Apostolicam benedictionem. Destituta Rotomagensi ecclesia pastore comperimus Sedunensis episcopi & Lanfranci abbatis relatione, te ex electione principis tui dilectissimi filii nostri Guillelmi regis Anglorum, ob vitæ & morum probitatem ad majorem sedem promovendum, si ex auctoritate sedis Apostolicæ fuerit assensus, cui Deo auctore præsidemus. Nos igitur moti illorum precibus, ob salutem illius ecclesiæ & omnium in tuis partibus, volumus atque dilectioni tuæ apostolica auctoritate præcipimus, ut quod divina dispensatio de te providit, non contradicas, & electioni te obedientem exhibeas. Admonemus itaque fraternitatem dulcedinis tuæ, ut si in modico fuisti fidelis, in majori bene operari non desinas, populum divini verbi pabulo reficias, ut merearis audire illam benignam vocem Domini dicentis: *Euge serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* De cetero secretiorem animi nostri voluntatem planius audies per nostrorum legatorum veridicam relationem.

Johannes vero episcopus apostolica legatione recepta, & omnium comprovincialium episcoporum cunctorumque etiam ejusdem ecclesiæ canonicorum electione communi consensu facta, metropolitanam adeptus est sedem. Hic vero fuit vir progenie nobilis, liberalibus imbutus disciplinis. Is alias satis strenuus, animi fuit impatientissimus: crudescebat in eo hic morbus, & ut ita dixerim, exaggerabatur, tum carnis nobilitate, tum pralationis dignitate. Solent enim hæc duo plerumque positos in culmine influxum usque superbiæ, ipso potentiæ fastigio lenocinante, corrumpere: adeo ut normæ obliti justitiæ, unde animi sui furorem videntur pascere, hoc zelo justitiæ velint deputare. Evenit autem aliquando, ut hi tales non pastores,

ſed crudeles exactores, occulto Dei judicio, coram ipſis quos injuſte vexaverunt, corripiantur, quatenus exemplariter correpti, & poſteris ſibi ſimilibus ſint terrori, & parvulis ſpei: quod totum in hoc, de quo agitur, Johanne archiepiſcopo divina cenſura exhibuit in eo, quem is adverſus S. Audoeni cœnobitas inconſulte tumultum exercuit: quod non derogatorie, non inſultatorie, ſed conſultorie cenſuimus ſcribere. Primo quia inſolitum, incredibile, & quaſi monſtro ſimile, tantum tumultum, tantam turbam eo die ſine ſanguine accidiſſe. Secundo ut loco nobiliſſimo & ab omni jure ſeu conſuedine archipræſulum hujus urbis privilegio Caroli magni libero ſit memoriale: quo ſe probent nec in magnis exceſſibus ipſorum aliquid juſtitiæ debere.

Cauſa erat qua Guillelmus Nortmannorum comes & Anglorum rex glorioſus Cinomannis cum expeditione ſua morabatur. Aderant ei inter reliquos proceres iſte Johannes ſedis hujus archiepiſcopus, ut vir excellentis ingenii, & non mediocris conſilii. Nicolaus quoque reverendus abbas ſupradicti cœnobii. Imminebat celeberrima totiſque votis excipienda ſanctiſſimi Audoeni dies Natalitia; & quia moris eſt ut archiepiſcopus ipſa die inibi miſſarum ſolemnia celebret, non pro ulla quidem vel ipſius jentaculi viciſſitudine, ſed quaſi in recompenſationem conſecrationis ſuæ: quam non niſi in præfata eccleſia cuivis ſedis memoratæ licet accipere. Miſſione à rege petita, redibat concite, abbate prænominato interim ad occupatiora remanente. Quid plura? Adeſt dies veneranda, clerici majoris eccleſiæ ſolito eo conveniunt; & quia præmiſſo nuncio venturum ſe mandaverat, ſolemne miſſarum interim differtur: poſt aliquandiu vero è communi conſilio ne quid tantæ diei ſubtraheretur, dum veniat initiatur. Tanta vero moroſitate, tanta id factum eſt devotione, ut non mirum totis animis hoſtem humani generis ad hanc lætitiam turbandam exarſiſſe, qui maximo ſibi lucro credidit accedere, ſic illud veneno ſuæ nequitiæ tempus inficere, quod interim ſibi dolebat deperire. Finito itaque *Kyrie* cum duobus rithmis, exacto *Gloria in excelſis Deo*, quod

incœptum ab abbate Richardo Sigiensi chorus celeberrime fuerat executus cum laudibus suis, id vero totum expendebatur in præstolationem archipræsulis. Ecce accurrit ut turbo tempestatis, omnem confundens illius gratiam celebritatis. Hic namque totam mentis indignationem animo concipiens, quod non usquequaque fuisset expectatus, torvis oculis, ore furibundo, cunctis maledixit: conversusque ad ipsos monachos excommunicavit ex auctoritate Dei & sua, officium præsens interdicens cessare fecit, abbatem ab altari evellens divini officium ministerii prohibuit. Mœroris erat plenum & stuporis cernere tantæ festum lætitiæ, tot & tantas voces eam præconantes in subitum silentium obmutuisse. Ipse ad complendum se officium præparat; clericis suis ut à loco intercepto peragerent imperat. Nihil hic reticendum fore censemus, quod dum alteri parti favendo dissimulamus, alteri totum derogando imputare videamur. Verum falsi adstipulatione non indiget. Fratres etsi decorem sibi tanti sui gaudii præripi dolentes, pontificali tamen auctoritati cedunt, festivis se ornatibus exuunt, satis cum tumultu ecclesiam egrediuntur: huc quidam, pars illò, alii alio succedunt: invicem & ad suos super suo pudore mœrentes conqueruntur, cum subito quidam mœroris impatiens dubium quidem an ex ipsis vel eorum famulis plus furoris, minus consilii animo colligens, turrim properat, majus ecclesiæ signum pulsat: hinc forum ocior advolat, archiepiscopum Sancti Audoeni glebam ad majorem ecclesiam asportare velle proclamat: Prosiliunt omnes è domibus, alius gladium, hic bipennem, diversi quod primum manibus occurrerat arripiunt, ecclesiam cum furore irrumpunt: quidam curiositate acti, celata monasterii conscendunt, quædam ex tabulatis auferunt, quid sic furens populus agere vellet, rimantur. Plurimi ejus intentionis erant, ut quia eis tantæ continuationem lætitiæ interrupisset, nec sibi perficere liceret. Archiepiscopus circumcirca furentium se turmis appeti expavescens, plus tamen desuper imminentes metuens, ab altari ad valvas monasterii fugam arripuit. Vix elapsus infra ambitum earum ipsis prius clausis se recepit: undique circum se sedilia

& formas aggerari fecit. Non nulli tamen partis ipsius, arreptis candelabris, cereis & perticis, in monachos efferati, sed ab eis non segniter excepti, pudet dicere quam fœdo exemplo res eo die debuit determinari. Constitit satis ipso die meritum sancti omnibus affuisse, qui hinc sævientium manus comprimendo, hinc archiepiscopum cum suis eo periculo eximendo, tantum nefas non parvo cunctis miraculo potuit avertere. Nam tanta subito nubis caligo id spatium sanctuarii quo loculi sanctorum continebantur obtinuit, ut vix vel à curiosis oculorum acie corripi potuerit. Rei congruit miraculum: quia enim sacræ scripturæ diversis in locis per nubem nunc delinquentium cœcitas, nunc Domini protectio figuratur, jure hoc in ipsa nube prætendebatur. Hinc nempe insensibiliter furentium nubilum velut fumus ascendens divinæ gratiæ serenum turbabat: hinc manum Domini reatu ipsorum ad feriendum provocatam Sanctus Audoenus meritis suis protegendo continebat. Dicto nihil subripit quod refragetur, tantum ratio ipsa à toto pendens suffragatur. Ipsi sane cujus patientiæ sit Altissimus redditor æstimare licuisset, ni se in sua pertinatia continens à consideratione rationis animum revocasset. Sed animositatis ejus immanitas non destitit eo usque quo se invehens in se irruit in se.

Igitur vicecomes civitatis archiepiscopum sic circumventum ut audivit, veritus ne quid inconsultius adversus ipsum ageretur, & ipse post noxæ argueretur, militarem manum cogit, regis bannum omnibus prætendit, suppetias accurrit. Jam nihil reluctantem, immo sibi penitus diffidentem periculo eximit. Iis tumultuum dementiis exacta est dies tantæ celebritatis. Æstimet qui valet, quæ facies tunc fuerit curiæ cœlestis, quam indigne tulerit sui præcellentissimi civis Audoeni sic confusam, sic fœdatam, sic præreptam diem suæ remunerationis. Æstimet quid extiterit miseriæ tantum patronum nihil penitus in filiis suis quod Domini faciem placaturus offerret eo die accepisse: nos ignorantes divini secretum consilii omittimus: de hominibus humana pensamus. In tanta

multitudine discreta sexu, ætate, & ordine, non credimus defuisse, & qui mente carnali se minus nocuisse pœnituerint, dum nihil medium quin tam speciali gaudio privati forent adtenderint, & qui sanioris consilii peccatis suis eam turbam imputaverint, vota sua prærepta gemuerint, à suo patrono veniam suspirantes super suis actibus erubuerunt. Fratres in crastinum de suis eligunt per quos abbati suo quod factum fuerat innotesceret, & regem super hoc suggesturus adiret. Sed archiepiscopi nuntius præcesserat, invidiam omnem in monachos retorserat. Sic infecto negotio reditum est. Rex licet post ipsius archiepiscopi & quorumdam aulicorum instinctu animo in monachos motus, rem tamen ex æquo pensans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconsultum tumultum justis librationibus præponderat. Jubet igitur statim ecclesiam ab archiepiscopo reconciliari: quod cum satis irato & reluctanti animo abnueret, rex MICHAELI episcopo Abrincatensi loci reconciliationem injunxit; pudorem vero suum in futuro vindicta prætendens dissimulavit. Quatuor igitur monachos loci quos & factionis auctores audierat, totidem aliorum cœnobiorum abbatibus commisit, quatinus & archiepiscopo satisfacerent, & illi in peregrinatione sua luerent quod minus consulte peccassent. Non multo post tamen & rationis consideratione & petitu abbatis ipsorum flexus in præsentiam sui eos revocavit, & ecclesiæ reconciliatos reddidit. In his omnibus semper apud ipsum cautum extitit, ne quid sibi archiepiscopus quasi sub ecclesiastico vigore in causis hujus ecclesiæ insolenter arrogaverit. Immo postquam ei gemino fratrum eorumdem exilio satisfecit, rem in consilium ponit, concilium cogit, quod abbatiam suam irato & tumultuanti animo intrasset, quod totius turbæ causa & materia extitisset, quod loci reconciliationem sibi denegasset; judicio primatum suorum trecentas libras exegit. Delicti satis hac vindicta exsolvisset, si intime facti pœnituisset, Dominique patientiam non negligendam putasset. Sed animi rancorem nec tunc primum adversus S. Audoeni cœnobitas occœperat; & hoc modo potuit potius exaggerari quam leniri. Trium annorum

ſpatium evolutum erat & ſemper repulſam ſui dolore continuo ſecum corrodebat. Congruenti ſane exemplo ſuſpenſus velut evangelicæ illius ficulneæ fructus: unde ſic quidam: *Expectata tribus fructum non attulit annis.* Cum poſt id temporis redeunte eadem feſtivitate paucis ante menſibus paralyſi perculſus, ſed ab hac infirmitate jam reſpirans ad ſolemnitatem venit: & quia per ſe miſſam celebrare non potuit, GISLEBERTO Ebroacenſi epiſcopo vices ſuas commiſit, ipſe in medio cantorum ſpecie præcentoris ſtetit. Ut vero evangelium cœpit legi, horribile dictu, ſic ab intimis humoribus in ſecretiorem meatum profluentibus, eſt ſubito anguſtiatus, ut raptim urina procurrens lineam uſque ſuperpellicialem indumentum omne infecerit; pavimentum etiam quo ſtabat perquam humectaverit. Hinc poſt fidelium oblationes cum amplius diſſimulare non poſſet, eccleſiam egreſſus, pudore, non oportet dici quantum, & mœrore confuſus ad ſua reverſus eſt. Quod ut primum ad aures populi percrebuit, quis æſtimare, quis dicere ſuffecerit in quas & quantas voces ſe derepente ſparſerit? Omnes tamen in commune Domini magnificentiam ſanctique Audoeni meritum perſonabant: jure hunc ab integritate præſentis lætitiæ ſic ignominioſe repulſum, quam olim indigne nimis proturbaverat acclamabant. Nemo nobis ſuccencere habet ſi vera dicimus, quia nemini examen judicis omnium in cujus manus horrendum eſt incidere, improperandum ſcimus, & ex aliena culpa pœnam incurrere valde formidamus. Sed enim judicia Domini quæ velut abyſſus multa ſunt mirari, ipſum in tam ſancto viro prædicare quo affectu pietatis iſdem devote ſibi famulantes protegendo ſemper foveat, plus eſt ſacrilegii ingrato ſilentio tegere, quam ut dicatur reverentiæ. Ceterum non parum intentionem piam dirigit, ſtudendum continue Domino ſervire in timore & exultare ei ſed cum tremore, ſobriè penſare, quam nitidum templum ipſi noſmet ſcilicet exhibere deceat, ſi adeo zelans hujus exterioris cultus in inviſibilibus templis appareat. Non enim inhabitantes propter locum, ſed propter inhabitantes locum Dominus elegit. Verum ut cœpta proſequamur per alios

tres annos adeo incommodo laboravit, ut neque jam administrationis infulis deservire potuerit: cum tandem regia auctoritate, immo consultu omnium pulsatus episcopatu cedit, & ad quandam sui patrimonii villam S. Philiberti dictam secedit, ubi & aliquantisper supervixit. Duodecimo vero sui præsulatus anno viam universæ carnis ingressus, hominem exuit. Inde tamen ad propriam sedem refertur, & honorifice in ipsa ecclesia tumulatur V. Idus Septembris.

Successit huic, immo processit, nam duobus ante obitum ejus mensibus intronizatus est, Domnus GUILLERMUS cœnobii Cadomensis abbas cum apostolica auctoritate, tum regio munere, tum denique communi electione. Vir sane generis nobilitate cluens, & morum prærogativa præpollens.

In eodem codice sequitur Historia metrica eorumdem archiepiscoporum Rotomagensium ab eodem auctore conscripta, in qua de hoc Guillelmo hæc habet.

Post hunc Guillelmus vir nobilis atque benignus
Catholice plebem tractavit Rotomagensem,

Deinde de subsequentibus archiepiscopis, alia manu ad singulos præsules diversa hac subjiciuntur.

Catholico more GAUFRIDUS functus honore,
Ecclesiæ multa bona contulit intus & extra.
Huic successit, amor plebis, tremor HUGO potentum,
Clarus avis, clarus studiis, recreator egentum.
Eloquio gnarus, miseris spes, stemmate clarus,
Fit quinquagenus comes his ROTRODUS amœnus.
Non minor huic hæres GALTERI strenuus hæres,
Lux recti, morum species, & imago priorum.
Post hunc pro certo de successore ROBERTO.
Est gavisa fides quam rexit alter Atrides.
Hinc multifaria THEOBALDUS cella sophiæ
Præfuit ecclesiæ venerandæ verna Mariæ
Plusquam laude pari post hos decet hic venerari,
MAURICII clari vitam, mores memorari.
Præfuit in patrem PETRUS vafer immediate
In papæ fratrem translatus pro bonitate.

ODO

Odo pro Petro datur in velamine tetro
Insignis merces vitæ normæ........
Divinæ legis non expers, vernaque regis
Præfuit Odo pater, Minor insuper antea frater.
Post duplici clero radians & dogmate vero
Præfuit ecclesiæ frater Minor Odo Mariæ.

FRAGMENTUM EX ALIO CODICE

De Mauritio archiepiscopo.

ANno Domini MCCXXXI. Vigilia omnium sanctorum quæ fuit quadam die veneris, venit Mauritius prius Cenomanensis episcopus, sed per contentionem datus à Sede Apostolica Rotomagensis archiepiscopus, ad monasterium S. Audoeni Rotomagensis; & secundum morem honorifice receptus fuit cum festiva processione ab abbate Reginaldo S. Audoeni: & ipsa die procuratus ab ipso abbate & conventu prout decebat. Nullus tamen episcopus fuit in illa processione vel abbas, excepto abbate S. Audoeni. In crastino quod fuit in festo omnium sanctorum surrexit prædictus archiepiscopus de thalamo abbatis in quo jacuerat, & venit ad * monasterium cum * paulio quod sibi missum fuerat à summo pontifice & traditum per Parisiensem & Silvanectensem episcopos, quos Dominus papa Gregorius IX. ad hoc assignaverat. Et fecit idem archiepiscopus pausationem suam postquam venit in monasterium ante altare SS. Johannis Baptistæ & Johannis Evangelistæ & Judæ, ascendit ad altare apostolorum Petri & Pauli cum paulio, & præmissa oratione, elevavit illud super altare tenens intra manus: & incipiente cantore S. Audoeni ℞. *Sint lumbi*, præfatus archiepiscopus tradidit prædictum paulium magistro Johanni ad portandum coram se; & ita processione ordinata processum est ad ecclesiam sancti Hermelandi, archiepiscopo non portante crucem, excepta cruce monachorum. In ecclesia S. Hermelandi intrans discalciavit se, & inde discalciatus egrediens præ-

* Id est ecclesiam.
* Id est pallium.

ſentatus eſt & traditus magiſtro Thomæ *de Frequville* decano majoris eccleſiæ ab abbate Reginaldo S. Audoeni in introitu beatæ Mariæ Virginis; & proteſtatum eſt ab eodem abbate cunctis audientibus, quod ipſe & conventus tradebant archiepiſcopum decano & capitulo majoris eccleſiæ conditione interpoſita, quod ipſi redderent conventui S. Audoeni mortuum, quem vivum recipiebant. His agendis & actis Ebroicenſis Richardus, &c.

FRAGMENTUM ALIUD EX EODEM CODICE
De Odone archiepiſcopo.

ANno Domini MCC XLVII. Odo archiepiſcopus obiit apud Daeville prima die Rogationum mane, & eadem die fuit allatus apud nos à canonicis Rotomagenſibus ante magnam miſſam; & poſitus fuit ubi legitur evangelium ad magnam miſſam. Sacriſta appoſuit tot de ſuis cereis quot annis rexerat archiepiſcopatum. Poſtea cantata fuit magna miſſa ad magnum altare, feretris S. Audoeni & S. Nigaſii ſtantibus ſuper idem altare. Evangelium lectum fuit ad ſiniſtrum cornu altaris. Abbas & conventus in frocis ſuis cum cruce & aqua benedicta, thuribulo, cereis, obviaverunt ei in atrio juxta crucem. Tunc tradidit eum decanus noſtro abbati dicens: Reddo vobis mortuum Dominum Archiepiſcopum, ita ut craſtina die reddatis eum nobis. Poſt nonam exiit conventus in dormitorium, poſtea rediit in chorum, dixit *Placebo*, *Dirige*, *Exultabunt*, eo modo quo fit obitus Nicolai abbatis, ſed ſolemnius. Poſt ivit conventus potatum, deinde ad collationem, ad completorium, in dormitorium. Poſtea chorus dexter rediit in chorum, dixit totum pſalterium, ſiniſter chorus poſt matutinas: mane excitato conventu, pulſatum fuit ad primam, canventus indutus cappis & albis celebravit miſſam matutinalem ad magnum altare, quam cantavit ſubprior, tres monachi contaverunt ℟. duo fratres Minores & duo Jacobitæ ℟. miſſa expleta, portavimus corpus ejus uſque ad crucem in atrio noſtro, & tam cito rediit conventus ad eccleſiam noſtram.

HISTORIA EVERSIONIS MONASTERII S. FLORENTII VETERIS A BRITONIBUS ET NORMANNIS

Translationis ejusdem sancti, Fundationis & abbatum monasterii Salmuriensis.

ANNO Incarnationis Dominicæ millesimo sexagesimo primo, Indictione XIV. Epactis XXVI. concurrentibus, VII. ciclo lunæ XIV. termino Paschæ XVII. Calendas Maii, mense Junio XVIII. Calendas Julii dedicatum est monasterium S. Florentii senioris à Domino EUSEBIO Andegavorum Episcopo in honore S. Salvatoris & S. Florentii confessoris, eadem videlicet die antiquæ dedicationis ejusdem monasterii. Causa hujus dedicationis fuit quod idem monasterium olim à CAROLO MAGNO constructum, & à ceteris regibus nobiliter sublimatum, postea à NEMONOIO, Deo odibili Britone, crudeliter legimus incensum. Nam cum ad illud usque tempus Britones regi Franciæ servire sollíciti fuissent; ipse primus quamvis non de regibus, nec de regali, sed de ignobili progenie ortus, contra CAROLUM CALVUM se erexit, & ei servire contemnens, Redonenses Namnetensibus junxit, sicque monasterium à Patre LUDOVICO & ab avo CAROLO MAGNO fundatum atque nobilitatum aggressus, incendit atque vastavit; sed à sancto, cui idem locus olim fuerat divinitus concessus, invisibiliter percussus, data non minima pecunia, damnum

quod sibi intulerat, quantum potuit, emendavit. Verum tamen signum suæ percussionis semper secum habuit: nam quandiu vixit claudus permansit.

Postea vero Normanni, adhuc sursum CAROLO CALVO regnante, asscendentes per Ligerim, Namnetum aggrediuntur, vastant, capiunt, atque prædantur. Rursumque monasterium S. Florentii, quod jam ante à supradicto NEMENOIO incensum fuerat, & à CAROLO CALVO reparatum jam fuerat, ab illa effera gente Normannica penitus vastatur, incenditur, destruitur. Monachi cum corpore S. Florentii fugiunt in partes Burgundiæ, Tornacum monasterium expetunt, ubi similiter Monachi S. Philiberti timore supradictæ gentis ab Herio insula cum corpore ejusdem sancti secesserant. Sicque locus Glonnensis cœnobii in solitudinem redactus, cœpit esse ferarum, qui prius fuerat habitatio hominum. Cum vero per annos circiter xxx. hæc eadem Normannica natio nullas non civitates & castella non tantum Neustriæ; verum etiam Aquitaniæ deprædando vastavisset, & vastando deprædasset; ventum est tandem ad monasterium S. BENEDICTI, cognomento Floriacum, quod pridem ab eis fuerat crudeliter incensum, ubi à Venerabili Abbate HUGONE, adjutorium sibi ferente nobilissimo Comite Autissiodorensi, GILBALDO nomine, aggressi & usque ad internecionem deleti sunt. De quo certamine vix aliquis remansit, qui eventum rei nuntiaret ceteris: sicut & de illo apud Turonus ea tempestate merito S. MARTINI cœlitus in paganos patrato, ubi octingenti & eo amplius cecidere pagani; non tantum pagensium, verum etiam propriis interemti gladiis. His temporibus interfectus est ab illis Normannis Neustriam devastantibus INGELGERIUS Comes Andegavorum, FULCONIS Rufi filius. His duobus flagellis suprascriptis divinitus super paganam gentem emissis, pauci qui evaserunt, fugæ præsidio vitam tuentes, transmarinas compulsi sunt repetere sedes: & cum ab statione sua, quam habuerant in insula huic monasterio supposita, ultra non reversuri discederent; presbyterum quemdam, qui solus in obsequio S. Florentii remanserat apprehendunt, secumque in unam

navium suarum strictim compedibus vinctum projiciunt, sicque per Ligerim discedentes, in patriam redire disponunt. Presbyter vero ægre ferens separari à tali tantoque patrono, reductis post tergum oculis, videt monasterium humano habitatore vacuum atque desolatum. Tunc in hanc vocem fertur exclamasse Sacerdos : Heu tu S. FLORENTI, quare me pateris sic à te disjungi ? Cur me ita rapiunt isti Deo odibiles pagani ? Hæc cum dixisset, statim navis qua vehebatur, in vertiginem rotari cœpit, atque omnibus qui aderant mortem minari. Presbyter vero divinitus à vinculis solutus aquis se Ligeris tradidit, & natando adducitur ripæ citeriori. Normannos autem, qui eum captivum ducebant, fluvius omnis absorbuit. Ipse autem in silva nomine Bivonem ingrediens monasterio S. Florentii, qui illum liberaverat, se reddidit.

A destructione igitur monasterii quæ facta est à NOMENOIO Britone, seu ab adventu Normannorum, quod utrumque factum est regnante CAROLO CALVO, usque ad tempus illud quando relatum est Corpus S. FLORENTII à Tornaco per ABSALONEM monachum, & in castro Salmuro reconditum, quid actum sit de monachis, qui tunc dispersi fuerunt, quove abierunt, seu qualiter postea conversati sunt, nobis omnimodo habetur incognitum, nisi hoc quod in nostris chartis reperimus, post secundam destructionem hujus cœnobii à Normannis factam, Monachi cum corpore S. FLORENTII jussu piissimi regis CAROLI in partibus Franciæ ad locum S. Gundulfi, quem idem præcellentissimus rex jam pridem huic loco contulerat, post combustionem hujus loci à NEMENOIO Britone illatam, secesserunt : Sed quomodo exinde migraverunt, & ad Tornacum perrexerunt, omnino ignoratur. Et hoc habemus certum, quod istud S. Florentii monasterium desertum fuit & desolatum, & omni habitatione vacuum : arbores in eo creverunt, sues agrestes & cetera animalia agrestia conversationem in eo habueruut, & ubi solebant audiri voces monachorum laudes Deo canentium, audiebantur balatus atque fremitus quorumlibet agrestium animalium. Altaria omnia, quæ consecrata fuerant, vio-

lata sunt atque confracta, præter altare tantummodo S. MARIÆ matris Domini. Nunc autem per prænominatum Andegavorum Pontificem denuo sunt consecrata: sed additum est aliquid ab eodem venerabili pontifice in unoquoque eorumdem altarium, quod antea non fuerat: nam quod antea erat solummodo SS. Martyrum Dionysii sociorumque ejus, nunc simul est omnium Martyrum. Quod olim erat tantum S. Stephani Protomartyris, modo simul habetur omnium Sanctorum. Quod erat S. Johannis Baptistæ, nunc est & Beati Johannis Evangelistæ & omnium Apostolorum. Et quod erat S. Radegundis, nunc est ejus & omnium Virginum. Quod vero erat S. Martini, modo illius est & omnium Confessorum. Tria vero sunt in eadem æde altaria, quæ sine aliquo additamento sunt reconciliata atque benedicta id est altare Dominicum, quod est proprie S. Salvatoris; & altare Capitis, quod est S. Florentii; tertium autem est S. Hilarii Pictavorum Pontificis.

Nunc de ABSALONE quod dicere cœperamus prosequamur. ABSALON ille monachus S. Florentii dolens remansisse corpus sui Patroni apud Tornacum, ubi deportatum fuit timore Normannorum tempore Normannicæ persecutionis, meditatus est in corde suo qualiter illud restitueretur propriæ regioni. Itaque Tornacum pergens, ut facilius crederetur, & ut omnis suspicio furti atque fugæ ab eo auferretur, contractum se finxit, & circa locum quasi devotus existens, multisque documentis perdiscere studuit locum in quo quiescerent ossa sæpedicti sancti, quem cum cognovisset, continuo opportunitate adepta, illuc accedens, omnia membra, excepta quadam parte capitis, arripiens, ducente Deo Salmurum usque pervenit, sicque Monachi illi S. Philiberti thesaurum, quem sponte noluerunt, inviti amiserunt. Veruntamen ornamenta pretiosa, quæ olim cum corpore S. FLORENTII illuc fuerant delata, retinuerunt. His itaque patratis, inchoatum est monasterium in Salmurio imperio & voluntate THEULTILDI Comitis. Et quia de reversione seu susceptione tanti Patris cuncti gaudebant, certatim in constructione

monasterii laborabant. Nam castellum illud, quod vocatur Salmurius, nondum ibi erat; sed postea ad munimentum monasterii propter hostes vicinos à supradicto Comite ædificatum est. Perfecto autem monasterio, ventum est ad dedicationem. Cum vero dedicatum fuisset, isdem venerabilis Comes accipit vasculum in quo servabantur ossa sæpedicti sancti, & in à Deo præparatam sibi domum jussu episcoporum, qui aderant, portare voluit. Et cum pervenisset ad quoddam grande saxum non longe ab ostio monasterii, pondus, quod ante leve fuerat & suave, ita est adgravatum; ac si ferrum, quod ferebatur, fuisset, ac plumbum. Itaque Comes velit nolit vasculum cum sanctis artubus super lapidem posuit, & quid opus esset perquirere sollicite studuit: dictumque est ei, ut aliquid de rebus propriis, quæ circa eumdem locum esse videbantur, licet nonnulla concessisset, in præsenti concedere deberet, qualiter isdem sanctus & ad locum destinatum se deferri permitteret, & omnibus qui aderant apud omnipotentem Dominum pius intercessor existeret, quod & factum est. Nam contulit eidem in præsentia omnium qui aderant omnes possessiones, quas in proprio habebat in territorio Salmuriensi, in ecclesias, terras cultas, aquas, consuetudines. Hæc talia dona sancto confessori tribuit; sicque ad locum destinatum absque ulla difficultate in sede propria collocavit. A Tempore illo usque ad Abbatem FREDERICUM abbatia Sancti, de quo loquimur, sub potestate seu dominatione Comitum progeniei TEUCHALDI fuit. Antea vero usque ad destructionem, quæ facta est à Britonibus sive à Normannis, non quoslibet alios, sed regem Francorum habebant Dominos. Isdem certe confessor habuit nonnullas possessiones in diversis provinciis, quas quia ipse tempore prædictæ Normannicæ seu Britannicæ persecutionis amiserit, visum est & nobis ipsis & aliis multis, de quibus notitiæ tantummodo atque chartæ apud nos remanserunt, quæ nobis indicant qualiter eas ipse sanctus acquisivit, sed indicare nescivit, quomodo eas amisit.

Primus Abbas in eodem novo monasterio fuit ELIAS, qui multum in constructione ejusdem cœnobii cum quo-

dam fratre suo nomine Othberto laboravit: ambo quippe erant Presbyteri, & ideo merito donum abbatiæ promeruit; sed non diu tenuit.

Post Abbatem Eliam fuit AMALBERTUS Abbas, quem TEUTBALDUS Comes ex monasterio S. BENEDICTI Floriacensis, quod est super alveum Ligeris, assumsit; vir valde strenuus, & in ornamentis ecclesiæ in auro & argento construendis multum studiosus, qui & postmodum ob strenuitatem ingenii Abbatiam S. BENEDICTI suscepit regendam.

Post Amalbertum ROBERTUS abbas, dehinc ADHEBERTUS, postea GIRALDUS. Huic successit Deo dilectus FREDERICUS abbas ex monasterio S. Martini Majoris-monasterii assumtus, qui merito sanctitatis atque justitiæ quasi lucifer refulgens abbatiam suo tempore multifarie multisque modis decoravit & melioravit. Ab initio suæ ordinationis usque ad tempus incensionis atque captionis salvum....est à FULCONE Andegavorum Comite maju.... ordinem monasticum invenit tepidum....& pene jam lapsum, quem & prædicando & operando fecit fervidum, & erexit, atque commutavit in meliorem statum. Habitatio castelli ei erat valde onerosa, & animabus fratrum perculosa atque damnosa; sed liberati sunt in ordinatione divina. Nam cum se ab exercitu circumdatos, & à flammis cernerent undique septos, assumto corpore sui patroni & reliquiis sanctorum, exierunt sicut Loth de Sodomis, vel sicut Abraham de igne Chaldæorum, & venerunt ad ecclesiam S. Hilarii, ibique manserunt facientes pro posse opus divinum, & non post multum tempus inchoatum est novum monasterium, quod cum fuisset Deo juvante perfectum, convocavit idem pater quatuor episcopos ad dedicationem, ARNULFUM Turonensem, HUBERTUM Andegavensem, ISEMBERTUM Pictavensem, GALTERIUM Namnetensem. Affuit & GAUFRIDUS Andegavensium Comes cum honorabili matre sua HILDEGARDE, & conjuge sua nomine AGNE, & cum eo multi viri nobiles, necnon & populus utriusque sexus infinitæ multitudinis, Abbates, & Monachi, & Clerici, quorum non est numerus. Tum dedicata

dedicata est ecclesia in honore S. Trinitatis, & S. MARIÆ semper Virginis, & in memoria beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & S. FLORENTII Confessoris. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quadragesimo primo facta fuit ista dedicatio. Pauperes erant utræque S. Florentii .... sed ditavit eas jam dictus pastor textis .... bus; libris divinæ auctoritatis, atque calicibus, & aliis ecclesiasticis ornamentis. Rexit autem administrationem sibi commissam annis XXXIIII. & ..... diebus tribus. Requievit autem in Domino ..... magnum luctum gregi suo relinquens, anno ab Incarnatione Domini M LV. regnante HENRICO rege, Consule GAUFRIDO, EUSEBIO Pontifice.

Huic Successit Domnus Abbas SIGO, vir valde venerabilis, columbina simplicitate præditus, dilectus Deo & hominibus, utriusque Testamenti, veteris scilicet & novi apprime eruditus, liberalibus litteris, grammatica, dialectica, rhetorica, arithmetica, musica & ceteris artibus per omnia imbutus, & insuper litteris Hebraicis & Græcis peritissimus legendi & scribendi. Ejus studio bibliotheca nostra crevit, psalterium, missales, textus Epistolæ Pauli, Actus apostolorum ad unguem correxit & emendavit. Totum ejus studium fuit in meditandis scripturis sanctis, caritatem & misericordiam omnibus præbens. Eleemosynis largus, amator fratrum, & ut filios diligens, infirmitates animarum & corporum spirituali & corporali medicamine curans. Erat etiam gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Si quidem quotienscumque illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsum suum confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas ille confitebatur, nulli nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris suis, ut intercessores magis apud Deum sint quam accusatores apud homines. Omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret. Et quid dicam de eo, Summe Pastor? Potestates hujus sæculi, Comites, Episcopi, & Abbates, præcipui clerici, ut prudentem & veræ simplicitati deditum hono-

rabant & mirabantur. Domnus Abbas Hugo Cluniacensis cœnobii, vir valde venerandus, Magiſtrum ſuum eum dicebat & quaſi ſuperiorem ſe conſpiciebat. In Francia, in Aquitania, & in Britannia, & in Italia ejus fama volitabat. Suo tempore eccleſia noſtra multum dilatata eſt in acquirendis poſſeſſionibus, & eccleſiis, & in perſonis nobilium clericorum & laicorum ſæcularem vitam relinquentibus, & ob famam tanti viri & noſtri loci ad Dominum concurrentibus. In ornamentis quoque pulcris conſtruendis de auro & argento circa duo altaria, quæ ſunt in preſbyterio, ut Domnus Abbas Fredericus ſagax fuit. Miſeros & deſolatos fateri ſe poſſunt, quos ille edocuit & inſtruxit, & quod talem patrem amiſerunt. Nam poſtquam hic dilectus Domini quatuordecim annis, menſibus ſeptem, diebus viginti gregem ſibi commiſſum pie & plenus miſericordia feliciter gubernaſſet II. Idus Junii dormivit in Domino, feria ſexta in jejuniis quatuor temporum, inclinante jam veſpera, appoſitus ad patres ſuos in ſenectute bona, immenſum dolorem fratribus relinquens. Sepultus eſt ad lævam Domni Abbatis Friderici in abſida S. Florentii, in eo loco ubi ſtat inter duo ſepulcra eorumdem Patrum crux noſtræ redemtionis & imago noſtri Salvatoris.

VITA
SANCTI ADJUTORIS MONACHI TIRONENSIS

AUCTORE HUGONE ARCHIEPISCOPO Rotomagensi hujus nominis tertio, ipsi Adjutori coævo.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS AMEN.

Dilectissimis & meritis venerandis totoque sinu pectoris amplectendis in Christo fratribus cœnobitis monasterii Tironensis in Pertico Hugo Sanctæ Rotomagensis ecclesiæ indignus archiepiscopus Salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Magnæ caritatis atque dulcedinis vim protulistis, & voto sollicito ut nascentiam & originem loci vestri B. Mariæ Magdalenes super Secanam magnis prodigiis & quam plurimis admirandis fulgentis miraculis, simulque miracula ipsa in laudem Ecclesiæ certificationemque fidei catholicæ monimentis perpetuis traderemus. Et quidem precibus vestris, quin ob sui merita dignis non ausim jussibus non obaudire; nihil etiam dignius litterarum apicibus commendari putans, quam gloriosissimorum sanctorum gesta, eorum præcipue qui tam digni fuerunt, ut Dominum nostrum Jesum Christum videre, palpare, cum ipso conversari, salubria ejus monita audire meruerunt. Quis putet aliquem in impetrandis precibus tam promptum tamque

audiendum esse, quam eum qui Domino tam proximus, ut actum est, fuerit? Igitur ad promissum veniamus.

In illo tempore quo fulgens in rota sæculi catholica fides Normannica diffundebatur in tellure, gloriosus vir & dignissimus ADJUTOR re & nomine hanc sæculi profectus est in lucem, cujus gloriosa vita & vigorem sui nominis exprimit & gratiam magnæ salutis, quia dum ADJUTOR diversa superavit vitæ hujus pericula, meritis mundana vicit cuncta impedimenta. Sicut enim in Apostolico fundamento constat Ecclesia, ut à Christo firma petra Petrus actor insuperabilis statutus est: ita triumphatoris æterni ADJUTOR duplici militia miles efficitur. Eum autem martyrum & confessorum gemina dote resplenduisse non parva documenta produnt, cujus nimirum gesta vel partim necessario describuntur, ne fama tanti viri quandoque dubietatis nebula fuscaretur. Et quidem satis est ad ejus gloriam quod Christum, cui placere quæsivit, unicum habet in excelso. Fuit autem natus in urbe quæ Vernonum dicitur, patre Johanne ipsius loci temporali Domino, matre vero Rosimunda *de Blarru* ipsius Johannis consorte, certe, ut novimus cum in minoribus essemus, Deo devotissimis & sanctissimis personis: nobilis quidem genere, sed nobilior fide: sæculi dignitate inter suos clarus, sed divinorum munerum gratia præcipuus. Hujus infantia viri quantus in futurum esse deberet, satis prætendebat: Ita enim vigiliis, jejuniis, & orationibus assiduis eo tempore, quo assolet hujus sæculi ætas lascivire, corpus suum macerebat, ut jam carnibus consumtis, pellis ossibus pene adhærere videretur. Crescente vero ætate, gratiæ divinæ providentia erga illum omnium bonorum affectus crescebat. Erat enim forma speciosus, corpore castus, mente devotus, affabilis eloquio, amabilis aspectu.

Ejus parentes.

Ea tempestate passagio terræ sanctæ pene omnes christicolæ vacabant: in cujus expeditione, etiam ipse gloriosus vir ADJUTOR una cum ferme ducentis armatis cruce signatus erat, unde contigit ut quadam die, cum parvulo loco quodam in territorio Antiocheno, qui Jambuit dicitur, abiret, ipse & comitatus suus prædictus in insidiis Is-

Cruce signatus apud Antiochiam hostes voto facto fugat

maelitarum plusquam mille & quingentorum inciderct. Circumvallatus igitur ab eis, cum videret suos fugam petere, quam tamen habere non poterant, videns tantæ multitudini tam paucos subsistere non valere, ad quæ illius erant assueta arma humo prostratus, orationem simul & votum fudit, dicens : Voveo tibi beatissima Maria Magdalena, quod si mihi victoriam instantis belli contuleris, domum meam de Monte cum ejus appenditiis ad tibi deserviendum in monasterio Tironensi in Pertico, & in ipso loco monachis ipsis Tironensibus dabo capellam quam in tui honorem quamcito ad partes regressus fuero in ipso loco construi faciam, & de meis facultatibus condotabo. Et repente tarde quidem, nihil tamen nostris agentibus, sed de salute desperantibus, in fidei hostes irrupit : ita ut omnes hinc atque illinc utcumque poterant diffugerent. Adjutor vero adjutorium sibi cernens desuper advenisse, sumptis cum suis viribus, non gnaviter super hostes exeruit gladium : mille enim & eo amplius non nostrorum dextris, sed B. Mariæ Magdalenæ juvamine, in eo certamine cœsi fuerunt, ceteri autem fuga evaserunt.

Peracta igitur victoria, in triumpho vir sanctus Adjutor lætabatur in Christo, eo quod in tantæ calamitatis periculo nullus ex suis cecidisset. Poterat hoc ille agere, qui Pharaone submerso in gurgite Israeliticum salvavit populum nemine pereunte. Prostrata igitur acerba barbarie, gloriosus vir Adjutor gratias agens Altissimo canere cœpit : O Deo devotissimi fratres mei Monachi Tironenses, qui assidue Deum pro me exoratis. O beatissima Maria Magdalenes, quem etiam apud Deum commendatum haberes ! O Altissime Deus, in cujus manu cuncta sunt posita, quas tibi gratias ego miser pro tantis beneficiis referre valebo ? Quas tibi laudes peccator ego depromam ? Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicos, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios nostros. Hæc autem scivimus per inclitos milites Heliodorum *de Blarru*, Odonem de Porco mortuo, Johannem *de Brebeval*, Anselmum de Cantamerula, VVidonem de Calvomonte, Petrum de

Curtiniaco, Richardum de Haricuria, Henricum de Pratellis, & quam plurimos alios, qui ipsi negotio & certamini interfuerunt.

Intercessione B M. Magdelenæ & B Bernardi Abbatis Tironensis à captivitate liberatur.

Sed famosissimum illud & admirandissimum miraculum quomodo ab hostibus nostræ fidei captus, & dirissimis carceribus mancipatus, & strictissimis loricis & catenis ferreis vinctus liberatus extitit, dignum non ducimus ut omittamus. In expeditione siquidem prædicta Jerosolymitana, cum jam annis decem & septem, quod pauci fecerant, ipse vacasset. Contigit bellorum insperatis fortunis, & secreto Dei arbitrio, & forsan quod votum suum, quod supra præmisimus, nimis differebat adimplere, ut ipse gloriosus vir Adjutor à sæpedictis inimicis crucis Christi captus fuerit: Cumque ab ipsis perfidis Saracenis loris compeditus fuisset, & catenis dirissimis, & aliis exquisitis omnibus pœnis durissime attritus; & immanissimis tormentis, ut Christum & ejus fidem abnegaret, afflictus fuisset; & in fide perseverans cum Salvatoris nostri clementiæ, & piæ matris ejus, ac B. Mariæ Magdalenes, almi gloriosique & Deo devotissimi Bernardi olim vestrum & vestri monasterii Tironensis Patris, precibus sedulus orator se commendaret, & eorum adjutorium jugiter flagitaret; tandem subactis plurimis temporum curriculis, cum suum Athletam Deus fortissimum conspexisset, ejus miseriis misericors compassus est. Nocte enim quadam cum aliquantulæ requiei se dedisset, vidit in somnis, immo potius vivifice B. Mariam Magdalenam à dextra, & gloriosum Bernardum à læva eum tenentes & levantes, ac cursu præpropero eum ducentes, qui eum vinculis quibus vinculatus erat, solutum tamen ab eis reliquerunt. O mira res, & partibus his inauditum sed percelebre miraculum, & ut diligentissimis per nos factis informationibus cum Petro de Curtiniaco, Henrico de Pratellis, Andrea de Feritate, Rofredo de Puteaco, Odone de Porco mortuo, & pluribus aliis, qui eum die ipsam noctem præcedente viderant, & cum ipso comederant, & loquuti fuerant, reperimus certissimum.

Excitatus igitur à somno, ut vidit se à vinculis absolu-

tum, & à perfidis Ismaelitis liberatum in eo quo præmisimus loco esse, altissimas mente & ore Altissimo depromens voces, ad vos VVILLELMUM venerabilem abbatem monasterii vestri Tironensis celerrime mittens, & vices vestras deposcens, veterem hominem cum sæculari militia se exuens, novum hominem, habitum videlicet sacræ vestræ religionis Tironensis in eodem loco assumsit: se & locum ipsum cum ejus terris, vineis, pratis, pascuis, nemoribus, decimis & reditibus, & pertinentiis universis; & sua ubilibet consistentia bona ipsi vestro Tironensi ad opus victualium & necessitatum per abbatem Tironensem ordinandos & ordinanda, distribuendos & distribuenda tribuens & donans, gratias agens Deo & dicens: A finibus terræ ad te clamavi, dum auxiaretur cor meum in petra exaltasti me. Deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici: inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum, quoniam tu Deus exaudisti orationem meam, dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Fit monachis Tironensis.

Ædificata est ergo capella, quam nos demum cum tribus altaribus dedicavimus, & altaria consecravimus: majus altare in honorem Domini nostri Jesu Christi & B. Mariæ Magdalenes ejus apostolæ consecrantes.

Postquam vero sæculum relinquens, religionem vestram monachus factus ingressus est, adeo tam sanctam vitam & arduam, ut novimus, duxit, ut præter panem & aquam vel oleum, sale condita nulla sumeret cibaria, nisi forte festivi diei amor, seu solemnitas, vel magnorum supervenientium virorum hospitalitas eum amplius sumere coegerint. Aspectus autem non solum fœminarum, sed etiam virorum à sua præsentia removebat, ut ab hominibus summotus solum spectaret adventus Angelicos, & cresceret in divinitate quod deerat in homine. Lectulum à monachatu numquam habuit, lectaria nescivit, in pluma caput numquam reclinavit; sed veste tantummodo qua die usus erat, nocte contentus est. Pro molli autem lana hirsuto cilicio induebatur, ut inter horas soporis non esset requies corporis, & mutato ordine adhuc

Qualis monachus factus vixerit.

post peractum diem nox succederet in labore. Vestis superior tam vilis erat & despicabilis, ut cuculla quæ habitualis erat & modici seu nullius pretii vestis, alterius comparatione pannus aureus esset. Eratque diurnalis oratio & nocturnalis quies in locello parvo retro altare capellæ, quam, ut prædiximus, ipsius precibus dedicavimus. Ibi continui singultus & lacrymæ, ibi assiduæ vigiliæ & orationes, ibi cotidianum jejunium: nescires eum alibi quærere, nullam alibi recipere, corporis refocillationem. Heu me miserum peccatorem! Interrogatus persæpius à nobis cur tam se vilesceret, & non aliquantulum secundum sui sanguinis statum se gereret, aut saltem alio in loco quam in illo corpus recrearet; cito respondit, Nimis olim fuit recreatum corpus meum ad sæculi statum; nunc instat ut reddat quæ sumsit nimis. Sed cum de loco illo nulla responsa dederit, aliquid in eodem divini esse certe speramus; & hac de re quandiu in hac fragili vita degemus, locellum ipsum summe veneramur, & quotiens ad ipsum accedimus, & orationes ac preces in eo fundimus, aliquid divinæ inspirationis, & multum devotionis erga Deum nobis plus evenisse seu accrevisse perspicimus. Humus in ipso locello lectum ministrabat; & ubi caput reclinabat, terra aliquantulum prominens pulvinar concedebat.

Varia edit miracula.

Vidimus plures febricitantes & alios infirmos ad ipsum stratum suum venire, & in ipso dormientes sanos & incolumes ad propria remeare: alios autem si non statim, saltem paulo post tempore sanitatem recuperasse. Lectum tamen in camera sua satis honorificum habebat, qui non, nisi ut mundanus sicut ceteri videretur, sibi serviebat. Inter quæ tempora, ut de ceteris, reddidit surdis auditum, aliquandoque multimodis languentibus reddita sanitate, tamquam ad plenum de eis non certiorati taceamus: immo quod sub obtentu B. Mariæ Magdalenes in ipsa capella actum est, quodque plurium fide dignorum testimonio novimus referemus.

Dœmoniacum liberat.

Quadam enim die dum cum matre sua Rosimunda prædicta, & aliis quam plurimis hominibus in capella ipsa existe-

existeret, supervenit dæmoniacus quidam (Hilgodus Ruffi nominabatur) gladium evaginatum tenens, quique ex eo multos in ipsis temporibus viros & mulieres vulneraverat: cumque ipse dæmoniacus hac & illac vagaretur, divertit ad ipsam capellam, ubi Adjutor sæpenominatus & Rosimunda mater ejus ac dicti homines consistebant: & eam ingrediens, homines retro altare fugere præ timore coëgit: sed ei occurrens Adjutor venerabundus ait: O Domina mi B. Maria Magdalene, & hic licet per dæmonem adductus, ad hanc tamen capellam tuam adveniens, non sentiet aliquid de beneficiis tuis? Illico autem ut hæc Adjutor verba personuit, dæmon ab ipso Hilgodo cum magno rugitu recessit; ipse Hilgodus genua humo flectens, omnipotenti Deo & B. Mariæ Magdalenes de reddita incolumitate gratias egit. Quæ nos ab ipso Hilgodo, & aliis qui præsentes erant, per debitam informationem certissima novimus.

Voraginis periculum ex Sequanæ Fluvio precibus suis avertit.

Nec prætereundum est aliud item famosissimum & multistupendum miraculum, quod nobis præsentibus sub oculis multorum hominum, beata, ut tenemus, instante Maria Magdalene peractum est. Erat prope locum ipsum Magdalenes prædictum in flumine Sequanæ vorago quædam aquarum, quæ transeuntes nautas voraginem ipsam ignorantes ita dehiscebat, ut nec mercium, vel aliorum supellectilium, nec hominum, immo nec navium ipsarum quicquam ullo umquam tempore vel rediret: & ita retroactis ab ævo temporibus plures homines periclitati fuerant, ac naves, & alia bona submersa. Quod dum semel, postquam in ipso loco sumto vestræ religionis habitu resedit, accidisset; accersiri nos dignum duxit, ut tantæ calamitati ope vel consilio subcurreremus. Celebrata igitur per nos in ipso loco missa de Spiritu-sancto, ad ipsam voraginem, non sine magnis lacrymis & lamentis, nos & venerandus Adjutor naviculam ascendentes, properavimus. Nos vero, quem, quod absorberemur à voragine, timor tenebat pavidum, ipsi Adjutori suggerebamus ne huic nos subjiceremus discrimini & fortunæ, cum ille, Potens est Dominus meritis B. Mariæ Magdalene liberare nos in præsenti & pro in futurum populum suum, & hac die coram omnibus exercere virtutes. Sub

confidentia igitur Dei & B. Mariæ Magdalenes & securitate Beati viri pariter ad locum voraginis protendentes; cum jam nos in voraginem fluminis impetus attraheret, Benedic Domine Præsul, ait nobis, & signum crucis ede, aspersoriumque aquæ benedictæ in locum projice voraginis: quæ illico complevimus.

Ipse aliquando de ferris à quibus B. Mariæ Magdalenes & sancti Bernardi precibus liberatus fuerat, in ipsum locum projecit, dicens sic: Potest Dominus meritis B. Mariæ Magdalenes & beatissimi Bernardi liberare populum suum, sicut me eorum precibus liberavit. His dictis & factis, subito vorago illa quæ abyssi profunda petebat, facta est aquarum grata planities; euntesque desuper huc & illuc nos & ceteri qui à remotis steterant, nautæ, stupore mentis attoniti, gratulabundi tamen & gaudentes ad propria remeavimus, nullusque expost suffragante gratia divina & B. Maria Magdalene, ibi periclitatus est, nec vorago amplius visa.

Possemus si vellemus alia multimoda in ipso loco, ut à quamplurimis fide dignis audivimus, meritis & precibus beatissimæ Mariæ Magdalenes tam vivente ipso venerabili ADJUTORE, quam post ejus decessum patrata miracula narrare: sed ea tantum inserimus, quæ vel nos ipsi vidimus, vel plurimorum fide dignorum attestatione certissima novimus. Et quia in laudem & exaltationem B. Mariæ Magdalenes multi tam evangelistarum quam aliorum sanctorum prodiere libri; ideoque nec ad ipsius exaltationem dignus est sermo noster. Ideo venerabili nostro ADJUTORI, cui in majori parte principia hujus paginæ dedimus & media, & de quo ut plurimum per vos & alios requisiti sumus, finis paginæ dabitur.

Quæ præsertim in eo laudanda.

Laudent alii expulsorem dæmonum, curatorem cadaverum, ceterisque miraculis pollentem: nos ADJUTORIS nostri præmia patientiæ laudabimus, virtutem Dei, contemtum rerum, post hæc animarum lucrum, restaurationem cœnobiorum; vestitum cibumque monachorum, pacem ecclesiarum, concordiam regum & principum, custodiam viarum, omnium instantiam mandatorum, perseverantiam vigiliarum & orationum, respectus pauperum,

conceptionem juvenum, honorem senum, emendationem morum, amorem virginum, consolationem continentium, misericordiam miserorum, intemeratam observantiam regularum & mandatorum, ac postremum specimen omnium virtutum.

Ejus obitus.

Appropinquante demum vitæ suæ fine, cum resolutionem sui corporis imminere cognosceret, nos & VVillermum abbatem suum Tironensem ad se duxit evocandos: ad quem nos prædicti cum pluribus aliis flentes & gementes convenimus: cujus auditis de suo fine verbis, interrogavimus eum: Frater Adjutor, ubi sepulturam corporis tui prædestinatam habes? Ad hæc vir Dei respondit: In hac capellula, si placuerit Domino abbati meo. Erat autem vir ipse venerandus humi decubans in lectulo illo, de quo supra scripsimus, retro B. Mariæ Magdalenes altare, in quo divinis sacramentis munitus, indutus ut semper erat, secundo Calendas Maii migravit ad Dominum. Et licet naturali dolore contristati simus; gaudebamus tamen, quia tantum ac talem apud Deum pro nobis præmiserimus patronum & adjutorem. Triumphet spiritali tripudio Pontifex, sacerdotes stolas splendentes exaltent justitiæ, Monachi beatorum lætentur operum fortitudine, ac cincti virtutum decore, omnisque ordo Ecclesiasticus omnipotenti Deo pia reboet carmina, laica turba cum sexu femineo alternatim, & provocent juvenes & virgines, senes cum junioribus dicamus omnes prece supplici Sanctissima Maria Magdalena, & tu Sancte vir Adjutor succurrite nobis.

HISTOIRE
DES GUERRES D'ITALIE PAR LES BRETONS SOUS LE PONTIFICAT DE GREGOIRE XI.

Escrite en vers françois par Guillaume de la Perene qui y estoit present.

L'an Mil CCC LXXVIII. fist monsieur Guillaume de la Perene cest Romans pour amour & honour de nostre mere sainte Eglise, & pour vaillance d'armes, que fist en celuy temps monsieur Selvestre Budes avecque plusieurs hommes, qui en sa compagnie estoint ou fait de l'Eglise en Italie. Lequel messire Guillaume fut trois fois prisonnier oudit païs.

Eloge de Silvestre Budes.

UNE nuit en Italie,
Melancomoye en la vie
D'un chevalier de bel estre,
Que l'on clame monsieur SELVESTRE.
Et comment, & en quelle maniere
Il a vescu ça en arriere,
Si regardoit que son pourchas,
Et son travail, & ses debas,
Si l'i ont fet bien & honnour,
Conquis chevance chacun jour.
Il a esté tousiour loyaux,
Celli estoit un beau joyaux,
Preus, & vaillant, estre l'agent,
Sans nul defaut, bien diligent.

Ces sont teches de nobles hon:
Il a par tout molt grand renom.
Chescun si dit qu'il est hardis,
Fiers, & apert sans contredis,
Sages, honestes, doux & cortoys;
Il est larges comme est un Roys.
Bien scet son estre entre les dames,
Et entre toutes les autres fammes
Et bien dançer fet il molt bien,
Mes de chanter il ne scet rien.
De ce ne li doit ja chaloir,
Il ne perdra point son valoir:
Quar assez a de tout la grace,
Se non de cels à qui l'en cresce
De son estat & de sa vie,
Qui sur luy ont si grand envie,
Qu'à poyne meurt dolentement
Comme chetis & males gent.
Mais c'est tout quant qu'il poeut fère,
Quar bien proveu a au contraire,
La Dieu mercy par son labour
Tant que de ses seignons le gregnour.
Li veult grant bien pour le grant bien,
Qu'il maint en luy, il est certain.
Il s'est tou dis mis à la voye
Avec les bons, si ne lerroye
Pour nulle rien que je ne deisse
De luy le bien, & le retraisse.
Quar c'est exemple à toute gent,
Qui vaillance honneur veulent;
Et tout homme s'y doit mirer,
Qui veut arme continuer.
Quar sans aide, ne sans conseil,
Se n'est de Dieu & du soleil,
Il a fait ce que il a fait:
C'est son devoir, il a bien fait.
Quar il est vray tout sans doutance,
Que uns lyons quant il s'avance

De soy mesme, sans avoir aide,
Plus est prisié, & plus le prise,
Je le dis pour monsieur SERVESTRE,
Qui est aujourd'huy tout le mestre
En Italie, c'est chose voire:
Nul ne li puet estre contraire,
Senon que fut par trahison
Et faussété des mauves hon.
Nuls de trestous ses ennemis
Ne l'ont grevé, se m'est avis,
En quelque lieu qu'il ait esté,
Fust en yvert, fust en esté,
Ne en compagnie, ne soul à soul,
Je le di pour quoy tout soul.

Il remporte une Victoire en Allemagne.

UN jour estoit en Allemaigne,
A combatre en une plaine,
Closes de lices tout environ,
A un chevalier de grand renom.
Un des meillours de tout le pais,
Se en estoit le commun dis,
Et aprés fit des armes tant;
De ce checun en est garant,
Quonques Rollant, ne Olivier,
Ne furent plus fiers batailler:
Et celuy jour je vous affi,
Il deconfist son ennemi,
Et puis aprés fit-il molt bien:
Quar du sien il ne print rien,
Ains en donna tretout son droit
Par devotion, que il avoit,
A madame sainte Katerine,
A laquelle toujours s'encline,
Par reverence & par douceur:
Quar la li fist moult grant honneur.
Tous les Seignours, qui la estoint,
Communement ne li cessoint,
Qu'il praint estat de Chevalier,
Pour ce quant vint au commencier

De la bataille, a li tout droit
Vint Monseignour de MALESTRET;
Et li dist, SELVESTRE, SELVESTRE,
Par droit chevalier doys estre.
Adonc requist chevalerie
Tres humblement, & s'humilie.
Quar bien veoit que son Seignour
Si li offroit molt grand honour,
Ainsin le fist certainement,
Honnorablement & vaillament.
Et mieulx otout se le Savoye
Dire, ne penser en nulle voye.

APRES s'en vint en Avignon
Au mandement du tres saint hon,
Pour servir luy & saint Eglise,
Et la defendre en contre guise,
Que bon chevalier & loyal,
Et tint autre vaillant vassal,
Soutenus par l'ordonnance
D'un faire, & par la creance
Que tout homme doit sans moyan
Avoir, se est bon Chrestien.

Il vient à Avignon.

SUR tant se vint en Lombardie,
Pour secourir toute Italie;
Dequoy ne donnast lors une figue,
Pour la puissance qu'avoit la ligue,
Qu'avoit l'Eglise si au bas mise,
Que vrayment en nul guise
Ne se savoit conseil donner:
Tant y avoit grand ecombrer.
Tout ce firent les gouvernours,
Que pour le Pape estoint plusieurs,
Qui ne savoint rien de la guerre;
Mais tousiours estoint en erre,
De rapiner or & argent,
Et de piller la pouvre gent.
Mais or de ce me vueil ester,
Je n'ay pas tout à chastier.

Il passe en Lombardie.

Il force le passage.

OR m'en revien à ma matiere,
Qu'avoit commencée premiere:
Du chemin de Lombardie,
Il est raison que je vous die,
Coment ou pays nous y entrames.
Premierement nous en alames
Le droit chemin droit en Piemont,
Ou à maint pas estroit & ront:
Qui contre nous estoient gardez
Par grant foyson de gens armez,
Et de vilains o grans gisarmes,
Qui nous cuidoint faire nos barbes.
Quar fiers & orgeuilleux estoint;
Lesser passer ne nous vouloint,
Et bien cuidoint certainement,
Que nous n'eussions ja hardement
Doutre le pas passer à force,
Que n'eussions nous qui ne fust morte
Avant toute la compagnie
Quant monsieur SELVESTRE que Dieu aie,
Tantot s'en vint apertement,
Qui plain estoit de hardement.

ADONC SORAYE print son pannon,
Que maint autre bon compaignon
Acompaigna, & puis grant pas
S'en allerent gaigner le pas.
Et lors print monsieur SELVESTRE
Le droit chemin à la main destre;
Et leur dit, bon compaignons,
De monter tous ne nous feignons;
Et nul ne se vueille rendre
A ses vilains, ne laisser prendre;
Quar se vous cheiez en leur mercy;
Vous estes mors & tous honnis.
Et de ce je me fais fort,
Que ja ne feront si fort.
O le bon droit que nous avons!
Ou servise où nous allons,

Que

Que nous n'aions tout le dessus
